

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

EDITIO DECIMA QUINTA

JUXTA DOCTRINAM S. THOMÆ, S. ALPH. DE LIGORIO
AC LITTERAS APOSTOLICAS B. P. N. LEONIS PP. XIII

EXARATA AUT RECOGNITA

APPROBANTIBUS

Ill. ac Rev. DD. AUGUSTINO FORCADE, Archiepiscopo Aquensi,
Ill. ac Rev. DD. ERNESTO BOURRET, Episcopo Ruthenensi.

AUCTORE A. BONAL

SOCIETATIS S. SULPITII PRESBYTERO

TOMUS TERTIUS

DE GRATIA ET GLORIA, DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO, DE CONFIRMATIONE, DE SS. EUCHARISTIA

APUD DOULADOURE-PRIVAT
EDITORES
TOLOSÆ
39, via Saint-Rome, 39

APUD DELHOMME & BRIGUET
PARISIIS
13, via de l'Abbaye, 13
LUGDUNI
3, via de l'Archevêché, 3

1884

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

PROPRIÉTÉ

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

EDITIO DECIMA QUINTA

JUXTA DOCTRINAM S. THOMÆ ET S. ALPH. DE LIGORIO, AC LITTERAS APOSTOLICAS SS. LEONIS XIII EXARATA AUT RECOGNITA

APPROBANTIBUS

Ill. ac. Rev. DD. AUGUSTINO FORCADE, Archiepiscopo Aquensi,
Ill. ac. Rev. DD. ERNESTO BOURRET, Episcopo Ruthenensi.

AUCTORE A. BONAL
SOCIETATIS S. SULPITII PRESBYTERO

TOMUS TERTIUS

DE GRATIA ET GLORIA, DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO, DE CONFIRMATIONE, DE SS. EUCHARISTIA

TOLOSÆ
APUD DOULADOURE-PRIVAT, EDITORES BIBLIOPOLAS
VIA SAINT-ROME, 39
1884



VIRGINI

IMMACULATÆ

TRACTATUS

DE GRATIA ET GLORIA

CON. TRID. DECLARATIONES ET CANONES

DE PECCATO ORIGINALI, *Sess.* V.

1. — Ut fides nostra Catholica, sine qua impossibile est placere Deo, purgatis erroribus, in sua sinceritate integra et illibata permaneat, et ne populus Christianus omni vento doctrinæ circumferatur; cùm serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali ejusque remedio non solum nova, sed vetera etiam dissidia excitaverit : sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, jam ad revocandos errantes, et nutantes confirmandos accedere volens, Sacrarum Scripturarum, et Sanctorum Patrum ac probatissimorum Conciliorum testimonia, et ipsius Ecclesiæ judicium et consensum secuta, hæc de ipso *peccato originali* statuit, fatetur, ac declarat.

2. — *Can.* 1. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram, et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus

potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, *totumque* Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum *corpus* et *animan in deterius* commutatum fuisse : anathema sit.

3. — *Can.* 2. Si quis Adæ prævaricationem sibi *soli*, et *non ejus propagini*, asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non *nobis* etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et *peccatum*, quod *mors est animæ;* A. S. : cum contradicat Apostolo dicenti : « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, *in quo omnes peccaverunt.* »

4. — *Can.* 3. Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et *propagatione*, non imitatione, transfusum omnibus, inest *unicuique proprium,* vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam *per meritum* unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio, et redemptio; aut negat ipsum Christi Jesu meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari; A. S. : quia « non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. » Unde illa vox : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. » Et illa : « Quicumque baptizati estis, Christum induistis. »

5. — *Can.* 4. Si quis parvulos *recentes ab uteris matrum* baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed *nihil ex Adam trahere originalis peccati;* quod regenerationis lavacro necesse sit *expiari ad vitam æternam consequendam*, unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; A. S. : quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus : « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt : » nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit; propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum

etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in *remissionem peccatorum veraciter baptizantur*, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. »

6. — *Can.* 5. Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, *reatum originalis peccati remitti negat*; aut etiam asserit non tolli totum id, quod *veram et propriam peccati rationem* habet : sed illud dicit tantum *radi*, aut *non imputari*; A. S. : « in renatis enim nihil odit Deus : quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, » ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.

Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur, et sentit : quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet; quinimo qui legitime certaverit, coronabitur.

Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus *peccatum* appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod *vere et proprie in renatis peccatum sit*; sed quia *ex peccato est*, et *ad peccatum inclinat*. Si quis autem contrarium senserit, A. S.

Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, *beatam et immaculatam Virginem Mariam*, Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.

DE JUSTIFICATIONE, *Sess.* VI

CAP. 1. *De naturæ et legis ad justificandos homines imbecillitate.*

7. — Primum declarat Sancta Synodus ad justificationis doctrinam probe et sincere intelligendam, oportere, ut unusquisque agnoscat, et fateatur, quod, cum *omnes* homines in prævaricatione Adæ *innocentiam perdidissent*, facti *immundi*,

et ut Apostolus inquit, natura filii iræ, » quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, usque adeo servi erant peccati, et sub potestate Diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysis, inde liberari, aut surgere possunt : tametsi in eis *liberum arbitrium minime exstinctum* esset, viribus licet *attenuatum*, et *inclinatum*.

CAP. 2. *De dispensatione et mysterio adventus Christi.*

8. — Quo factum est, ut cœlestis Pater, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, Christum Jesum, Filium suum, et ante legem, et legis tempore multis Sanctis Patribus declaratum, ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit, ut et Judæos, qui sub lege erant, redimeret : et gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent : *hunc proposuit* Deus *propitiatorem* per fidem in sanguine ipsius *pro peccatis nostris*, non solum autem pro nostris, sed etiam *pro totius mundi*.

CAP. 3. *Qui per Christum justificantur.*

9. — Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum *ea propagatione per ipsum* dum *concipiuntur*, propriam injustitiam contrahant : ita nisi *in Christo renascerentur*, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus, gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri, « qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, et eripuit de potestate tenebrarum, transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, *in quo* habemus *redemptionem*, et *remissionem peccatorum*. »

CAP. 4. *Insinuantur descriptio justificationis impii et modus ejus in statu gratiæ.*

10. — Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit *translatio ab eo statu*, in quo homo nascitur filius primi Adæ, *in statum gratiæ* et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, salvatorem nostrum ; quæ

quidem translatio, post evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. »

CAP. 5. *De necessitate præparationis ad justificationem in adultis, et unde sit.*

11. — Declarat proterea ipsius *justificationis exordium* in adultis a Dei per Christum Jesum *præveniente gratia* sumendum esse : hoc est, ab ejus *vocatione*, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur ; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus *excitantem* atque *adjuvantem gratiam* ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ *libere assentiendo* et *cooperando, disponantur* ; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris litteris cum dicitur, « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, » libertatis nostræ admonemur ; cum respondemus : « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, » Dei nos gratia præveniri confitemur.

CAP. 6. *Modus præparationis.*

12. — Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum, excitati divina gratia et adjuti, *fidem* ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ *timore*, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in *spem* eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore : illumque tanquam omnis justitiæ fontem *diligere incipiunt ;* ac propterea moventur adversus peccata per *odium* aliquod et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet ; denique dum *proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, servare divina mandata.* De hac dispositione scriptum est : Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit. » Et : « Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. »


ACADEMIAE·HARVARDIANAE·IN·NOV·ANG·SIGILLVM
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

EDITIO DECIMA QUINTA

JUXTA DOCTRINAM S. THOMÆ, S. ALPH. DE LIGORIO
AC LITTERAS APOSTOLICAS B. P. N. LEONIS PP. XIII

EXARATA AUT RECOGNITA

APPROBANTIBUS

Ill. ac Rev. DD. AUGUSTINO FORCADE, Archiepiscopo Aquensi,
Ill. ac Rev. DD. ERNESTO BOURRET, Episcopo Ruthenensi.

AUCTORE A. BONAL

SOCIETATIS S. SULPITII PRESBYTERO

TOMUS TERTIUS

DE GRATIA ET GLORIA, DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO,
DE CONFIRMATIONE, DE SS. EUCHARISTIA

APUD DOULADOURE-PRIVAT
EDITORES
TOLOSÆ
39, via Saint-Rome, 39

APUD DELHOMME & BRIGUET
PARISIIS
13, via de l'Abbaye, 13
LUGDUNI
3, via de l'Archevêché, 3

1884

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

EDITIO DECIMA QUINTA

JUXTA DOCTRINAM S. THOMÆ ET S. ALPH. DE LIGORIO, AC LITTERAS APOSTOLICAS SS. LEONIS XIII EXARATA AUT RECOGNITA

APPROBANTIBUS

Ill. ac. Rev. DD. AUGUSTINO FORCADE, Archiepiscopo Aquensi,
Ill. ac. Rev. DD. ERNESTO BOURRET, Episcopo Ruthenensi.

AUCTORE A. BONAL

SOCIETATIS S. SULPITII PRESBYTERO

TOMUS TERTIUS

DE GRATIA ET GLORIA, DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO, DE CONFIRMATIONE, DE SS. EUCHARISTIA

TOLOSÆ

APUD DOULADOURE-PRIVAT, EDITORES BIBLIOPOLAS

VIA SAINT-ROME, 39

1884

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE ORDINIS GRATIÆ

Duplex erit articulus, de notionibus præviis circa ordinem supernaturalem gratiæ, et de erroribus circa eumdem.

ARTICULUS PRIMUS

De notionibus præviis circa ordinem supernaturalem Gratiæ.

57. — In decursu hujusce Tractatus necesse est sæpe sæpius uti quibusdam vocabulis, quorum genuino sensu apprime callere maxime interest, tum ut accurate exponatur invicteque demonstretur ordo gratiæ, tum ut facilius detegatur, tutiusque vitetur error : porro illa vocabula spectant vel ordinem naturalem, vel ordinem supernaturalem in genere, vel specialem ordinem gratiæ simpliciter dictæ. Unde

§ I

De notionibus ad ordinem naturalem attinentibus.

58. — Notiones illæ significantur quinque præsertim verbis, videlicet, natura, naturali, ordine, ordine naturali, ordine naturæ. Itaque

NUMERUS PRIMUS

De natura.

59. — *Quæritur* 1° quid sit *natura* quoad *nomen*?

Resp. Natura, quoad nomen, a *nasci* apud Latinos, græce vero φυσις (generatio, productio, nativitas) a verbo φυω (generare, producere), tria significat, nimirum, vel ipsam

Galliæ, an. 432; — S. Th. 1. 2, q. 81, 109 et seq.; *Supp*. q. 85 et seq.; *Cont. Gent*:, lib. 3, c. 147 et seq.; lib. 4, c. 79 et seq.; — Ripalda, *de Ente supernaturali*, 3 vol. in-f°; — Suarez, *de Gratia*; — Bellarminus, *de Gratia*; — Montagne, *de Notione gratiæ, et de erroribus circa gratiam*; — Clericus a Bellliberone, *de Gratia*, pars dogmatica; — Habert, *de Gratia sanctificante* : hæc tria opera in Cursu Completo Theologiæ, tom. 10, inserta sunt; — Petavius, *de Trinit*.; — S. Franciscus Salesius, *Traité de l'Amour de Dieu*; — Bossuet, *Grâce*, passim.

generationem viventium seu *nativitatem;* vel *id quod generat*, seu intrinsecum generationis *principium*; et inde, per analogiam, designat intrinsecum principium operationis cujuscunque; vel denique *id quod generatur*, producitur, seu generationis aut productionis *terminum*, qui propterea, in suis proprietatibus constitutivis, dicitur *natura*, quasi *nascitura*. S. Th. 1 p., q. 29, a. 1, ad 4; 3 p., q. 2, a. 1.

60. — *Quæritur* 2° quid sit *natura* quoad *rem?*

Resp. Natura definitur*: principium operationis unicuique individuo existenti intrinsecum et permanens.*

Dicitur 1 : *principium operationis*, seu radix non solum actus, sed etiam ipsius facultatis, v. g., in homine, natura est radix operationis rationalis simul et animalis, seu facultatis cogitandi, volendi, et per corpus agendi. In hoc natura distinguitur ab essentia, quæ per se significat id, quod est veluti radix et subjectum omnium *proprietatum*, quæ in re sunt, eamque specificant, potiusquam ipsum principium activitatis, qua ens pollet.

Dicitur 2 : *unicuique individuo existenti*; ordinarie enim natura designat quid vere existens seu ipsam *substantiam*, prout *viribus idoneis* ad exercendas *proprias operationes* instruitur; Card. Zigliara, *Cosm.*, n. 20; dum essentia significat radicem proprietatum, quæ in re sunt seu rei quidditatem; sive res existat, sive sit mere possibilis. Interdum tamen vox natura sumitur pro essentia.

Dicitur 3: *intrinsecum*, adeo ut vere et proprie constituat individuum, in quo existit: v. g., in homine, principium operationis rationalis simul et animalis sunt anima et corpus, quatenus se exerunt uti unum operationis principium, quod profecto constituit individuum humanum. Unde natura complectitur totum ens alicujus individui constitutivum.

Ens enim nihil aliud est, quam vis quædam seu activitas, siquidem in tantum aliquid *est*, in quantum est *in actu*; sic Deus *est infinite*, quia est infinite *in actu*; et ideo ens cujusque individui constitutivum, est ejusdem vis seu radicalis activitas, quam vocamus principium operationis, adeo

ut verius sit tale principium *esse* ipsummet individuum, quam ab individuo *haberi*.

Dicitur 4 : *permanens*, eo sensu quod mutari non possit, quin ipsum individuum mutetur in aliud specie diversum: v. g., si in homine principium operationis rationalis simul et animalis cesset quoad vitam rationalem, vel quoad vitam animalem, eo ipso tollitur natura humana, eique succedit natura vel mere animalis, vel mere rationalis.

Revera tot sunt naturæ diversæ, quot diversa operationis principia intrinseca et permanentia. Sic, v. g., lapis constituitur intrinseco principio *adhærentiæ*, seu vi attractiva inter materiæ elementa; planta, intrinseco principio *augmenti*; animal principio *sensationis* et *translationis* seu motus processivi; homo, principio operationis *rationalis* cum *corporis concursu*; Angelus, principio operationis *intellectualis* absque corporis concursu. Ergo natura cujusque individui est operationis principium cuique intrinsecum et permanens. Vide S. Th. 1 p., q. 18, a. 3; *Cont. Gent.*, lib. 2, c. 95.

Exinde etiam natura non semper idem est ac ipsamet substantia existens; sic in homine duplex est substantia, spirtualis, nempe, et corporalis, et unum tantum operationis principium intrinsecum, quod *humana natura* vocatur; in Angelo autem una est substantia, unum operationis principium et una natura, nimirum, Angelica; Tract. *de Incarn.*, n. 42.

61. — Hinc 1° natura, in contingentibus, est immediatus actionis creatricis terminus.

Etenim proprius actionis creatricis terminus est substantia quædam, ex probatis in Tract. *de Deo*, n. 81; porro, ex jam dictis, natura est tota subtantia cum idoneis viribus ad proprias operationes; ergo, in contingentibus, natura est immediatus actionis creatricis terminus.

Unde permanentia naturarum oritur a constantia et uniformitate actionis creatricis; hujus autem uniformitas et constantia procedunt a Dei beneplacito, quod nobis constat inductionis ope, ut dictum est in Tract. *de Revelat.*, n. 99, 100.

62. — Hinc 2° natura in Deo non eumdem prorsus sensum habet ac in creaturis.

Etenim, in creaturis, natura significat principium operationis alicui individuo intrinsecum, et per actionem creatricem *actuatum*, ideoque contingens, dependens et finitum; quod denique ut mere possibile concipi potest.

In Deo autem natura designat principium operationis numquam actuatum, sed semper *actuale* seu in actu, et ideo necessarium, independens, infinitum; ita ut essentia et natura in Deo idem significent, ut dictum est in Tract. *de Trinit.* n. 12, 13.

63. — *Quæritur* 3° an *natura* sumatur etiam pro *collectione* omnium naturarum contingentium, seu pro complexu omnium virium, quæ insunt omnibus substantiis creatis?

Resp. affirmative. Etenim creata entia sunt intrinsecum principium effectuum sibi propriorum, et etiam extrinsecum principium modificationum in aliis entibus; agunt enim in invicem juxta speciem et gradum virium unicuique intrinsecarum, n. 72. Complexus igitur harum omnium causarum secundarum, quæ quasi unum operationis generale principium ad generalem creationis finem consequendum, efformant, merito *natura* (*la nature*) dici potest. Card. Zigliara, ibid.

64. — Hinc Deus in hac causarum seu naturarum complexu nullo modo comprehendi potest; sed, relative ad creaturas quascunque, sive creatas, sive creabiles, Deus est essentialiter *supernaturalis*.

Nam creaturæ seu creatæ naturæ, sive individualiter, sive collective sumptæ, sive in se, sive in modo, sunt essentialiter contingentes, dependentes et finitæ; dum e contra Deus est ens necessarium, independens, infinitum quoad naturam et quoad modum, n. 62; ergo Deus sub omni respectu pertinet ad entis speciem in se essentialiter unicam, sibi absolute et exclusive propriam et infinite eminentem *supra naturam* creatam aut creabilem quamlibet, sive individualem, sive collectivam. « Deus supra omnem

creaturæ modum est, supra omnem *speciem*, supra omnem *ordinem;»* S. August., *de natura boni*, c. 3, 13, etc. — « Deus *ordini secundarum causarum ipse non est subjectus*, sed talis ordo *ei subjicitur*, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturæ, sed *per arbitrium voluntatis*. Potuisset enim et alium ordinem rerum instituere; unde et poterit *præter hunc ordinem institutum agere cum voluerit.* » S. Th., 1 p. q. 105, a. 6. Vide Tract. *de Angelis*, n. 78.

Attamen quandoque, per analogiam, Deus ipse dicitur *Natura* (la Nature), quatenus est primum principium omnium naturarum et accidentium per actionem creatricem, conservatricem et cooperatricem.

NUMERUS II

De Naturali.

65. — *Quæritur* 1° quid sit *naturale?*

Resp. Naturale definiri potest : *quidquid est secundum exigentias et vires cujusque naturæ individualis*, vel *omnium naturarum creatarum aut creabilium collective sumptarum*.

Dicitur 1 : *secundum exigentias*, seu id quod requiritur, ut constituatur atque se exerere possit natura seu principium operationis unumquodque individuum constituens, vel complexus omnium naturarum creatarum aut creabilium. Unde, per *exigentias*, significatur quidquid creatura *recipere debet;* et hoc ordinarie nuncupatur *debitum naturæ;* v. g., in homine, naturale est quidquid pertinet ad hominis *constitutionem*, puta, anima et corpus, ac proinde facultates, saltem in aliquo gradu, sentiendi, cogitandi, libere sese determinandi, sese movendi, etc.

Dicitur 2 : *secundum vires* seu potentiam activam; quibus comprehenditur quidquid natura creata aut creabilis, vel collectio creaturarum *efficere potest*, et per hanc actionem *consequi*. Res, quam creatura rationalis per suam actionem naturalem consequitur seu promeretur, vocari solet *debitum personæ*[1] : v. g., in homine naturale est quid-

1. Non dicitur debitum naturæ vel personæ ex parte Dei, eo sensu quod Deus creaturæ *obligetur*, sed potius quod obligetur sibimetipsi. Scilicet, si Deus decrevit aliquam naturam talem finem consecuturam esse, modo talia operetur, patet Deum

quid est proprius *effectus* naturæ humanæ, uti perceptio primariorum principiorum, actus memoriæ, perceptio corporum, amor parentum, amor Dei ope virium naturæ humanæ propriarum eliciti, etc.

Itaque naturale reputatur quidquid est *pars naturæ* sive creatæ, sive creabilis, aut ex *ea defluit*, vel quidquid est *pars naturarum*, sive creatarum, sive creabilium, collective sumptarum, aut ex hac collectione *defluit*. Ita communiter Theologi, inter quos S. Th. 1. 2, q. 10, a. 1; Suarez, d'Aguirre, Bellarm., Sylvius, Estius, Montagne.

66. — *Quæritur* 2° an naturale aliquando denominetur etiam illud, quod non est secundum exigentias et vires naturæ humanæ?

Resp. affirmative. Etenim naturale haud raro dicitur, sed improprie, 1. donum omnino gratuitum nullo modo necessarium, quod *naturam juvat* et *perficit* in operibus *mere naturalibus* : sic integritas naturæ, distincta a gratia sanctificante, n. 101, donum *naturale* dici potest, inquit Bellarm., *de Gratia*, c. 5.

2. Omne quod *propagatur cum natura* : sic justitia originalis, in se supernaturalis, n. 102, dicta fuisset, Adamo non peccante, naturalis filiis ejus, quia cum ipsa natura per generationem fuisset communicata; similiter peccatum originale, ad ordinem in se supernaturalem pertinens, nunc infantibus naturale est, eo quod per generationem naturalem eis traditur, juxta illud : *Natura filii iræ.*

3. Quod est *naturæ consentaneum*, quodque eam *ornat* et perficit; et hoc sensu gratia perficiens naturam, naturalis merito dici potest, sicuti peccatum dicitur contra naturam, ut observat S. August., *de Spir. et Litt.* c. 27.

NUMERUS III

De Ordine in genere.

67. — *Quæritur* 1° quid sit ordo?

Resp. Ordo, a voce græca ὀρθός, latine *rectus*, varie a va-

sibimetipsi *debere* quod tribuat quidquid necessarium est ad effectum hujusmodi decreti; ita fere S. Th. 1, 2, q. 114, a. 1, ad 3.

riis auctoribus sumitur. Hic autem definiri potest : *Apta dispositio mediorum ad finem.* « Tunc unaquæque res *optime disponitur*, cum *ad finem suum convenienter ordinatur.* » S. Th., *Cont. Gent.* lib. 1, c. 1.

Itaque, ad ordinem, quatuor requiruntur, scilicet, 1. *agens* seu natura quædam, quæ operando, ad aliquid tendit, n. 60; 2. *finis* seu terminus, ad quem tendit et in quo quiescit agens; 3. *medium*, per quod agens ad finem tendit, finemque consequitur; 4. *lex* seu directio secundum quam apte disponuntur et adhibentur media ab agente, ut recte ad finem tendat, et in eo plene quiescat.

68. — *Quæritur* 2° an præfata quatuor sint inter se *connaturalia*, id est, an finis, medium et lex sint ejusdem speciei seu naturæ ac agens, et vice versa?

Resp. affirmative. Etenim 1. *finis*, quatenus in aliquo ente seu subjective consideratus, non est quid agenti extrinsecum, sed est ipsius agentis ultima evolutio, seu ipse agens quatenus sub omni respectu terminatus : « *Actio*, quæ *manet in agente*, est *perfectio agentis*, ut *intelligere, sentire, velle;* actio autem quæ transit in exteriorem materiam, non est perfectio agentis quod movet, sed *ipsius moti;* » S. Th. 1 p. q. 18, a. 3, ad 1. — « Unaquæque substantia agit propter aliquem finem *proprium, qui est ejus perfectio;* » Card. Zigliara, *Cosm.*, n. 20. Ergo finis ejusdem est speciei ac ipse agens.

Revera, finis arboris est fructus seu arbor plene fructificans : atqui arbor hic et nunc plene fructificans, est ipsamet ultima evolutio principii vitalis, quod arborem constituit; ergo finis arboris est ipsius arboris ultima evolutio.

Similiter finis hominis est plena et consummata cognitio et dilectio Dei cum pleno corporis concursu : atqui hujusmodi cognitio et dilectio est ultima evolutio principii vitalis, quod hominem constituit sive in esse naturali, sive in esse gratiæ, posito fine supernaturali; ergo finis hominis est hujusce perfecta et ultima evolutio.

2. *Medium* autem proprie dictum seu intrinsecum, nihil

aliud esse potest, quam ipsius agentis operatio et evolutio quædam nondum perfecta et consummata, qua ad ultimam suiipsius evolutionem tendit, eamque consequitur agens ; ergo medium ejusdem est speciei ac agens et finis.

Et vero, arbor fit perfecte fructificans seu finem suum attingit; per successivam evolutionem ipsius principii productivi, quod arborem constituit. Similiter homo ad finem seu ad consummatam Dei cognitionem et amorem tendit et pervenit per actus nondum omnino perfectos ejusdem cognitionis et amoris. Ergo medium est quædam evolutio ipsius agentis seu principii ; finis autem est immediate perfecta evolutio medii, et mediate perfecta evolutio principii ; ac proinde tria illa ejusdem sunt speciei.

3. *Lex* est directio ita agenti, fini et mediis accommodata, ut agens, si secundum illam directionem media adhibeat, infallibiliter et perfecte finem consequitur ; ergo lex ejusdem est speciei ac agens, medium et finis, alioquin hisce tribus non esset proportionata, nec ideo illa tria dirigere seu regulare posset.

Proinde *ordo*, cum quatuor illis elementis constet, ejusdem est speciei ac agens, finis, medium et lex.

Itaque ex specie agentis, infertur species finis, medii, legis et ordinis, et vice versa ; siquidem, ex jam dictis, quinque illa sunt ejusdem speciei.

69. — Hinc natura quælibet ad aliquem ordinem pertinet.

Etenim natura quælibet est speciale operationis principium seu agens aliquis, n. 60 : atqui omne agens, in agendo, ad aliquem terminum seu finem tendit, per aliquod medium, et secundum aliquam directionem non minus permanentem, ac ipse agens et hujus finis ; ergo natura quælibet ad aliquem ordinem pertinet.

NUMERUS IV

De Ordine naturali, et universalis naturæ.

70. — *Quæritur* 1° quid sit ordo *naturalis* ?

Resp. Naturalis ordo est apta accommodatio *mediorum*

naturalium ad finem naturalem; id est, posito quod agens seu aliqua natura se exerat *propriis* tantum viribus, eo ipso tendit ad finem talibus viribus porportionatum seu naturalem, per media et secundum legem eodem modo naturalia, n. 65, 68, ac proinde talis agens in ordine naturali remanet : v. g., homo intra limites ordinis naturalis concluditur, si tendat ad finem suæ naturæ proportionatum, per vires sibi proprias, secundum legem tali fini, talibus viribus accommodatam.

Revera, ex dictis, n. 67, 68, ordo in genere est apta dispositio mediorum ad finem, ita ut, ex specie sive mediorum, sive finis, inferatur ipsius ordinis species : porro hic sumuntur media et finis naturalia; ergo illorum mediorum ad hunc finem apta dispositio est ordo naturalis.

71. — Hinc, in ordine naturali, *medium* est ipsum exercitium principii operationis quod individuum constituit, seu virium unicuique naturæ individuali *essentialium*; *finis* autem est ejusdem exercitii seu illarum virium ultima evolutio; *agens* proinde est sola natura creata; tandem *lex* est directio constans unicuique naturæ individuali accommodata. Hæc colliguntur ex ipsa notione medii, finis, agentis, legis et ordinis, n. 68. Modus ille agendi constans peculiaris agentis in ordine ad proprium finem, dicitur *ordo* naturæ *peculiaris*.

72. — *Quæritur* 2° quid sit ordo *universalis naturæ?*

Resp. Naturæ ordo est *apta dispositio omnium creaturarum collective sumptarum ad finem omnibus communem assequendum.*

Videlicet, Deus, ut rebus gubernatis major inesset perfectio, earum multiplicitati et varietati eumdem finem communem assignavit, ad quem assequendum res contingentes alias aliarum causas constituit; quæ propterea dicuntur *causæ secundæ*. Major enim perfectio est, quod aliquid in se sit bonum et etiam sit aliis causa bonitatis, quam si esset solummodo in se bonum. Unde ista *lex* est divinita-

tis *immobiliter firmata*, ut *inferiora reducantur in Deum per superiora*. S. Th. 1 p. q. 103, a. 6.

Hujusmodi causæ agunt in invicem juxta gradum virium unicuique mere naturalium, et ideo vocantur causæ secundæ *naturales*. Proinde eædem causæ, juxta gradum virium unicuique naturalium, constituuntur in aliqua subordinatione, ita ut una sit medium pro alia, et pro ista alia sit finis proximus; sicque omnes illæ causæ collective sumptæ efformant ordinem rerum contingentium naturalem : v. g., homo granum frumenti seminat, pluvia terram madefacit, sol in terra madefacta semen facit germinare, crescere, fructificare; frumentum sic productum nutrit corpus humanum; hoc corpus inservit animæ; anima inservit Deo. Modus ille omnium substantiarum creatarum per fines sibi proprios conspirantium in finem communem, dicitur *ordo universalis* naturæ. Jugis autem consecutio effectuum, qui a creaturarum viribus producuntur, significatur nomine *cursus naturæ*. Card. Zigliara, *ibid.*

§ II

De notionibus ad ordinem Supernaturalem attinentibus.

Dicemus de supernaturali, de ordine supernaturali, de supernaturalitatis speciebus.

NUMERUS PRIMUS

De Supernaturali.

73. — *Quæritur* 1° quid sit *Supernaturale?*

Resp. Supernaturale[1] idem sonat ac *supra naturam*, atque definitur : *Id quod superat exigentias et vires causa-*

1. Vox *supernaturale* usu satis recens est, quamvis idea illo verbo expressa semper admissa fuerit. Equidem sumitur aliquando a S. Dionys. et S. Joan. Damasc., *de Fide orth.*, lib. 4, c. 14, in eodem sensu ac in hoc Tractatu. Attamen Ecclesia suis definitionibus apud antiqua tempora nec usum, nec sensum hujus verbi consecravit. Pius V, in Bulla contra Baium, illo verbo usus est, sicque ei tribuit valorem realem, quin tamen dogmaticum, ut verborum *Incarnatio, transsubstantiatio;* eo quod Bulla illud non adhibuit nisi consequenter ad damnationem erroris contrarii; vide infra, n. 138. Apud vero recentes Theologos jam vulgare est; atque Conc. Vaticanum, in suis declarationibus illo verbo sæpe sæpius utendo, ejus valorem dogmaticum plane consecravit.

ram secundarum seu *naturarum creatarum, aut etiam creabilium.*

Dicitur 1 : quod superat *exigentias*, id est, quod nullo modo debetur alicui creaturæ individuali, nec collectioni creaturarum, ut in propria natura constituantur, atque ut in proprium hujusce naturæ actum erumpere possint ; et ita excluditur omne *debitum naturæ*, n. 65.

Dicitur 2 : quod supra *vires*, id est, effectus et finem, qui nec perfici, nec obtineri, nec ideo promereri possunt per solum operationis principium cujusque individui constitutivum, nec per potentiam activam omnium creaturarum collective sumptarum. Unde excluditur, pro creaturis rationalibus, omne meritum seu *debitum personæ*, n. 65.

Et vero, naturale dicitur quidquid est secundum exigentias, et vires creaturarum, sive sigillatim, sive collective sumptarum, n. 65; ergo supernaturale est quidquid hujusmodi exigentias et vires superat.

Dicitur 3 : *naturarum creatarum* ; hoc verbo indicatur id, quod est supernaturale *relative* saltem ad naturas *de facto* creatas, et quod propterea nuncupatur supernaturale *relative*, ut infra, n. 81.

Dicitur 4 : *aut etiam creabilium* ; qua voce innuitur id, quod supernaturale est relative ad quascunque creaturas non solum de facto existentes, sed etiam *possibiles*; et quod idcirco vocatur supernaturale *absolute*, ut infra, n. 82.

74. — *Quæritur* 2° an supernaturale, in ipsis creaturis sumptum, non sit *substantia* quædam, sed solum *accidens* alicujus naturæ contingentis ?

Resp. affirmative. Etenim supernaturale, in ipsis creaturis sumptum, est quid ipsas creaturas afficiens, eisque tanquam subjecto inhærens : atqui accidens tantum, non vero ulla substantia, inesse potest alicui creaturæ seu naturæ contingenti tanquam subjecto, ut per se patet ; ergo supernaturale, in ipsis creaturis sumptum, est accidens seu modus ex se transitorius aut stabilis alicujus naturæ contingentis ; sic, v. g., miraculum, Incarnatio Verbi divini, gratia sanctificans, non sunt aliqua substantia, sed accidens

transitorius aut ex se permanens alicujus naturæ contingentis.

NUMERUS II

De Ordine supernaturali.

75. — *Quæritur* quid sit *Ordo supernaturalis?*

Resp. *Ordo supernaturalis est apta dispositio mediorum supernaturalium ad finem supernaturalem.*

Etenim, ex dictis, n. 67, 68, ordo, in genere, est apta dispositio mediorum ad finem, ita ut ex specie sive mediorum, sive finis, inferatur ipsius ordinis species; porro hic sumuntur media et finis supernaturalia; ergo illorum mediorum ad hunc finem apta dispositio est ordo supernaturalis.

76. — Hinc 1°, in ordine supernaturali, *medium* intrinsecum est aliquod exercitium seu actus superans vires alicujus naturæ creatæ, aut omnium creaturarum; *finis* autem est ultima evolutio exercitii seu actus ejusdem speciei; *agens* proinde est aliqua quidem natura creata, sed *elevata* ad *modum essendi* et *operandi*, qui excedit tum vires illius naturæ constitutivas, tum ideo harum virium modum essendi et operandi; *lex* denique est constans directio tali supernaturali modo essendi et operandi accommodata. Hæc constant ex dictis, n. 67, 68, 70, 71, 73.

77. — Hinc 2°, dato *fine* supernaturali, eo ipso adsunt et media, et agens, et lex vere supernaturalia, alioquin illius finis consecutio esset impossibilis, n. 68. Quare « finis est quasi *prima radix* et *fundamentum* totius ordinis *gratiæ* omniumque *supernaturalium* donorum, » ait Suarez, *de Deo, præfatio*, et lib. 2, c. 9, n. 1.

78. — Hinc 3° *media constanter* supernaturalia per se indicant finem supernaturalem, ideoque agens et legem ejusdem ordinis.

Finis enim est ultima mediorum evolutio, n. 68; ergo media constanter supernaturalia habere debent ultimam

ejusdem speciei seu ordinis evolutionem; alioquin finis non esset mediis proportionatus seu vere finis.

Dixi: *constanter* supernaturalia. Namque, si aliquid supernaturale esset medium tanquam per accidens, exinde inferri non posset finis ultimus vere supernaturalis. Finis enim simpliciter est ultima evolutio mediorum, quæ *per se* ad illum finem perducunt; ergo natura finis infertur tantum ex mediis constanter adhibitis ad illum assequendum.

79. — Hinc 4° *status* ex se constans et vere supernaturalis alicujus naturæ creatæ, indicat hanc creaturam ad finem supernaturalem destinari, per operationem et secundum legem ejusdem ordinis assequendum.

Nam fieri non potest, quod agens constanter debeat esse in modo essendi et operandi vere supernaturali, quin actio et ultima evolutio hujusce operantis sit vere supernaturalis, n. 76.

NUMERUS III

De Supernaturalis speciebus.

Aliquid potest esse supernaturale *relative* tantum, vel *absolute*.

PUNCTUM PRIMUM

De Supernaturali relative.

81. — *Quæritur* qui sit *relative* supernaturale?

Resp. Supernaturale *relative* est illud, 1. quod superat exigentiam et vires *alicujus* tantum naturæ individualis, non autem *cujuslibet* aut *totius* naturæ de *facto creatæ*; vel 2. quod superat quidem exigentiam et vires cujuslibet aut totius naturæ *de facto* creatæ, non autem *creabilis*.

Sic, v. g., vires animalis alicujus sunt supernaturales *relative* ad vires plantæ cujuslibet; quantumvis enim multiplicentur vires plantæ, nunquam æquivalere poterunt viribus alicujus animalis, n. 60. Similiter vires Angelo naturales sunt supernaturales *relative* ad vires naturæ humanæ; sic videre substantiam spiritualem est quid Angelo naturale; supernaturale autem respectu hominis mortalis.

Insuper, Deus sine dubio creare potest individua, quibus naturales forent operationes, quæ supernaturales essent relative ad singulas et omnes creaturas *de facto* creatas.

Porro de supernaturali relative *saltem* ad omnes naturas *de facto* creatas hic agitur. Certum est enim supernaturale, ad quod homines et Angeli elevantur per gratiam et gloriam, excedere exigentias et vires cujuslibet naturæ et etiam totius naturæ de *facto* creatæ.

Dixi : *Saltem relative ad omnes naturas de facto creatas.* Nam, juxta fere omnes Theologos, idem illud supernaturale per gratiam et gloriam hominibus et Angelis concessum, excedit exigentias et vires cujuslibet naturæ et etiam totius naturæ *creabilis*, atque est supernaturale *absolute*, ex subsequentibus, n. 86.

PUNCTUM II

De Supernaturali absolute.

82. — *Quæritur* 1° quid sit supernaturale *absolute*, et quotuplex?

Resp. Supernaturale *absolute* illud est, quod *aliquo modo* superat *exigentias* et *vires cujuslibet* aut *totius* naturæ non solum de facto *creatæ*, sed etiam *creabilis;* atque adeo, sub respectu quo supernaturalis est, res illa in nulla hypothesi, etiam ex omnipotentia Dei, fieri potest naturalis. Tale est supernaturale proprie dictum, quale supra definitum est, n. 73.

Duplex est supernaturale absolute, scilicet, vel *secundum quid* seu quoad *modum* duntaxat, vel *simpliciter* seu quoad *substantiam.*

83. — *Quæritur* 2° quid sit supernaturale *absolute quoad modum?*

Resp. Supernaturale *absolute quoad modum* est quid *in se* seu quoad substantiam mere *naturale*, sed productum *modo* excedente vires cujuslibet naturæ aut totius naturæ creatæ et creabilis; ita ut, attentis et modo quo fit, et circumstantiis in quibus perficitur, et moralibus effectibus quos per se producit, opus illud soli Deo immediate seu absque naturali causarum secundarum interventu, tribuen-

dum sit, v. g., mortui resurrectio ad probandam originem divinam Religionis Christianæ, constantia Martyrum, mirabilis propagatio Revelationis Christianæ; vide Tract. *de Revelat.*, n. 85, 99, 103, 230, 232, etc.

Hujusmodi supernaturale ordinarie nuncupatur *secundum quid*, utpote quid supernaturale *non in se*, sed duntaxat quoad *modum*; vel etiam *miraculosum*, *præternaturale positive* seu *contranaturale*, quia rebus aut actuali rerum ordini inest aliquid, quod postulat *aliter* aut *contrario* fieri; et de illo actum est in Tract. *de Revelat.*, n. 85 et seq. Adhibetur enim immediate tanquam criterium *facti* divinæ revelationis, et ideo mediate tanquam criterium ordinis supernaturalis quoad substantiam a Deo hominibus revelati et concessi. Quare illud iterum sed obiter attingemus, n. 351, *gratias gratis datas* indicando.

84. — *Quæritur* 3° quid sit supernaturale *absolute quoad substantiam?*

Resp. Supernaturale *absolute quoad substantiam* illud est, quod *in se* excedit *exigentias et vires entium creatorum et creabilium*. Magis explicite et in concreto definitur : *Eximia quædam divinitatis communicatio et participatio facta creaturæ intellectuali, per specialem cum Deo conjunctionem et unionem*; v. g., unio hypostatica Verbi cum natura humana, gratia et gloria concessa Angelis et hominibus sanctis.

Cæterum patet supernaturale absolute quoad *substantiam*, esse etiam supernaturale absolute quoad *modum*, quo fit aut demonstratur, et propterea dicitur supernaturale *simpliciter*, id est, sub omni respectu. Fit, scilicet, *præternaturaliter negative* seu *extranaturaliter*, quatenus non reluctante natura, sed potius *extra*, quam *contra* naturam; v. g., *modus* quo *fit* unio hypostatica verbi cum natura humana, justificatio impii, operatio sacramentorum, transsubstantiatio; S. Th. 1-2, q. 113, a. 10. Demonstratur autem ope supernaturalis *relative* seu *præternaturalis positive*, ex dictis in Tract. *de Revel.* n. 108, *de Fide*, n. 108.

85. — *Quæritur* 4° *quotuplici modo fieri* possit supernaturale *absolute quoad substantiam?*

Resp. Duplici modo, scilicet, *physice* seu per unionem hypostaticam, vel *moraliter* seu per gratiam gratum facientem.

1° *Unio hypostatica*, quæ physice supernaturale constituit, est *unio duplicis naturæ, divinæ et creatæ, in unica persona divina*, qualis, v. g., facta est per Incarnationem Verbi. Patet enim hujusmodi unionem nullo modo fieri posse naturalem alicui creaturæ, alioquin hæc esset quoad personam *naturaliter* divina seu Deus ipse. De hoc supernaturali jam dictum est in Tract. *de Incarn.*, n. 40 et seq.

86. — 2° *Gratia gratum faciens* ea est, qua quis in seipso gratus Deo et ad vitam æternam acceptus redditur, sive *dispositive*, si sit gratia actualis, sive *formaliter*, si sit gratia habitualis, n. 96. Juxta communem Doctorum sententiam, illa gratia est absolute supernaturalis, atque consistit in speciali communicatione et participatione naturæ et vitæ divinæ, ut infra dicetur, n. 186, 199.

Hæc autem communicatio et participatio naturæ et vitæ divinæ spectari potest quatenus facta in statu *viæ*, vel in statu *patriæ*, seu ut medium, vel ut finis : si prius, dicitur *gratia* simpliciter ; si posterius, *gloria* simpliciter aut *vita æterna* nuncupatur.

Gratia igitur est *initium, inchoatio* et *semen* illius communicationis et participationis naturæ et vitæ divinæ, qua intellectualis creatura fit accidentaliter *deiformis, deifica.*

Gloria vero est ejusdem communicationis et participationis *terminus*, *consummatio* et *perfecta evolutio* seu finis. Porro de ejusmodi gratia et gloria in præsenti Tractatu agitur.

87. — Hinc 1. *gratia* et *gloria* ad *eumdem ordinem* pertinent.

Nam, ex dicendis in toto decursu hujusce Tractatus, gratia est medium constanter adhibitum et per se solum sufficiens ad gloriam seu vitam æternam consequendam; atque gloria constanter perhibetur ut merces, terminus et ultima evolutio gratiæ; ergo utraque ad eumdem ordinem perti-

nent; atque ex supernaturalitate gratiæ inferri potest supernaturalitas gloriæ, et vice versa, n. 68, 77, 78, 79.

88. — Hinc 2. duplex est ordo absolute supernaturalis, nempe, unio hypostatica Verbi cum natura humana, et gratia gratum faciens. Prior est altior et excellentior; posterior vero, saltem de facto, pendet a priori, siquidem *gratia per Jesum Christum facta est*, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 220, 222, 244, 247 [1].

89. — Hinc 3. ordines inferiores, sive naturalis, sive supernaturalis relative, sive præternaturalis, ad ordinem gratiæ et gloriæ, atque finaliter ad ordinem unionis hypostaticæ referuntur, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 223, 250. Revera, ut jam innuimus, n. 72, ista lex est divinitatis immobiliter firmata, ut inferiora reducantur in Deum per superiora.

90. — *Nota.* Ex præfatis notionibus, et ex dictis in Tract, *de SS. Trinitate* et *Incarn.*, jam inferre possumus, in triplici gradu fieri communicationem vitæ divinæ, scilicet, a persona divina alteri personæ divinæ in unitate naturæ, per processionem Filii et Spiritus Sancti in Deo; a natura divina naturæ humanæ in unitate personæ divinæ, per unionem hypostaticam Verbi cum natura humana; a natura divina naturæ humanæ in communione vitæ, cum dictinctione naturarum et personarum, per gratiam et gloriam, de quibus nunc disserendum habemus.

1. Juxta plures, inter quos Card. de Berulle, *maternitas divina* constituit ordinem *specialem*, inferiorem unione hypostatica, superiorem vero ordine gratiæ. S. Thomas eamdem divisionem admittere videtur, cum dicit : « Humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo, et beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei, et Beata Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quamdam *dignitatem infinitam* ex bono infinito, quod est Deus. Et ex hac parte non potest aliquid fieri *melius*, sicut non potest aliquid melius esse Deo; » 1 p. q. 25, a. 6., ad. 4. Equidem maternitas divina est specialis generis; attamen non est finis quidam, sed medium unionis hypostaticæ, a qua separari nequit; et ideo non constituere videtur ordinem ab Incarnatione distinctum. Vide Tract. *de Incarn.*, n. 311; Suarez, *de Deo*, lib. 3, c. 9.

§ III

De notionibus ad specialem ordinem Gratiæ attinentibus.

Dicemus 1° de notione, 2° divisione gratiæ, 3° de variis statibus naturæ humanæ relative ad gratiam, 4° de synopsi dogmatis catholici circa ordinem gratiæ.

NUMERUS PRIMUS

De notione Gratiæ.

91. — *Quæritur* 1° quid sit *gratia* quoad *nomen?*

Resp. Gratia idem sonat ac *gratis datum*; atque ideo tria significat, quæ gratis dantur, videlicet, 1. *amorem* dantis, seu causam doni gratis collati: 2. ipsum *donum* in recipiente, seu effectum amoris; 3. *gratitudinem* recipientis ad gratis dantem, seu effectum doni gratis collati et recepti.

Et quidem 1, amor est primum donum, quod quis alteri gratis conferre potest, atque radix et causa aliorum donorum; ex amore enim, quo aliquis habet alium gratum, procedit quod aliquid ei impendat. In hoc sensu dicitur: *invenire gratiam* apud Deum, *inire gratiam* cum aliquo, *recipi* aut *restitui in gratiam* seu amicitiam.

2. Res ipsa ex amore gratis data, communius et magis proprie vocatur *gratia;* in hoc sensu dicitur: hanc tibi concedo *gratiam* seu rem prorsus indebitam. Unde qualitas divina, qua intellectualis creatura fit amabilis seu grata apud Deum, nuncupatur *gratia,* quia est divini amoris effectus omnino gratuitus. In hoc ultimo sensu sumitur vox *gratiæ* in præsenti Tractatu.

3. Denique, gratitudo, utpote recompensatio beneficii gratis dati, dicitur *gratia,* seu *gratiarum actio*, *gratia pro gratia.* Unde ortæ sunt locutiones, *habere*, *referre*, *agere*, *reddere gratiam*, *gratia gratiam parit.* S. Th. 1. 2, q. 110, a. 1. Suarez, *Proleg.* 3, c. 1, n. 3, 4.

92. — *Quæritur* 1° quid sit *gratia* quoad *rem?*

Resp. 1. Gratia latissimo sensu definitur: *quodlibet donum gratis concessum,* seu omne quod datur *citra dantis de-*

bitum et *jus accipientis*, cujuscunque sit ordinis, sive supernaturalis, sive mere naturalis.

Hoc sensu, gratia dici potest omnis amor Dei erga creaturas, vel quodlibet bonum ex illo amore procedens; v. g., æternus Dei amor, quo homines diligit ad vitam etiam *naturalem*, et ideo creatio, conservatio, liberum arbitrium, firma valetudo, aliæque animi dotes et corporis. Quidquid enim a Deo datur ad extra, est prorsus indebitum et gratis collatum; S. Th. 1. 2, q. 110, a. 1. Et revera quidam hæretici, inter quos Pelagiani et Semipelagiani, de donis mere naturalibus nomen *gratiæ* intellexerunt; atque hac vocis ambiguitate pluribus catholicis turpiter illuserunt, n. 115.

93. — Stricto sensu gratia definiri solet : *donum supernaturale, ad finem supernaturalem creaturæ intellectuali concessum a Deo, intuitu meritorum Christi.*

Dicitur 1. : *donum*, ad genus exprimendum; nomen enim istud generatim convenit Dei beneficiis, sive naturalibus, sive supernaturalibus; attamen apprime et quasi antonomastice valet ad designanda bona supernaturalia [1].

Dicitur 2 : *supernaturale*, id est, aliquo modo pertinens ad illum ordinem, qui excedit exigentias et vires hominis lapsi, ut de fide est; et etiam hominis ante peccatum originale, atque ipsorum Angelorum, ut certum est; imo et cujuslibet creaturæ creabilis, juxta fere omnes Theologos; n. 73, 85, 86, 199.

Dicitur 3 : *ad finem supernaturalem*, qui, scilicet, excedit exigentias et ultimam evolutionem virium sive hominis lapsi, sive hominis non lapsi et Angelorum, sive cujuslibet creaturæ creabilis, ut jam dictum est. Unde hic agitur de gratia, quæ constituit ordinem vere supernaturalem, atque ideo implicat quatuor hujusce ordinis elementa, nempe

1. Ut proprie donum adsit, quatuor requiruntur, nempe, donator, donatarius, res donata, et relatio gratuitatis inter donatorem et donatarium. Porro Deus creat, sed non *dat* proprie existentiam; siquidem non præexistit donatarius ad illam accipiendam. E contra vero supernaturale semper præsupponit naturam cui *superaddatur*, et ideo donatarium, a quo libere aut saltem personaliter acceptetur; ergo donum apprime et magis proprie valet ad designanda bona supernaturalia.

agentem, medium, finem atque legem, quæ superent exigentias et vires cujuslibet naturæ de facto creatæ aut etiam creabilis, juxta fere omnes; n. 13, 68, 75, 77.

Dicitur 4 : *creaturæ intellectuali concessum ;* quibus designatur illius gratiæ subjectum, videlicet, hominem et Angelum [1]. Donum enim supernaturale est essentialiter specialis modus cujusdam naturæ intellectualis, n. 85, 86; ergo sola creatura rationalis esse potest gratiæ subjectum.

Dicitur 5 : *a Deo*, qui est causa *efficiens* gratiæ, de qua agitur, cum superet vires creaturæ cujuslibet; n. 13.

Dicitur 6 : *intuitu meritorum Christi*; quibus significatur causa gratiæ *meritoria*. Nam, ex dictis in Tract. *de Incarn.* n. 220, 224, 247, de fide est, post peccatum originale, nullum supernaturale donum hominibus fuisse concessum, nisi intuitu meritorum Christi; atque idem communiter sentiunt Theologi de supernaturalibus donis Adamo innocenti et Angelis collatis; n. 13.

NUMERUS II

De Gratiæ divisione.

94. — 1° Gratia jam definita, dividitur *in gratis datam*, et *gratum facientem* [2].

Prior alicui datur *per se* et primario *ad aliorum utilitatem*, seu ad aliorum supernaturalem cum Deo conjunctionem *promovendam*; v. g., donum patrandi miracula, donum prophetiæ, potestas conferendi Sacramenta, etc. Attamen

1. Omnes SS. Patres et Theologi eodem modo loquuntur de gratia in Angelis et hominibus, ita ut sit in utrisque ejusdem rationis. Quia vero humana natura nobis est magis familiaris, atque pluribus titulis ac modis indiget gratia, quam Angelica, ideo de rationali seu humana natura sermonem semper facimus; doctrina autem facile poterit ad Angelicam cum proportione applicari, ut jam actum est in Tract. *de Angelis*, n. 35, 36, 41.

2. Hic non indicamus gratias quæ *externæ* dicuntur, nimirum, 1. Incarnatio et Redemptio, de quibus actum est in Tract. *de Incarn.*; 2. Sacramenta et sacrificium Missæ, de quibus disseritur in Tractibus *de Sacramentis*; 3. Evangelii prædicatio, miracula Christi et Sanctorum exempla, omnes occasiones bene operandi a Deo specialiter præparatæ, vel remotio occasionum peccandi; quæ enim non sunt gratiæ nisi quatenus adnectuntur gratiæ interiori, scilicet, excitanti et adjuvanti, n. 97, 293; quare de his agitur simul ac de ista excitante et adjuvante gratia.

secundario et per accidens, videlicet, ex intentione operantis ordinari potest ad bonum proprii subjecti; v. g., qui habet donum scientiæ, eo bene uti potest ad propriam salutem.

Talis gratia pertinet ad *præternaturale*, n. 83; atque, eo quod sit minus perfecta quam gratia gratum faciens, nomen omni gratiæ commune retinet. De ea aliquid dicemus in Appendice, n. 351.

Posterior *per se* et primario ad *propriam cujusque salutem* ordinatur; siquidem ipsum hominem Deo conjungit, et supernaturaliter gratum facit. Unde pertinet ad supernaturale quoad *substantiam*, n. 86, atque ex suo speciali et excellentiori effectu denominatur. De ea proprie agitur in hoc Tractatu.

95. — 2° *Gratia gratum faciens* est *viæ* vel *patriæ*, seu medium aut finis, inchoata vel consummata; n. 86.

Licet utraque sit ejusdem ordinis, n. 87, tamen prior retinet nomen commune, et dicitur *gratia* simpliciter; posterior vero *gloria* simpliciter seu vita æterna nuncupatur. Revera 1. gratia viæ est imperfecta in *modo*, perfecta autem gratia patriæ; ergo ad illam potius pertinet nomen commune; hæc autem melius designatur ex speciali et excellentiori effectu. 2. Gratia patriæ est *corona justitiæ*, nec habet rationem gratiæ, nisi quia procedit ex meritis fundatis in gratia viæ; e contra vero gratia viæ prævia est omni merito; ergo in ea simplicius et perfectius invenitur ratio gratiæ.

96. — 3° Gratia gratum faciens *viæ*, seu gratia simpliciter, est *habitualis* vel *actualis*.

Habitualis gratia est quid supernaturale *per modum habitus* seu *qualitatis permanentis inhærens* animæ, *eamque disponens et dirigens ad vitam æternam*.

Talis est gratia quam conferunt sacramenta; vel qua interius renovatur et justificatur peccator, qui elicit actum charitatis aut contritionis perfectæ; vel qua interius magis ac magis sanctificatur et perficitur Justus, qui elicit actus meritorios; n. 300, 301, 345.

Actualis gratia est *auxilium transiens,* quo Deus *illustrat, excitat* et *adjuvat* creaturam intellectualem ad *eliciendos actus supernaturales.* Dicitur *actualis,* quia datur per modum *actus* seu *motionis* Dei *transeuntis;* continetur autem sub *gratia gratum faciente,* eo quod per actus, ad quos ordinatur, gratia sanctificans acquiritur vel augetur; denique ab ipso *actu* distinguitur tanquam via ad illum, vel saltem ut motio influens in illum. Suarez, *Proleg.* 3, c. 6.

97. — 4° *Actualis* gratia est *excitans* vel *adjuvans.*

Excitans gratia, seu *præveniens, præparans, operans,* est auxilium supernaturale quo Deus *intellectum illustrat,* et *voluntatem excitat* ad eliciendos actus *liberos* et *supernaturales :* v. g., quis peccator, audiens verbum Dei, illuminationem et motum *experitur* ad concipiendam pœnitentitam : hujusmodi illuminatio seu bona cogitatio et motio, quæ præcedunt liberum consensum, eumque sollicitant, sunt gratia excitans; n. 287, 293. Itaque 1. hæc gratia non est quid homini extrinsecum, sed est *actus* quidam intellectus et voluntatis; 2. hujusmodi actus non est in nobis *liber,* sed a Deo producitur *in nobis* et nobiscum physice et necessario operantibus, ac proinde *sine nobis* quatenus actu liberis; propterea merito habetur ut actus *primo-primus* in ordine supernaturali.

Dicitur autem *excitans* et *vocatio Dei,* quia hominem non cogitantem et quasi sopitum vocat et excitat ad bonum salutare; *præveniens* et *præparans,* quia prævenit et præparat salutarem libertatis usum; *operans,* quia Deus per illam operatur in homine solus, id est, sine libera hominis operatione; *illuminatio,* quia ab intellectu incipit, aliquid menti manifestando; *inspiratio,* vel quia venit a Spiritu Sancto, qui, ubi vult, spirat, vel quia voluntatem etiam excitat et movet : unde *tactus* cordis seu voluntatis aliquando appellatur.

Attamen gratia dicitur *præveniens,* non solum relative ad consensum libertatis, ut jam vidimus, sed etiam relative ad gratiam *adjuvantem,* quæ ideo *subsequens* nuncupatur; vel relative ad quamlibet aliam gratiam subsequentem;

vel denique eo quod prævenit omne meritum. In hoc ultimo sensu vox gratiæ *prævenientis* sæpe sæpius usurpatur a S. August., et eadem significatione illam adhibuit. Conc. Trid., n. 11, 25.

Adjuvans gratia, seu *cooperans, concomitans*, est auxilium quo Deus *voluntatem gratiæ excitanti libere consentientem adjuvat,* atque *concurrit nobiscum ad omnes et singulos actus supernaturales ac liberos* : v. g., quis peccator, audiens verbum Dei, illuminationem et motionem ad pœnitentiam concipendam experitur, et statim actum pœnitentiæ libere ilicit : illuminatio et motio, quæ præcedunt hunc actum liberum pœnitentiæ, sunt gratia excitans; concursus autem divinus, sivo luminis, sive impulsionis, quo revera elicitur ille actus liber pœnitentiæ, est gratia adjuvans.

Itaque 1. iste consensus liber et supernaturalis est ipsemet actus voluntatis, ad quem *excitans* gratia movet et sollicitat voluntatem. 2. Ideo gratia *adjuvans* præsupponit excitantem uti medium : siquidem nihil supernaturale vult libere voluntas, nisi jam illustrata et excitata per gratiam excitantem. 3. Similiter, cum datur excitans gratia, semper præsto est gratia adjuvans ut finis : excitans enim gratia non datur a Deo, nisi ut voluntas, ope gratiæ adjuvantis, libere et supernaturaliter agat.

Adjuvans gratia dicitur etiam *cooperans, concomitans,* quia est nobiscum libere consentientibus, ita ut anima nostra et sese moveat et moveatur, sicque operatio sit *Dei simul et animæ.*

98. — 5° *Actualis* gratia est etiam vel *sufficiens*, vel *efficax*.

Sufficiens gratia ea est, quæ *hic et nunc veram et expeditam potestatem dat voluntati ad consensum supernaturalem*, et ideo ad superandam hic et nunc titillantem concupiscentiam, sed *cui* tamen *voluntas sua culpa resistit*. Quæ igitur gratia ex culpa hominis remanet solum *excitans* : v. g., quis peccator, audiens verbum Dei, illuminationem et motionem ad pœnitentiam concipiendam experitur, et nihilominus tali sollicitationi resistit, nec pœnitentiæ actum eli-

cit : illa illuminatio et motio sunt gratia sufficiens tantum.

Duplex est, pro duplici potentia, quam confert, *immediate* vel solum *mediate sufficiens*. Prior dat posse immediate et proxime præceptum adimplere, et concupiscentiam vincere; posterior autem confert potentiam orandi ad uberius impetrandum auxilium, ut voluntas actu vincat prementem concupiscentiam, præceptumque urgens adimpleat, 287, 294.

Efficax gratia, prout sufficienti opponitur, ea est *cui de facto* vel etiam *infallibiliter*, licet *non necessario, voluntas consentit;* et ideo hujusmodi gratia est *adjuvans :* v. g., quis peccator, audiens verbum Dei, illuminationem et motionem ad pœnitentiam concipiendam experitur, atque revera elicit pœnitentiæ actum : gratia efficax est illa illuminatio et motio quatenus, non solum excitat, sed vere determinat liberum actum pœnitentiæ.

Utrum vero dissensus vel assensus voluntatis repeti debeat ex diversa gratiæ sufficientis et efficacis *natura*, an a *sola* hominis voluntate, non consentiunt auctores in scholis catholicis, ut in suo loco exponemus, n. 196.

Gratiæ actualis natura sive extrinseca, sive intrinseca, eadem est ac natura gratiæ habitualis, cum prior sit medium ad acquisitionem aut augmentum posterioris; et ideo de utriusque natura dicemur n. 188-199. De actuali autem gratia sive ante, sive post justificationem, agimus n. 249-298, 327-349.

NUMERUS III

De variis humanæ naturæ Statibus relative ad Gratiam.

99. — *Quæritur quid sit status* naturæ humanæ, et *quotuplex?*

Resp. Status, prout in præsenti sumitur, est *quædam conditio seu modus se habendi totius naturæ humanæ relative ad suum finem ultimum, et ideo ad gratiam.*

Quinque autem possunt esse status naturæ humanæ in *via*, scilicet, status naturæ *puræ, integræ, innocentis, lapsæ reparatæ, lapsæ non reparandæ.*

100. — 1° Status naturæ *puræ* consistit in *possessione* om-

nis boni naturæ humanæ *essentialiter debiti*, et in *privatione* omnis boni tali naturæ non essentialiter debiti. Ab hac negativa parte, natura denominatur *pura;* hic enim puritas dicit solum negationem omnis boni naturæ superadditi, eique absolute non debiti.

Unde 1. ad illum statum requiruntur omnes perfectiones, quibus *constituitur natura humana, assignatio* finis tali naturæ proportionati, et *concessio* mediorum *sufficientium* ad hunc finem consequendum.

2. Ad eumdem vere statum non essentialiter pertinent media *efficacia,* nec *perseverantia finalis,* nec ipsamet finis *assecutio,* nec immunitas ab omni *ignorantia, concupiscentia, infirmitate corporis,* et a *morte;* n. 159, 160, 169.

101. — 2° Status naturæ *integræ* includit quidquid positivum est in statu naturæ puræ, sed insuper *specialem perfectionem,* qua tolleretur *contrarietas concupiscentiæ,* et quæ idcirco non præveniret rationem, sed perfecte ei subjiceretur; n. 206. Ex hac perfectione natura dicitur *integra.* Namque, propter fomitem adversam, natura est divisa in suis naturalibus affectibus ad diversa tendentibus, et quasi manca ad recte operandum in suis moribus; composita autem in suis propriis facultatibus interna pace et concordia, jam censetur quasi *integrari*, et ita perfici, ut convenienter in suis moribus progredi possit. Ad hanc igitur perfectionem significandam, vox illa, status naturæ *integræ,* accommodata visa est.

102. — 3° Status naturæ *innocentis,* seu potius *justitiæ originalis*, complectitur omnes perfectiones status naturæ integræ, sed insuper *gratiam gratum facientem viæ, immunitatem a morte*, et, saltem probabilius, *ab errore, tristitia* et *dolore,* atque *incompatibilitatem cum peccato;* n. 201, 204, 206, 208, 210.

Dicitur 1 : status naturæ *innocentis,* tum quia secum nullam culpam compatitur, nec defectum aliquem ex his, qui nunc sunt effectus culpæ; tum eo quod, propter ejus perfectionem, aptissimus est ad servandam innocentiam; tum

eo quod designat statum primi hominis ante peccatum. 2. Dicitur etiam status *justitiæ*, vel quia innocentia est quædam justitia, vel quia supernaturalem justitiam supponit. 3. Denique status *justitiæ originalis* vocari solet, quia ab ipsa origine in illa justitia fuit homo constitutus, atque, si primus homo in hoc statu perseverasset, hujusmodi justitia per originem ad posteros dimanasset; n. 202, 229.

103. — 4° Status naturæ *lapsæ et reparatæ* ille est, in quo, 1. ex culpa primi hominis, natura humana destituitur omnibus perfectionibus status naturæ innocentis et integræ, et insuper, peccato originali infecta, omni jure ad vitam æternam privatur; sed in quo 2. Deus, ex sua misericordia, voluit nos justitiam supernaturalem posse recuperare per Christum, *in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*, Eph. 1, ỿ 7, ut vidimus in Tract. *de Incarn*, n. 220; vide infra, n. 248.

104. — 5° Status naturæ *lapsæ non reparandæ* ille est, in quo remansisset homo post peccatum originale, si Deus ex infinita sua misericordia eum non liberasset; de hoc nihil dicemus.

Quid autem doceat fides circa quatuor priores status, hic contrahere utile est.

NUMERUS IV

Synopsis dogmatis catholici circa ordinem supernaturalem.

105. — 1. Datur ordo *naturalis* ab ordine *supernaturali distinctus;* n. 23, 24, 160, 172-187.

2. *Integritas* naturæ est *indebita* naturæ humanæ; n. 2, 3, 169.

3. Adamus *pro se* et *suis posteris* constitutus est in *statu justitiæ originalis*, et ideo in statu supernaturali, atque ad finem ejusdem ordinis destinatus; n. 2, 3, 201-216, 229.

4. Adamus, *per peccatum*, *pro se* et *suis posteris amisit* statum naturæ *innocentis*, et naturæ *integritatem*, sicque constituit *naturam humanam* in statu naturæ *lapsæ;* n. 2, 3, 4, 5, 214, 217, 242, 243.

5. Status naturæ *lapsæ reparatus* est *per Christum*, qui est causa *meritoria, exemplaris* et *finalis* status naturæ *reparatæ;* et ideo homo *lapsus* nihilominus ad vitam *gratiæ* et finem *supernaturalem destinatus* remanet; n. 6, 7, 8, 9, 248.

6. In statu naturæ *lapsæ*, homo *veram libertatem peccandi* vel *non peccandi* retinet; nec cujuslibet boni *naturalis incapax* jacet, nec omnia ejus opera sine gratia peracta, sunt *totidem peccata;* n. 7, 27, 28, 29, 249-257.

7. In eodem statu, homo *nihil salutare* seu ad finem ultimum et *supernaturalem* agere potest absque auxilio *supernaturali*, et prorsus gratuito, *cui libere cooperatur*, vel dissentit; n. 11, 23, 24, 25, 26, 271.

8. Homo lapsus per actus *supernaturales se disponit* ad *supernaturalem* justitiam recuperandam; n. 11, 12, 31, 272-286.

9. Deus, pro opportunitate, auxilia *necessaria* confert *homini lapso*, præsertim fidelibus et justificatis, ut *omnes*, maxime autem fideles et justificati, *salvi fieri possint;* n. 7, 8, 9, 287-295.

10. *Justitia supernaturalis* etiam in homine lapso, consistit in *gratia habituali inhærente* animæ, eamque *renovante;* ac proinde hæc gratia habitualis superat omnes vires et exigentias cujuslibet creaturæ *saltem creatæ*, n. 13, 23, 300-326.

11. Recuperata justitia supernaturali, homo *non eximitur a lege adimplenda*, sed per opera *libera* et *supernaturalia* illam justitiam *conservat et adauget*, sicque de *condigno* meretur et consequitur finem *supernaturalem*, seu *vitam æternam;* n. 16, 17, 22, 42, 46, 48, 327-350.

12. Homo *consummatur* in gratia per gloriam sive *animæ*, quæ supponit *mortem*, *judicium particulare* et *prædestinationem*, n. 355-379, 391; sive *corporis*, quæ supponit *resurrectionem* et *judicium generale*, n. 380-390.

13. Plurimi *definitive excluduntur* a gratia et gloria, per *damnationem* et *reprobationem æternam*, n. 390-401.

ARTICULUS II

De præcipuis Erroribus circa ordinem Gratiæ.

106. — *Quæritur* 1° quænam sit ratio præsentis expositionis circa errores, qui ad ordinem gratiæ spectant?

Resp. Multiplex est hujusmodi ratio. Videlicet 1. optima alicujus notionis evolutio et interpres est ejusdem historia; et revera, præ cæteris, dogma de gratia sortitum est suam præcisionem et definitionem ex multiplici omnis generis adversariorum impugnatione. 2. Historia errorum cum eorum consectariis, est demonstratio *per absurdum* dogmatis catholici. 3. Tandem ex hac notitia historica errores tutius præcaventur, efficacius impugnantur, viaque facilior paratur ad Scripturas et testimonia Conciliorum, Patrum et SS. Pontificum intelligenda, quæ sunt in hac materia ad *directam* dogmatis catholici demonstrationem fundamenta[1].

107. — *Quæritur* 2° quænam sit radix errorum circa ordinem gratiæ?

Resp. Difficultas præcipua hujus materiæ posita est in conciliandis gratiæ necessitate ac efficacia cum libertate arbitrii; atque ideo hujus concordiæ ignorantia, aut mysterii impatiens curiositas, fere omnium errorum, qui circa gratiam exorti sunt, radix fuit et origo.

108. — *Quæritur* 3° quænam sint species errorum circa ordinem gratiæ?

Resp. Triplex est species erroris in hac materia, scilicet, *Naturalismus*, *falsus-Supernaturalismus*, et *falsus-Mysticismus*.

1. *Naturalismus* nimium tribuit actioni seu libertati ho-

1. Attamen, ob multiplicitatem errorum circa gratiam, eosque apprime intelligendi difficultatem, pluribus professoribus opportunius visum est, hanc expositionem historicam et doctrinalem non tyronum reflexioni subjicere, nisi postquam catholici dogmatis demonstrationem in quinque ultimis hujusce Tractatus capitibus evolutam, decucurrerint. Alii vero utilius duxerunt, pro prima vice, præcipua duntaxat uniuscujusque erroris capita delibare, atque ad veritatis catholicæ cognitionem acquirendam properare, cujus ope melius intelligitur oppositus error. Hæc posterior methodus anteponenda videtur, uti comprobavit experientia.

minis. Asserit enim hominem esse solum principium suarum operationum; et rejicit quamlibet gratiam supernaturalem, atque in ultimis suis consectariis cum atheismo confunditur.

2. *Falsus-Supernaturalismus* e contra nimium tribuit actioni divinæ seu gratiæ. Nam propugnat Deum solum esse principium operationum hominis, ideoque tollit hominis libertatem, et in Pantheismum delabitur.

3. *Falsus-Mysticismus* seu *Quietismus* non satis tribuit actioni libertatis et gratiæ. Rejicit enim *activam* voluntatis operationem ex parte hominis, ad unionem animæ cum Deo perficiendam; atque asserit talem unionem a Deo *solo agente* in anima, quæ *mere passive* se habet, perfici, per *amorem* quemdam *instinctivum*, vel per aliqualem statum *exstaticum*; ac proinde in *sensismum* decidit, etsi tamen in Naturalismum sæpissime deflectat, vel etiam falso-Supernaturalismo magis affinis videatur.

109. — *Nota*. Athæi, Pantheistæ, Materialistæ, dum rejiciunt existentiam Dei, vel distinctionem inter naturam divinam et naturam humanam, vel ipsius animæ humanæ spiritualitatem, eo ipso omnem tollunt supernaturalem ordinem, eumque ut impossibilem perhibent. At isti omnes directe confutantur in Tract. *de Deo*, et *in Prælect. philosoph.* Ad præsentem vero Tractatum spectant illi soli qui, præsuppositis existentia et personalitate Dei, natura humana et animæ spiritualitate, dogma catholicum de ordine gratiæ plus minusve adulterare attentarunt. Itaque tres erunt paragraphi.

§ I

De Naturalismo.

110. — *Quæritur* quid sit Naturalismus, et quotuplex Naturalismi species?

Resp. Naturalismus, ex jam dictis, est illud systema, quod *nimium tribuit actioni* seu *libertati hominis*, atque rejicit omnem gratiam *vere proprie supernaturalem*.

Hoc autem fieri potest et reapse factum est triplici modo.

scilicet : triplex est in homine naturalis facultas et actus, facultas exterius operandi, liberum arbitrium, et ratio : porro, 1°, juxta plures ex Judæis, opus *externum* legis mosaicæ, licet in se *naturale*, vel sufficit ad salutem, vel saltem necessarium est, vel ex se meretur gratiam Christi.

2° Juxta Pelagianos et Semipelagianos, omnis gratia mere gratuita repugnat exercitio liberi arbitrii, et ideo vel nulla existit gratia, vel saltem aliquo modo meretur ex prævio liberi arbitrii naturali exercitio.

3° Juxta Rationalistas, omnis effectus supernaturalis, ac proinde ordo gratiæ omnino rationi repugnat, atque ideo ut impossibilis rejiciendus est. Triplex est igitur Naturalismi forma, fusius exponenda in triplici numero.

NUMERUS PRIMUS

De Judaismo, et errore Judaizantium.

111. — *Quæritur* 1° quid sit *Judaismus?*

Resp. Judaismus est error eorum, qui asserunt *opus externum legis mosaicæ*, licet in se *naturale*, *sufficere ad salutem*. Scilicet, post ascensionem Christi, Judæi in sua duritia perseverantes, asserebant *legem mosaicam* perpetuam esse, ejusque opera *per se* et ex libertate operantis justificare, gratiam vero Christi ad salutem non esse necessariam. Unde sequebatur media et finem ultimum esse ordinis naturalis. « Per *legem justificari* se arbitrabantur, inquit S. August., *sufficiente* sibi ad eam custodiendam *libero arbitrio*, hoc est, justitia sua prolata *ex natura humana*, non donata ex *gratia divina*, propter quod justitia *Dei* dicitur. » *Epist.* 9.

112. — *Quæritur* 2° qualis sit error *Judaizantium?*

Resp. Judaizantium error consistit in eo, quod contendatur legem mosaicam non sufficere quidem, sed *necessariam* esse ad salutem, vel *ex se mereri* gratiam Christi. Ex Judæis enim, qui in Christum crediderunt, plures de gratia male senserunt duplici modo. Scilicet :

1. Alii asserebant gratiam Christi esse quidem *necessariam*, sed *non sufficere* absque *lege mosaica;* quæ ideo non

solum erat perpetuo duratura, sed etiam a gentilibus servanda, ut salutem consequi possent, « Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres : *quia, nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari* ; » Act. 15. ỳ 1.

Contra hunc Judaizantium errorem congregatum est Jerosolymæ primum Concilium generale, Act. 15. Sed insuper ad Judaismum, et istum Judaizantium errorem principaliter impugnandum, S. Paulus scripsit Epist. ad Galatas et ad Hebr., ubi demonstrat opera *externa*, in quibus tota nitebatur lex vetus, non potuisse *ex se* conferre justitiam, qua homo a peccatis mundatur atque fit Deo gratus; nec illam legem ad hoc fuisse datam; sed ex sola fide in Christo, quæ operatur per charitatem diffusam in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, hominem vere justificari; atque ideo legem mosaicam reprobatam fuisse *propter infirmitatem ejus et inutilitatem*.

2. Alii vero dicebant *solis* Judæis communicandam esse Christi gratiam; vel saltem Judæos et quidem solos per justitias suas et observationem legis veteris *gratiam meruisse*. Unde inferebatur, 1. ante Christum, opera externa a lege veteri præscripta, et in se naturalia, per se homini contulisse justitiam; 2. post Christum vero, gratiam dari ex merito operum in se naturalium legis veteris; et ideo 3. illam justitiam gratiamque non esse vere gratuitam et supernaturalem, atque hominem posse suis viribus bonum perficere, sicut oportet ad justitiam et salutem consequendam.

Istos S. Paulus confutat in Epist. ad Rom., in qua ostendit Judæos omni modo graviter deliquisse, neque ex operibus legis veteris, sed ex sola Dei misericordia atque per redemptionem Christi consecutos esse justitiam, quæ est in fide per charitatem in cordibus nostris diffusam operante.

Sed simul Gentilium, qui contemnebant Judæos, quia Christum crucifixissent, atque seipsos ad gratiam Christi fuisse vocatos propter sua *naturalia* opera contendebant, peccata et corruptiones commemorat S. Paulus in eadem Epist., ut eos humiliet et confundat. Qua occasione, de

peccato originali, quod totam naturam infecit, atque fuit omnium peccatorum origo, doctrinam tradit; et concludit *omnes indiguisse redemptione* Christi, ejusque gratiam *omnibus gratis offerri*.

Unde patet fere omnes Naturalismi formas jam ab ipso S. Paulo fuisse explicite confutatas, ejusque scripta ad ordinem supernaturalem stabiliendum perutilia esse, nec præfatam expositionem esse supervacaneam, ut illa scripta facilius intelligantur.

Tandem sive Judaismus, sive error Judaizantium reprobantur et damnantur a Conc. Trid., n. 7, 25.

NUMERUS II

De Pelagianismo et Semipelagianismo,

PUNCTUM PRIMUM

De Pelagianismo.

I

Expositio historica.

113. — 1° Post Judæos, Gnostici, inter quos Basilides, Valentinus et Marcio, dixerunt *fidem* esse *naturalem*, ac subinde hominem per *solam naturam* salvari. Deinde Jovinianus primum hæresim pelagianam excitavit; et inter hujus hæresis parentes recensentur etiam Theodorus Mopsuestus et Rufinus (Aquileiensis, vel alter Syrus aut Palestinus), a quo Pelagius et Cœlestius dicuntur errore imbuti.

Pelagius errorem, suo nomine vulgo designatum, principaliter docuit et ex professo declaravit, ac persuadere conatus est. Propterea illi tanquam auctori tribuitur: *Quis unquam ante profanum illum Pelagium, tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii*, ait Vincent. Lirin. Fuit autem iste hæresiarcha genere Anglus, professione monachus, sed in propria domo atque veste ad pietatem composita; ingenio et eruditione non parum conspicuus, ut ipse testatur S. August.; non minus vero litigiosus, versipellis, sinuosus, dolis ac fraudibus deditus. Suos errores disseminare cœpit circa annum 405, primum per discipulos et mulierculas, ut moris est apud hæreticos, deinde per seipsum.

Duo præcipui fuere Pelagii discipuli et defensores. Primus occurrit Cœlestius, qui tantam Pelagianæ hæresi propagandæ contulit operam, ut hujus sectæ homines, sicut a Pelagio vocati sunt Pelagiani, sic et a Cœlestio dicti sunt Cœlestiani, hocque sub nomine damnati fuerint in Synodo Ephesina. Alter maximi nominis discipulus Pelagii fuit Julianus, Eclanæ in Campania Episcopus. Plurimo valens ingenio, sed tumens superbia, desperatæ Pelagii causæ defensionem aggreditur. Fraudibus autem ejus ac fallaciis ab Augustino propalatis, episcopatu et Italia pellitur, ac Constantinopolim, Theodosii imperatoris præsidium quæsiturus, venit. Verum hac ipsa ejectus urbe, diuque postea profugus, Siciliæ tandem appulit, ubi, ex Episcopo factus in ignobili vico ludimagister, obiit circa annum 453.

114. — 2° Adversus hæresim Pelagianam, ab anno 412 ad annum 431, Concilia habita sunt 24, quorum præcipua sunt, 1. Carthaginense, anno 412, in quo damnati sunt Cœlestii errores. 2. Carthaginense alterum, anno 416, in quo contra ipsum Pelagium fertur damnationis sententia. 3. Versus finem ejusdem anni, Milevitanum, cui cum S. Augustino adfuerunt 60 Episcopi. Cum autem acta Conc. Carth. et Milev. missa fuissent Romam, ibique ab Innocentio I approbata, sic rei definitionem acclamavit S. August., Serm. 131 : « Duo Concilia missa sunt *ad Sedem Apostolicam*, inde etiam rescripta vénerunt : *causa finita est.* » Ut autem adversus Innocentii I et successoris ejus Zozimi decreta tuerentur se Pelagiani, ad futurum Concilium generale provocationem interposuerunt, duce Juliano Eclanensi, 18 Episcopi, Pelagii dogmatibus adhærentes. Verum, non obstante vana illa ac futili provocatione, ut observat S. Augustinus, lib. 4 *ad Bonif.*, cap. ult., latæ adversus eos excommunicationis, depositionis et exilii sententia, exsecutioni fuit demandata.

Hæresim Pelagianam dedita opera debellarunt, 1. S. Hieronymus, qui contra Pelagianos Epistolam ad Ctesiphontem, anno 413, et tres Dialogorum libros, anno 415, ex professo scripsit. 2. S. Augustinus, qui cum iis dimicare

non destitit in plurimis operibus, ab anno 412, ad annum mortis suæ 430. 3. Paulus Orosius, Presbyter Hispanus, sanctisque Hieronymo et Augustino amicitia conjunctissimus. 4. Marius Mercator, cujus duo celeberrima supersunt opera, nempe *Commonitorium*, et liber *Subnotationum* in postremos Juliani libros, editus anno 431.

II

Expositio doctrinalis.

115. — Pelagiani nitebantur hoc principio, ex quo totum eorum systema defluere videtur, scilicet : *Liberum non est arbitrium, si Dei indigeat auxilio;* S. August., *de Peccat. orig.*, c. 11.

Hinc 1°, quoad *statum naturæ humanæ*, inferebant, 1. Adamum in principio non fuisse constitutum in ordine *supernaturali*, cum prærogativis et auxiliis vere *gratuitis;* 2. proinde *originale* peccatum non fuisse lapsum ex statu supernaturali, nec labem *naturæ humanæ*, sed fuisse peccatum primo homini mere *personale*, quod non læsit genus humanum, nisi, ad summum, præbendo malum exemplum ; consequenter Adæ posteros non esse *natura filios iræ;* atque in eis, sicut et in Adamo ante peccatum, quid mere *naturale*, non autem *stipendium peccati*, esse ignorantiam, concupiscentiam, ærumnas, infirmitates corporis, ipsamque mortem ; 4. denique *Baptismum* non esse necessarium *parvulis* ad *remissionem peccati* et ad *vitam æternam*, sed ut sanctificentur in Christo, et adoptentur in filios, sicque *regni cælestis* hæredes fiant. Pelagiani enim, his verbis victi : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., distinxere inter regnum cœlorum et vitam æternam : hanc parvulis sine Baptismo decedentibus promittebant; illud vero nonnisi baptizatis tribui fatebantur.

Hinc 2°, quoad *liberum arbitrium*, contendebant, 1. illud esse in Adæ posteris æque sanum, nec minus validum et perfectum ad bonum operandum, ac in Adamo ante peccatum ; 2. proinde hominem propriis viribus ad illam justitiæ perfectionem pervenire posse, ut absque inordinatis passionibus, et sine ullo peccato vivat ; imo ipsos infideles

propriis naturæ viribus posse simpliciter ac perfecte bonos et justos esse ac dici; 3. tandem naturam hominis sibi solam sufficere ad salutem obtinendam.

Hinc 3°, quoad *gratiam*, omne prorsus auxilium vere *internum* et *supernaturale* ad implenda mandata Dei, sicut oportet ut salus et vita æterna obtineri possit, omnino rejiciebant.

Attamen, ut Catholicorum indignationem effugerent, nomine *gratiæ* retento, dicebant per gratiam intelligendum esse *liberum arbitrium*, quatenus nobis a Deo concessum, nullo præcedente merito, vel *legem* et *doctrinam* evangelicam, vel Christi *exemplum* et *imitationem*, vel *remissionem peccatorum*.

116. — Post vero Zozimi decretum, Julianus hæresim pelagianam utcunque temperavit, *internam voluntatis gratiam* admittendo, sed triplici vitio infectam. Siquidem, juxta illum, hujusmodi gratia non erat 1. necessaria ad *inchoanda*, sed ad complenda duntaxat et perficienda bona opera; 2. nec simpliciter, sed secundum quid necessaria, scilicet, ad *facilius* tantum opera salutaria complenda; 3. nec *gratuita*, sed naturalibus meritis repensa, ac proinde ordinis mere naturalis. Hujusmodi effugium nihil aliud est quam primum Semipelagianismi exordium; n. 120, 221.

117. — Itaque Pelagianismus, omnem ordinem supernaturalem et gratiam proprie dictam rejiciendo, labefactat omnia Religionis Christianæ constitutiva mysteria et facta supernaturalia, Incarnationem præsertim et Redemptionem, quæ sunt principium et causa gratiæ; atque inducit integrum Naturalismi systema.

Sed insuper, ut ultima istius systematis consectaria indicemus, negata etiam *possibilitate* ordinis supernaturalis et gratiæ, omnisque doni gratuiti, sicuti repugnantis sive libero arbitrio, sive justitiæ divinæ, eo ipso restringitur et tollitur suprema Dei potestas, independentia et libertas in regimine creaturarum intellectualium, et in distributione donorum etiam naturalium; voluntas autem humana in

sua determinatione agnoscitur independens; ac subinde jam adest Atheismus vel Pantheismus.

Hæc sunt logice ultima consectaria Pelagianismi, qui fuit prototypus Naturalismi a subsequentibus hæreticis vel incredulis propugnati, n. 123 : quam ob causam integre et accurate illud systema exponere utile duximus.

PUNCTUM II

De Semipelagianismo.

I

Expositio historica.

118. — 1° Semipelagiani sic dicti sunt quasi a partito ac dimidiato, quem propugnabant, Pelagii errore; dicti etiam *reliquiæ* Pelagianorum, eo quod, ex eorum cineribus excitati, partem aliquam jam prostrati erroris superstitem facerent; dicti quoque *Massilienses* ab urbe Massiliensi, ubi frequentiores consistebant.

Cum enim S. August. contra Pelagianos gratiam non solum necessariam esse ad pie et sancte vivendum, sed etiam omnino gratis dari, nullumque humanum meritum illam antecedere docuisset, eo tandem pervenit, ut ad solam divinam prædestinationem totum humanæ salutis negotium revocare videretur. Unde aliqui occasionem sumpserunt errandi et dicendi, per prædestinationem et reprobationem, sublatum esse liberum arbitrium, solamque gratiam sine labore ex parte hominis sufficere ad salutem, de quibus infra, n. 129. Hanc autem hæresim simul et Pelagianam abhorrentes, multi Catholici in Gallia, ut mediam viam inter utramque tenerent, necessarium putarunt aliquid tribuere libero arbitrio, in quo prædestinatio omnisque gratiæ effectus initium et fundamentum haberent[1].

Inter Semipelagianismi sectatores vel auctores, maxime

1. Ante Massilienses, ipse S. August., nondum Episcopus, in eodem errore versatus fuerat, sicut ipsemet fatetur, lib. *de Prædest. SS.* c. 3. Ipso vivente, et episcopo jam facto, Vitalis Carthaginiensis, contra quem S. Augustinus scripsit epist. 107, eumdem cum Massiliensibus errorem professus est. Attamen initium sectæ Semipelagianæ Gallis seu Massiliensibus tribuitur.

spectandi sunt, 1. Cassianus, quem Semipelagianorum principem merito dixeris. Is, peragratis Palestinæ et Ægypti cœnobiis, defuncto S. Chrysost., a quo Diaconus fuerat ordinatus, Gallias petit, Massiliæ consistit, scriptisque mandat eas, quas cum Ægyptiis Monachis habuerat, collationes. In iis Semipelagianismum diserte profitetur, et ob hanc rem a S. Prospero sub nomine *Collatoris* confutatur. Cæterum obiit sanctissime circa annum 434.

2. Faustus, patria Britannus, ex Abbate Lirinensi Episcopus Regiensis in Gallia factus, anno saltem 462. Hic, dum prædestinatianam hæresim impugnaret, in oppositam, Semipelagianam scilicet, misere delapsus est.

3. Gennadius, Massiliensis Presbyter, qui in libro, quem scripsit *de Viris illustribus*, annô circiter 490, Cassianum summis effert laudibus.

4. Tandem Vincentius quidam, ut constat ex lib., quem adversus illum scripsit S. Prosper sub hoc titulo: *Ad Capitula objectionum Vincentianarum Responsiones*. Quis autem fuerit Vincentius ille, utrum scilicet Lirinensis, celeberrimus *Commonitorii* auctor, an vero alius, disputant eruditi.

119. — 2° Inter Semipelagianismi debellatores, sibi præ aliis nomen fecerunt, 1. S. Augustinus, qui duo contra hanc novam hæresim, licet senio confectus et morti proximus, opera conscripsit, unum de *Prædest. Sanct.*, et aliud *de Dono Perseverantiæ*. 2. Cœlestinus I, Romanus Pontifex, qui insignem Epis. ad Episcopos Galliæ scripsit, anno 432, in qua Augustini de gratia doctrinam, *ut ipsius Ecclesiæ fidem*, approbat. 3. S. Prosper, et Hilarius alter ab Arelatensi, quidquid nonnulli dixerint. 4. Auctor duorum lib. *de Vocat. Gentium*, sive sit ipse S. Prosper, ut cum Bellarm. contendunt nonnulli, sive alius a S. Prospero, ut plerique hodie censent critici. 5. Gelasius S. Pontifex, et S. Fulgentius, ex Monacho Ruspensis in Africa Episcopus, qui tanto ardore Semipelagianorum reliquias insecutus est, ut alter Augustinus appellari meruerit.

Tot Patrum scriptis prostratum Semipelagianismum su-

premo confodit ictu Synodus Arausicana II, quam confirmavit Bonifacius Papa II, anno 530. Et hac speciali S. Sedis confirmatione, tanta Arausicani Concilii decretis accessit auctoritas, ut ipsis nemo potuerit absque *hæreseos nota*, contradicere.

II

Expositio doctrinalis.

120. — 1° Omnes Semipelagiani agnoverunt hominis lapsum, existentiam peccati originalis, debilitatasque voluntatis vires.

2° Distinguebant autem, quoad *fidem*, 1. *velle credere*, seu pium credulitatis affectum, quem appellabant *initium fidei*, sub quo comprehendebant etiam generalem quamdam voluntatem et desiderium salutis atque bonornm operum; 2. *ipsummet credere* seu fidem perfectam; 3. *perseverantiam in fide*. Quoad autem *opus*, distinguebant 1. *initium bonorum operum*, seu *velle* hic et hunc in particulari bene agere; 2. *bonum opus*; 3. *perseverantiam in bonis operibus*.

3° Tandem idem duplex principium ponebant ac Pelagiani post Zozimi decretum, n. 116, nempe : 1. *liberum* non est arbitrium, si Dei indiget *auxilio prorsus gratuito;* 2. Deus *injustus* foret personarum *acceptor*, si gratiam suam concederet *absque ullo meritorum intuitu;* siquidem illam daret peccantibus et indignis, vel ad libitum uni conferret et alteri denegaret.

121. — Hinc 1°, juxta illos, nulla est gratia præveniens et excitans *ad initium fidei*, sed hoc initium est opus liberi arbitrii et *mere naturale:* alioquin illa præveniens gratia prorsus gratuita, tolleret libertatem, atque implicaret acceptionem personarum ex parte Dei. Consequenter *perseverantia in fide* fit etiam naturaliter et absque gratia; cum, juxta illos, nihil aliud sit quam permanentia in illo pio desiderio et consensu Deo naturaliter jam præstito.

Hinc 2°, ad fidem *perfectam*, et a fortiori ad bona *opera* perficienda, gratia est *simpliciter necessaria*, propter lapsum naturæ humanæ. Sed 1. ipsemet consensus huic gratiæ est

solius voluntatis, non autem et gratiæ, juxta illos, ne tollatur libertas; 2. illa gratia nunquam conceditur nisi *ex prævio* merito : nimirum, datur gratia fidei perfectæ, propter *naturalem* affectum credendi; petitio conceditur, propter *naturalem* orationem; suppeditatur auxilium ad superandam tentationem, propter *naturalem conatum* ad ei resistendum, etc.

Hinc 3° Deus exspectat voluntates nostras, eo sensu quod non vocat nos ad fidem aut pœnitentiam, vel non concedit ipsam salutis gratiam et perfectionem, nisi in quantum homo se præparet suis viribus, per illos actus naturales et gratiæ dignos.

Hinc 4° Deus non *vult* salutem hominum *nisi conditionate*, nempe, nisi posito quod ipsi velint credere, vel se ad fidem præparare per solas naturæ vires, ita ut, propter illud initium fidei naturalis, concedantur media ad salutem necessaria. Parvuli autem ante usum rationis decedentes, eliguntur vel non ad Baptismum et ad gloriam, prout merita fuissent ab eis posita vel non, si diutius in vita perseverassent. Proinde, ex parte sua, Deus *indifferenter* seu æquali affectu omnes homines vult salvos fieri, et omnibus *æqualiter* gratiam et gloriam offert; et ideo Christus *æqualiter* pro omnibus mortuus est.

122. — *Quæritur* in quonam Semipelagiani cum Pelagianis consentiant, vel ab iis dissentiant?

Resp. Consentiunt, asserendo initium salutis esse *a nobis* et non a Deo, gratiamque dari secundum *naturalia* merita; sed etiam nomine *gratiæ* designando vel donum Dei ex prævio naturali merito concessum, vel finem ultimum ex hoc naturali merito consequentem.

Dissentiunt autem in eo quod, Pelagiani negant peccatum originale atque necessitatem gratiæ pro voluntate, vel eam agnoscunt ad facilius duntaxat operandum; dum, juxta Semipelagianos, existit peccatum originale et status naturæ lapsæ, atque gratia est simpliciter necessaria ad fidem perfectam et ad opera sive inchoanda, sive perficienda.

Attamen, non obstantibus hujusmodi restrictionibus,

hæresis Semipelagiana in Pelagianam et in Naturalismum purum recidere videtur. Namque 1. perfectio actus intellectualis est ejusdem ordinis ac ejus initium : porro, juxta Semipelagianos, initium fidei est quid mere naturale ; ergo naturalis est ejusdem fidei perfectio.

2. Actus voluntatis ejusdem est ordinis ac actus intellectualis, a quo procedit : atqui, ex jam dictis, actus fidei, in systemate Semipelagianorum, est ordinis mere naturalis ; ergo ejusdem ordinis est voluntatis actus in ordine ad salutem, ac proinde naturalis est salus ipsa seu finis ultimus.

3. Denique res concessa intuitu meriti ejusdem est ordinis ac ipsum meritum ; hoc autem meritum ejusdem est ordinis ac actus, qui meretur : porro initium fidei, seu actus qui meretur, est mere naturale, juxta eosdem ; ergo naturalis est etiam gratia propter hunc actum concessa ; ac proinde undique fluit Naturalismus.

Hoc posito, et attentis duobus principiis, quibus innitebantur Semipelagiani, admitti nequit Adamum fuisse a principio in ordine vere gratuito et supernaturali constitutum, et peccatum originale esse lapsum naturæ humanæ ; atque ideo tota redit hæresis Pelagiana, cum suis ultimis consectariis.

NUMERUS III

De Rationalismo.

I

Expositio historica.

123. — 1° *Rationalismi* nomine illud systema designatur, quod *rationem* humanam agnoscit uti *supremam regulam judicii, verique normam ;* nec aliud est quam Naturalismus purus in sua methodo seu *criterio* spectatus. Omne enim systema proprium criterium habet : atqui Naturalismus, suum necessario ponit in *naturali* lumine seu in *sola ratione ;* et ideo Naturalismus, in suo criterio consideratus, *Rationalismus* merito nuncupatur.

Hoc autem unicum criterium plus minusve explicite professi sunt omnes hæresiarchæ, qui contra traditam ab

Ecclesia doctrinam fere omni ætate insurrexerunt, ut proprio sensui pertinaciter adhærerent. Sed inter omnes primus illud tanquam principium dogmatice posuit Lutherus; atque in eo tota consistit Protestantismi essentia, ut vidimus in Tract. *de Ecclesia,* n. 239.

Ex hoc principio expresse et cum strepitu rationum asserto, scaturierunt a tempore Lutheri ad nos usque innumera circa Religionem systemata, quorum summarium et ultima evolutio videtur esse Rationalismus hodiernus, seu *negatio* cujuslibet ordinis *supernaturalis*.

Quod sic testatur Conc. Vaticanum. sess. 3, in præmio: « Nemo ignorat hæreses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, *rejecto divino Ecclesiæ magisterio,* res ad religionem spectantes *privati cujusvis judicio permitterentur*, in sectas paulatim dissolutas esse multiplices.... Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa *rationalismi* seu *naturalismi* doctrina, quæ religioni christianæ *utpote supernaturali instituto per omnia adversans*, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, *meræ quod vocant rationis vel naturæ regnum* stabiliatur. Relicta autem projectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut jam ipsam rationalem naturam, omnemque justi rectique normam negantes, ima humanæ societatis fundamenta diruere connitantur. » Vide Tract. *de Eccl.,* n. 246 [1].

124. — 2° Rationalismus damnatus fuit implicite cum

1. « Quelle est au fond, et religieusement parlant, la question suprême qui préoccupe aujourd'hui les esprits? C'est la question posée entre ceux qui reconnaissent et ceux qui ne reconnaissent pas un ordre surnaturel certain, souverain, quoique impénétrable à la raison humaine; la question posée, pour appeler les choses par leur nom, entre le *Supernaturalisme* et le *Rationalisme*: d'un côté les incrédules, les panthéistes, les sceptiques de toute sorte, les purs rationalistes; de l'autre les Chrétiens. Parmi les premiers, les meilleurs laissent subsister dans le monde la *statue de Dieu*, s'il est permis de se servir d'une telle expression; mais la statue seulement, une image, un marbre; Dieu lui-même n'y est plus. Les Chrétiens seuls ont le Dieu vivant. » Guizot, *Médit. et Études morales*, préface. p. 1.

omnibus hæresibus, et directe tum in se, tum in suis consectariis circa gratiam, a Conc. Trid., quod declaravit rationem cujusque non esse supremum Scripturæ sacræ interpretem, sed Ecclesiam ex auctoritate quidem divina, sess. 4; atque iterum affirmavit et in tuto posuit fere omnia circa gratiam et ordinem supernaturalem dogmata, n. 1, et seq.

Deismus, qui fuit Rationalismus seculi proxime elapsi, ab Episcopis Galliæ præsertim fuit profligatus, et ab omnibus scolis catholicis impugnatus.

Nostris autem diebus Rationalismi machinationes et progressus orbi catholico gravissimis verbis denuntiarunt Gregor. XVI, in Encyclica *Alteram*, 1832; Pius IX, in Encycl. *Qui pluribus*, 1846; in Allocut., *Singulari quadam;* in Allocut., *Maxima quidem*, die 9 junii 1862, idem S. Pontifex, simul trecentis Episcopis adstantibus, et unanimi consensu adhærentibus, Rationalismum et præcipua ejusdem pestifera consectaria, solemni et infallibili judicio, *reprobavit, proscripsit*, atque *damnavit*. Sed etiam omnes Naturalismi et Rationalismi formæ nostræ ætatis propugnatæ recensentur et damnantur in *Syllabo*, annexo Encyclicæ *Quanta cura*, an. 1864, Tandem idem systema damnavit Conc. Vaticanum, sess. 3, c. 2, 3, 4, et Leo. XIII, Encycl. *Humanum genus*, 20 apr. 1884. Vide Tract. *de Revel.* n. 1-19,

II

Expositio doctrinalis.

123. — Rationalismus in his duobus totus est : 1° *Ratio humana unicus* est ac *supremus veri* et *falsi*, *boni* et *mali arbiter;* atque *sufficit* ad detegendam quamlibet veritatem necessariam ad finem sive hominis, sive societatis obtinendum. 2° Nulla proinde *veritas*, nullus *ordo supernaturalis* existit, nec esse *potest*, imo nequidem *vera Providentia* in ordine naturali.

Scilicet 1., in ordine *intellectuali*, nullum mysterium, nulla revelatio, nec inspiratio, nec fides; in ordine *morali* nullum factum supernaturale, non peccatum originale, nec

Redemptio per Verbum incarnatum, nec gratia actualis, charitas et alia quælibet virtus infusa, nec vita gloriæ simpliciter; in ordine *physico*, nullum miraculum. Itaque nulla in illo systemate *auctoritas docens*, cui *fides* præbenda sit, nec ullum discrimen inter Philosophiam et Theologiam; sed omnes *veritates* ex *vi nativa* humanæ *rationis* derivant; omniaque *facta* juxta *ordinem naturalem* evolvuntur.

2. Insuper Rationalismus ordinarium et immediatum Dei interventum in ordine naturali semel constituto excludit; imo in ipsa illius ordinis constitutione libertatem Deo denegat, ne exinde inferatur possibilitas interventus in ordine supernaturali, ex dictis in Tract. *de Revelat.* n. 24, 26, 27, et *de Eccles.*, n. 246.

126. — Ad hoc autem adstruendum systema, 1. Rationalistæ plerique, pro argumentis, magistram affirmationem aut negationem proferunt; illosque irrident, qui ab ipsis aliam probationem exquirunt. 2. Alii vero asserunt *supernaturale absolutum*, n. 84, rationi repugnare; vel nullo modo esse necessarium; vel esse quid incognitum, indefinitum, scilicet, nec *factum*, nec *ideam*, et ideo quid prorsus inutile; vel esse ipsummet falsum Mysticismum, seu Sensismum, aut effectum imaginationis poeticique spiritus, apud ignaros præsertim et simplices se exerentis. *Præternaturale* autem seu miraculosum, n. 83, imo et Dei providentiam in ordine naturali perhibent ut quid repugnans sive attributis divinis, v. g., æternitati et immutabilitati Dei, sive legibus naturæ, sive rationi et libertati hominis. 3. Quidquid igitur ut supernaturale vel præternaturale Scriptura aut historia tradere videntur, rationali seu prorsus naturali sensu exponendum est. 4. Omnibus argumentis, quæ illis opponuntur, vel quibus possibilitas et existentia Providentiæ, ordinis præternaturalis et supernaturalis demonstrantur, nihil unquam respondent Rationalistæ.

Talis est Rationalismus sub forma, quam nostris temporibus induit. Contra illum autem *Providentia* demonstrata ---net in Theodicea et in Tract *de Deo*; *præternaturale*

etiam statutum fuit in Tract. *de Revelat.*; et *supernaturale* per unionem hypostaticam, in Tract. *de Incarn.* In præsenti igitur venit Rationalismus quatenus negat *existentiam*, imo *possibilitatem ordinis supernaturalis* per gratiam gratum facientem.

Jam vero hujus systematis confutatio per absurdum facile apprehenditur. Inducit enim omnia consectaria supra, n. 117, ubi de Pelagianismo, indicata, et quæ hodie a pluribus non subobscure asseruntur, et audacter propugnantur, uti testatur Conc. Vatic., n. 125; vide n. 171, 172.

§ II

De Falso-supernaturalismo.

127. — *Quæritur* quid sit falsus-supernaturalismus, et quotuplex ejus species?

Resp. 1. Falsus-supernaturalismus est error eorum, qui *nimium tribuunt actioni divinæ*, atque ideo plus minusve tollunt actionem hominis.

2. Duplex est falsi-supernaturalismi species generalis, quarum, scilicet, una nimium tribuit actioni divinæ, denegando *voluntati* humanæ *libertatem*; altera vero nimium tribuit lumini supernaturali, denegando *rationi vim propriam* seu criterium aliquod intrinsecum ad veritatem recognoscendam.

Si prius, denegatur homini libertas vel ob Dei decretum de Prædestinatione ad damnationem, antecedens omnis demeriti prævisionem, in quo *Prædestinatianismus*; vel ob naturam peccati originalis et justificationis, in quo *Lutheranismus*, cujus reliquum fuit *Baianismus*, sicut et Baianismi *Jansenismus*.

Si posterius, omnis assensus veritati etiam naturali præsertim ad Deum respicienti, in auctoritate et fide aliquo modo supernaturali nititur, in quo *Fideismus* late sumptus. Unde triplex erit numerus.

NUMERUS PRIMUS

De Prædestinatianismo.

I

Expositio historica.

128. — Prædestinatiani sic dicti sunt, eo quod profitebantur homines necessario prædestinari sive ad bonum, sive ad malum; sive ad vitam, sive ad mortem; ad felicitatem æternam, æternumve supplicium.

Jansenius et ejus asseclæ, cum hæresim prædestinatianam renovarent, nihil prætermiserunt ut persuaderent illam nunquam exstitisse; sicque a seipsis averterent anathemata jam a primis seculis contra eam fulminata. Contrarium vero extra dubium est.

Namque 1° vidimus, n. 118, sub finem vitæ S. Aug., vel paulo post ejus tempora, illum errorem subortum esse ex falsa intelligentia doctrinæ S. Doctoris circa prædestinationem. Inter primos illius hæresis patronos, computatur Lucidus quidam Presbyter qui, labente seculo quinto, eam in Gallia tenuit; atque damnatus est in Conc. Arelatensi et Lugdunensi, anno 475.

2° Jam in ortu suo extinctam prædestinatianam hæresim, ex suis cineribus, seculo nono, suscitavit Gotescalcus, nobili apud Saxones ex stirpe oriundus, atque cœnobii Orbacencis, in diœcesi Suessionensi, monachus, qui sic ab Hincmaro depingitur : « Habitu monachus, mente ferinus, quietis impatiens, et vocum novitate delectans, ac inter suos mobilitate noxia singularis, de omnibus, quæ in his regionibus perverse tunc temporis sensa cognoverat, quædam sibi elegit capita, ut novitate vocum innotesci valeret. » In carcere reclusus, pertinax obiit. « Cum finis ejus jam appropinquaret, ait Hincmarus, fratribus qui aderant, ut a pravo sensu et perversa sententia se revocaret, et sacram communionem perciperet, suadentibus, respondit a suo se sensu et sententia revocare, et communionem per auctoritatem accipere non posse; sicque indignam vitam digna morte finivit, et abiit in locum suum. »

Illum impugnarunt Rabanus, Archiepiscopus Moguntinus, et præ cæteris Hincmarus, Archiepiscopus Rhemensis. Eumdem damnarunt Carisiacum (Quercy-sur-Oise) Concilium I, 849, et secundum, 853, in quo confecta sunt celeberrima quatuor capita, quatuor præcipuis Prædestinatianismi capitibus opposita.

3° Decimo quarto seculo, eamdem hæresim suscitavit Wiclefus, natione Anglus, doctor et Oxoniensis professor, deinde collegio Cantuariensis Oxonii præfectus; a quo tum Archiepiscopus, tum Urbanus V, quem appellaverat, eum ejecerunt: et inde odii in Ecclesiam, et errorum origo. In concilio autem Londinensi cantavit palinodiam, cujus ope suam repetit ecclesiam, in qua supremum diem obiit, anno 1384, vel 1387.

Mortuo Wiclefo, unus ex discipulis cum magistri libris Bohemos petiit, pessimumque virus propinavit Joanni Hus, et hujus discipulo, Hieronymo de Praga. Uterque in Concilio Constantiensi convictus, damnatus et pertinax, judici seculari derelictus est, ac pertinaciam et errorem flammis expiavit. Quorum discipuli in varias divisi sunt sectas; tandemque Lutheranis et Calvinistis se conjunxerunt.

II

Expositio doctrinalis.

129. — Juxta præfatos hæresiarchas, 1° Deus, decreto absoluto et omnem demeriti prævisionem antecedente, quosdam homines ad damnationem æternam prædestinat: iste primus error cæterorum fons est atque radix. Scilicet,

2° Deus prædestinat ad media quæ ducunt ad damnationem, nempe ad malam vitam, ad vitia, ad peccatum.

3° Deus igitur non vult omnes salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur; et ideo Christus pro solis electis et prædestinatis mortuus est, atque Sacramenta nec peccatum dimittunt, nec gratiam conferunt iis, qui sunt ad mortem æternam prædestinati.

4° Consequenter, tam in electis, quam in reprobis, post primi hominis lapsum, ex toto liberum arbitrium extinctum est. Hic insuper addidit Wiclefus Deum actu et neces-

sario producere, tum ad intra, tum ad extra quidquid potest producere, atque causam esse et auctorem omnium criminum; creaturas vero intellectuales, etsi absoluta necessitate determinentur, tamen liberas esse, quia *spontanee* agunt.

Itaque præfata doctrina non solum quamlibet actuum moralitatem impossibilem facit, sed etiam introducit Deum, cui omnia scelera merito imputanda essent; et exinde prædestinatianismus ipsomet atheismo deterior evadit. Et tamen talis error primum fuit Lutheranismi exordium.

NUMERUS II

De Lutheranismo, Baianismo, et Jansenismo.

PUNCTUM PRIMUM

De Lutheranismo.

I.

Expositio historica.

130. — Lutherus, casu aut invidia indulgentiarum abusum, et mox catholicam fidem circa animæ justificationem impugnavit; et exinde omnia dogmata circa ordinem gratiæ ita evertit, ut non solum monstrosa quæque veterum errorum portenta, sed etiam inaudita profiteretur, et usquequaque disseminaret; vide Tract. *de Eccles.*, n. 238, 239, 251 in fine.

Calvinus fere omnes Lutheri errores circa gratiam docuit, et ex iis alia etiam consectaria deduxit.

Lutheri et Calvini discipuli a primordiis in varias sectas divisi sunt; tamen inter se conveniebant circa naturam et modum justificationis a Luthero excogitatæ. Hodie vero omnes illæ sectæ in systema oppositum seu in Rationalismum plus minusve reciderunt, licet plures ore tenus et ad simplices cujusdam christianæ justitiæ nomine deludendos, præfatum justificationis modum retineant.

Anno 1520, Leo X Lutheri propositiones proscripsit *tanquam respective hæreticas, aut scandalosas, aut falsas, aut piarum aurium offensivas.* At, nihilominus in dies invales-

cente hæresi Lutherana et Calviniana, anno 1545, congregata est Trid. Synodus, quæ in canonibus et capitibus supra relatis, n. 1-58, Catholicam de peccato originali et de justificatione doctrinam exposuit, atque iterum vindicavit contra Protestantismi errores.

II

Expositio doctrinalis.

Lutherus, ex falsa et inaudita sententia de justificatione et de peccato originali, ad cæteros omnes errores circa gratiam devenit. Ut autem facilius ejus systema intelligatur, illud exponemus incipiendo a statu primi hominis, pro more plerorumque auctorum.

131. — 1° *In statu naturæ innocentis*, « justitia non fuit quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum *a natura* hominis, sed fuit vere *naturalis.* » Namque, ut addit Lutherus, « *diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum*, tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiant; » in Genes. c. 3. Naturalem etiam fuisse *immortalitatem* primo homini affirmant Lutherani.

Et vero 1., juxta Lutherum, justitia primi hominis in *facultate* et *actu* Deum cognoscendi et colendi tota nitebatur: porro Deus creare nequit hominem absque illa expedita facultate; ergo hæc facultas ejusque actus, et proinde illa justitia sunt quid naturale hominique *essentiale*. 2. Mors est stipendium peccati: atqui, ex statim dicendis, juxta Lutherum, peccatum originale est in læsione et privatione donorum *naturalium;* ergo ante peccatum immortalitas fuit homini naturalis.

132. — 2° In *statu naturæ lapsæ*, 1. peccatum *originale*, si in unoquoque spectetur, consistit in privatione, non solum *alicujus boni et rectitudinis*, sed ipsiusmet *facultatis* intelligendi et inchoandi res *spirituales* et divinas; ita ut, ratione illius peccati, homo nihil aliud sit nisi miseria, corruptio et pecatum; nec *ex se et suis viribus*, coram Deo, *aliquid aliud nisi peccare possit.* Attamen Calvinus sentire

videtur, per peccatum originale, non deleri ipsam *facultatem* pro rebus *spiritualibus*, sed *actum* solummodo; **n. 29.**

Et vero; juxta Lutherum, justitia originalis erat quid homini essentiale, atque in naturali facultate et actu Deum cognoscendi et colendi nitebatur; ergo lapsus seu peccatum naturæ humanæ, est in privatione illius facultatis et actus, atque ipsam hominis naturam afficit, eamque reddit cujusvis boni incapacem.

2. *Concupiscentia* igitur non est solum inclinatio quædam instinctiva ad objecta illicita, sed congenita prava vis, et ipsa *cordis immunditia*, in qua *totus* est homo lapsus; atque ideo complectitur pravas omnes inclinationes, prava desideria, omniaque peccata; propterea ut vere peccatum habetur. Unde, attenta illa notione peccati originalis et concupiscentiæ, patet *unicum* esse peccatum, originale scilicet, cujus cætera peccata actualia non sunt nisi formæ particulares, manifestationes, rami, flores et fructus, ut ipse innuit Melanchton, Lutheri præcipuus assecla; **n. 6.**

3. Proinde non est in homine lapso facultas expedita bonum operandi et vitandi malum, seu *libertas a necessitate*, sed solum a coactione. « Liberum arbitrium post peccatum, est *res sine titulo*, » ait Lutherus.

Imo nec esse debuit in statu innocentiæ vera libertas a necessitate; siquidem, ut ait Melanchton, « omnino refert ad premendam damnamdamque humanæ rationis tum sapientiam, tum prudentiam, constanter credere quod *a Deo fiant omnia;* et aliunde nutarent omnipotentia et præscientia Dei. »

Propterea addit « Deum omnia facere tam bona quam *mala*, non *permissive*, sed *potenter*, id est, ut sit *ejus proprium opus* Judæ proditio, sicut Pauli vocatio; » n. **26, 27, 28.** « Deus inquit Calvinus, ab æterno statuit peccatum originale ut suam misericordiam erga hominem ostenderet; et tamen proprie auctor peccati solus est homo, qui illud committit non libero quidem, sed *spontaneo* motu; » *Inst.* I. 4, c. 18. Huc igitur redeunt omnia Prædestinatianorum portenta, n. 129.

Pro rebus autem *civilibus*, et operibus *externis* legis di-

vinæ confessio Augustana agnoscit in homine lapso *aliqualem* libertatem.

133. — 3° *Justificatio in se* sumpta. non reponenda est in *vera* et *interna* peccatorum *remissione*, nec in *interna* per gratiam *renovatione* et *sanctificatione* animæ; sed in eo quod Deus, sicut homo judex, solum *pronuntiat* animam *absolvi* a peccatis et æternis peccatorum suppliciis, eique *imputari* Christi justitiam; qua, sicut vestimento, coram Deo *exterius tegitur* anima, quæ nihilominus *tota in peccato* simul permanet. Itaque justificatio cujusque nostrum *extra nos* est, et exclusive consistit in *benevola* erga nos *Dei dispositione*; n. 13, 35.

Et vero, juxta Lutherum, post peccatum originale, homo totus est in peccato, omnique facultate vel saltem actu pro rebus spiritualibus destitutus; sed etiam concupiscentia, quæ in ipsis justificatis remanet, peccatum est, juxta eumdem; ergo peccatum interius remitti nequit, aut saltem de facto non remittitur, nec anima interius sanctificatur, et renovatur.

Hinc 1. *omnes justificati æqualem habent justitiam*, cujus nullum potest esse augmentum; n. 16, 46.

Hinc 2. quilibet *justus* in *quibuscunque operibus* suis *semper* et *necessario peccat*; n. 47 : tum quia in iis semper immiscetur concupiscentia, quæ peccatum est; tum quia procedunt ab homine jam vitiato et corrupto, ac proinde semper vitiosa sunt, « eo fere modo, inquit Lutherus, quo quilibet tibiæ curvæ aut equi trepidi motus semper est vitiosus. » Quomodo autem justificandus sit homo post vitam præsentem, non clare docent Lutherani.

Hinc 3. nulla est *vera libertas* in homine etiam justo; arbitriumque a Deo motum et excitatum, nihil cooperatur, nec dissentire potest, si velit; sed velut inanime quoddam mere passive se habet; n. 7, 26.

Hinc 4. vis et energia gratiæ ex *victrice, superiori* ac *necessitante delectatione* desumitur; *solaque efficax* gratia, invincibilis et insuperabilis in præsenti statu admittenda est. Dantur tamen motus supernaturales distincti a gratia

efficaci; sed bonis operibus perficiendis omnino impares, nec *vere* et *proprie sufficientes;* ideo sunt mandata Dei plane *impossibilia;* n. 17, 40. In his adest radix Jansenismi. n. 144, 145.

154. — 4° *Medium* vero aut instrumentum justificationis, est *sola firma fides* seu potius *fiducia,* qua credimus Deum, ex sua misericordia et propter merita Christi, revera *pronuntiare* remissionem peccatorum, et Christi justitiam nobis imputari. Nam, ex S. Paulo, « *homo justificatur per fidem,* et *gratis.* » Rom, 4 : porro, ex dictis, juxta Lutherum, justitia est in externa remissione peccatorum, et meritorum Christi imputatione; ergo fides, de qua loquitur Apostolus, non potest esse nisi fiducia quâ confidendo, accipitur justitia, quam Deus promittendo offert; n, 15, 34, 35, 36.

Hinc 1. illa fides seu fiducia non est *initium,* nec *causa meritoria* justificationis, nec ad eam *dispositio*; sed *merum organum,* quo nobis applicatur judicialis sententia Dei circa remissionem peccatorum, et Christi justitiæ imputationem. Quare fides hujusmodi, sicut et justitia cujus est instrumentum, cum peccato etiam actuali coexistere potest : « Esto peccator, et pecca fortiter, ait Lutherus, sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi. »

Hinc 2. quisque tenetur firmiter credere sibi imputari justitiam Christi, et esse *justum;* nec homo christianus, *etiam volens.* potest perdere salutem suam *quantiscunque peccatis,* nisi *nolit credere* justitiam Christi sibi imputari, n. 21, 35, 49.

Hinc 3. bona opera non sunt ad justificationem *necessaria;* nec vitæ æternæ *meritoria*; alioquin dici posset non sufficere merita Christi nobis imputata, nec hominem *gratis justificari,* n. 11, 22, 31, 54, 55; imo illa bona opera sunt etiam justis *impossibilia,* ex dictis. Exindo etiam sacramenta non justificant, sed mera sunt justificationis *signa* promissæ fidei. Vide Mœhler, *La Symbolique.*

135. — Ex his erroribus circa justificationem, tres alii a Calvino illati fuere et propugnati. Scilicet, 1. fideles omnes possunt et debent certi esse, certitudine fidei divinæ, non solum de præsenti gratia atque justitia, sed etiam de sua *perseverentia, prædestinatione* et *electione* ad gloriam; n. 18, 19, 37, 38. Igitur 2. fides et justitia *propria* est *electorum*, et, semel vere accepta, non potest ulla ratione et quocunque peccato *amitti*; qui autem ab ea excidere videntur, nunquam eam vere habuerunt; n. 8, 19, 20, 39, 45. Denique 3. Baptismus non est medium ad salutem necessarium, n. 4, 10; fideliumque nati sine Baptismo decedentes salvantur, eo quod sancti sunt et Ecclesiæ membra, eo ipso quod geniti sunt ex fidelibus justisque parentibus; vide Bossuet, *Variat.* lib. 9.

En monstrosum illud horrendumque Lutheri et Calvini systema, quod ex simplici expositione satis refellitur. Ideo rejecta illa justificationis et peccati originalis notione ut omnino repugnante, plerique Lutheri et Calvini sectatores hodierni retinent tantum Lutheri doctrinam de suprema auctoritate rationis humanæ, n. 123, 125, atque in oppositum seu in Naturalismum et Rationalismum recidunt, n. 123. Vide Tract. *de Eccl.*, n. 246.

PUNCTUM II

De Baianismo.

I

Expositio historica.

136. — 1° Michael Baius, origine Belga, in sacra facultate Lovaniensi doctor, atque regius sacrarum litterarum professor jam institutus, errores, Lutheranismum redolentes, disseminare cœpit, anno 1552. Redux a Conc. Trid., ad quod delegatus fuerat, an. 1563, plura typis mandavit opuscula *de Libero arbitrio, de Charitate, de Justitia, de Sacrificio*, etc., in quibus, unice velle Lutheranos impugnare simulans, reipsa tamen illorum errorum virus effundit. Ex his opusculis collectæ sunt 76, aut 79, aut 80 propositiones, de quibus Pius V, solemni Constitutione *Ex omnibus*,

afflictionibus, conglobatim ita pronuntiat : « Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, *in rigore et proprio verborum sensu ab auctoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immitentes, respective*... damnamus. »

Baius autem edidit apologiam, rogavitque Pontificem, ut Bullam tanquam subreptitiam rescinderet; quam e contra S. Pontifex matura deliberatione editam fuisse rescripto declaravit, 1569; atque tandem post multas tergiversationes, Baius damnatas propositiones retractavit et ejuravit.

2° Attamen cum, anno 1579, nonnulli illas propositiones propugnare pergerent, Gregorius XIII, Constitutione *Provisionis nostræ*, Bullam Pii V confirmavit, jubendo eam recipi, et denuo propositiones damnari. Exinde Baius de sua obedientia ex officio interpellatus, respondit se Bullam Gregorii XIII reverenter suscipere, et omnes illas damnatas propositiones, *secundum Bullæ ipsius intentionem* damnare, subscriptamque manu propria suæ doctrinæ damnationem emisit, sed etiam, in signum sinceri erga Sedem Apostolicam obsequii, ad S. Pontificem ipse scripsit; et usque ad mortem, 1589, in sua obedientia immobilis perseverare visus est.

3° Cum vero, ipso defuncto, errores ejus a plurimis, ac præsertim a Jansenio Yprensi, cœpissent instaurari, Urbanus VIII, Pianam et Gregorianam, Bulla *In eminenti*, an. 1641, confirmavit.

II

Expositio doctrinalis.

137. — Baianismus ex hoc Baii principio totus defluere videtur, nempe : *justitia* consistit *formaliter*, non in gratia aliqua *infusa* in *anima*, sed in *obedientia* mandatorum, quæ est *operum justitia*, prop. 42. Id est, juxta sensum Baii : non dantur *habitus*, aut qualitates supernaturales, sed *actibus* solummodo anima Deo placet : porro, juxta eumdem, duplex tantum actus possibilis est, scilicet, *actus obe-*

dientiæ mandatorum seu *charitatis*, et actus inobedientiæ seu *cupiditatis vitiosæ*. Unde

138. — 1° *In statu naturæ innocentis*, 1. « humanæ naturæ *sublimatio* et *exaltatio* in *consortium divinæ naturæ*, *debita* fuit *integritati* primæ conditionis, et proinde *naturalis* dicenda est, et non *supernaturalis*, » prop. 23, 55; atque ideo « *bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna* justis promissa fuit; nec Angeli et primi hominis adhuc integri, *merita* recte vocantur *gratia*; sed bonis Angelis et primo homini, si in illo statu perseverasset usque ad ultimum vitæ, *felicitas* esset *merces*, et non *gratia*; » prop. 4, 5, 2, 12, 1, 7, 3, 11. Igitur 2. « *immortalitas* primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed *naturalis conditio*, » prop. 6, 78. Consequenter 3. « Deus non potuisset ab initio creare hominem qualis nunc nascitur, » prop. 55.

Et revera, juxta Baium, justitia formaliter consistit in obedientia mandatis : porro Deus hominem creare nequit sine justitia seu absque expedita facultate hujusmodi obedientiæ; ergo illa facultas seu potius ipsemet obedientiæ et divini amoris actus, in quo fuit constitutus primus homo, erat naturalis et homini *essentialis*; et proinde merita atque merces seu vita æterna, ex illo amore consequentia, ad ordinem etiam naturalem pertinebant. Idem ratiocinium fieri potest pro immortalitate ac supra, n. 130. Unde

139. — 2° *In statu naturæ lapsæ*, 1. « peccatum originis vere habet rationem peccati *sine ulla relatione* ac *respectu* ad *voluntatem ejus, a quo originem* habuit; » prop. 47, 48, 49.

2. « *Concupiscentia* et prava ejus desideria, quæ *inviti* sentiunt homines, sunt *vera legis inobedientia*, et prohibita præcepto : *Non concupisces*, » prop. 51, 74, 75, 76.

3. « Liberum arbitrium, sine Dei adjutorio, *nonnisi ad peccandum valet*, nec *ulli* tentationi resistere homo potest; » prop. 27, 28, 30, 40. Ideo « quod *voluntarie* fit, *etiamsi necessario fiat*, libere tamen fit; » nam « *sola violentia* repugnat libertati hominis naturali; » et proinde « homo

peccat, etiam damnaliter, in eo quod necessario facit; » prop. 39, 41, 66, 67. « In peccato duo sunt, *actus* et *reatus;* transeunte actu, *nihil remanet nisi reatus* seu obligatio pœnæ; » prop. 56.

Et vero, juxta Baium, justitia primi hominis erat in facultate et in actu obedientiæ mandatorum, humanæ naturæ omnino essentiali; ergo lapsus seu peccatum naturæ humanæ est in privatione hujusmodi justitiæ, seu *actus*, imo et *facultatis* obedientiæ, atque in permanenti statu et actu inobedientiæ vitiosæ cupiditatis et concupiscentiæ, quæ ideo peccatum est, Proinde nonnisi ad peccandum valet homo; nec ad peccatum requiritur facultas expedita obedientiæ, seu libertas a necessitate. Attamen non concipitur quomodo peccatum sit in parvulis, in quibus non est actus peccaminosus et personalis, qui solus constituit peccatum, juxta Baium.

140. — 3° « *Justitia*, qua justificatur per fidem impius, consistit *formaliter* in *obedientia* mandatorum, quæ est *operum justitia;* non autem in gratia aliqua *infusa* in *anima*, qua *adoptetur* homo *in filium* Dei, et secundum *interiorem* hominem *renovetur*, ac *divinæ naturæ consors* efficiatur; atque ideo sacramento Baptismi aut sacerdotis absolutione, proprie *reatus peccati duntaxat tollitur;* » prop. 42, 44, 63, 69, 57. Attamen « charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est *semper conjuncta* cum *remissione peccatorum*, » (seu reatus peccatorum); prop. 32.

Hinc 1. « *ratio meriti* non consistit in eo quod, qui bene operantur, habeant gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed *in eo solum*, quod *obediunt* divinæ legi; » prop. 15, 13, 17, 61, 62.

Hinc 2. « *omnis amor creaturæ* rationalis aut *vitiosa* est *cupiditas*, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa *charitas*, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur, » prop. 38; et ideo « distinctio duplicis amoris illa, *naturalis* videlicet quo Deus amatur ut *auctor naturæ*, et *gratuiti* quo Deus amatur *ut beatificator*, vana est et commentitia..., et cum Pelagio sentit, qui *aliquid boni naturalis*... agnoscit; » prop. 34, 36, 37.

Hinc 3. « non est *vera* legis *obedientia*, quæ fit *sine charitate*, nullumque est peccatum ex natura sua *veniale*; » prop. 16, 20; et ideo, « omnia *infidelium opera* sunt *peccata*; *philosophorum virtutes* sunt *vitia*; infidelitas etiam negativa peccatum est; atque dantur præcepta plane *impossibilia*; » prop. 25, 68, 54.

Et vero, juxta Baium, justitia est in ipso *actu* in se naturali obedientiæ seu charitatis, a quo per peccatum originale homo destituitur; ergo *gratia justificans* nihil aliud est quam idem ille *actus* quatenus a Deo post peccatum *gratis* nobis restituitur; atque sacramentum quodlibet nonnisi reatum pœnæ tollere potest. Proinde *sola* gratia dans *actum* charitatis seu gratiâ *efficax* divini amoris admittenda est, atque ad merendam vitam æternam *sufficit*. Quicunque igitur illam gratiam seu illum actum a Spiritu Sancto non habet, eo ipso inobediens est, seu peccat, et vitiosus est in omnibus actibus suis aut dispositionibus, nec potest non peccare.

141. — *Quæritur* 1° in quonam Baius a Luthero dissentiat, vel cum eo consentiat?

Resp. 1. Dissentit a Luthero Baius, in eo quod, iste affirmat *peccata* vere et interne remitti, et *concupiscentiam* quoad actum destrui per charitatem perfectam, et non semper quoad *reatum* pœnæ; *justitiam* esse in *actu* obedientiæ mandatorum; *medium* justificationis esse gratiam, quæ dat illum actum. Lutherus vero docet *peccata* non vere remitti, sed tegi; *concupiscentiam* etiam in justis dominari; *reatum* pœnæ per justificationem destrui, *justificationem* esse in mera et externa *imputatione* justitiæ Christi; et tandem *medium* justificationis esse *fiduciam*, qua creditur Deum, ex sua misericordia, talem remissionem et imputationem reipsa pronuntiare.

2. Consentiunt autem in eo quod, uterque affirmat nullam fuisse gratiam ante hominis lapsum, post lapsum autem animam non interius renovari per habitus supernaturales; in homine etiam justo remanere tantum libertatem a coactione; ideoque solam gratiam efficacem et neces-

sitantem esse agnoscendam; hanc autem gratiam dare actum, cujus naturaliter capax erat homo ante lapsum, ac proinde hujusmodi gratiam esse *in se* quid mere *naturale*, etsi, post lapsum, gratuito et supernaturaliter concessam.

Uterque igitur naturalismum ante lapsum hominis, post lapsum vero *supernaturale relativum* profitetur, ita ut naturalismus sit utriusque systematis essentia; licet, pro statu naturæ lapsæ reparatæ, uterque, tollendo libertatem hominis, in falsum-Supernaturalismum deflectat.

142. — *Quæritur* 2° in quonam Baius et Lutherus cum Pelagio consentiant, vel ab eo dissentiant?

Resp. 1. Baius et Lutherus cum Pelagio asserunt Adamum non fuisse constitutum in ordine supernaturali. 2. A Pelagio autem dissentiunt, eo quod insuper affirmant integritatem naturæ et immortalitatem fuisse primo homini quid debitum, adesse peccatum originale, concupiscentiam esse peccatum, nec in homine remanere libertatem a necessitate; dum, juxta Pelagium, illa integritas naturæ et peccatum originale nunquam exstiterunt, sed ignorantia, concupiscentia, ærumnæ, infirmitates corporis, morsque ipsa in Adamo et in cæteris hominibus naturalia sunt, ita tamen ut concupiscentia non sit peccatum, atque homo remaneat liber a necessitate.

PUNCTUM III

De Jansenismo.

I

Expositio historica.

143. — 1° *Persona et liber Jansenii.* Cornelius Jansenius, ex catholicis parentibus apud Batavos, anno 1585, natus, Theologiæ magistrum Lovani habuit Jacobum Jansonium, doctrinæ Baianæ defensorem acerrimum. Anno 1607, exacto Theologiæ curriculo, una cum amico abbate San-Cyrano se Parisios confert, dehinc Bajonam, ubi collegii primarius institutus, per septem aut octo annos cum eodem Abbate novum systema circa gratiam adumbravit.

Postea Lovanium revertitur; atque, cum fuisset collegio S. Pulcheriæ præfectus, declaratus S. Facultatis Doctor, et regius sacrarum Litterarum professor institutus, provehitur, anno 1636, ad sedem Yprensem, in qua post triennium lue extinguitur. Morti proximus, extremam et moribundam manum admovit famoso operi suo, quod inscripsit, *Augustinus*, cui per annos 22 improbo labore incubuerat. Illius edendi curam imposuit Capellano suo; atque in suo testamento cuncta sua opera Sedis Apostolicæ judicio sic submittit Jansenius : « Si Sedes Romana aliquid mutari velit, sum obediens filius; et illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ita mea postrema voluntas[1]. »

2° *Damnatur liber Augustinus.* Vix autem primam lucem aspexerat liber *Augustinus*, 1640, cum illum *tanquam Baii errores, magno cum Catholicorum scandalo* renovantem, damnavit Urbanus VIII, Bulla *In eminenti*, 1641, n. 149.

3° *Quinque propositiones.* Cum nihilominus a pluribus iidem errores Baii et Jansenii moverentur, D. Cornet, Syndicus Facultatis Parisiensis, quinque propositiones ex libro *Augustinus* excerpsit, in quibus totum Jansenii systema contraheretur. Quæ propositiones S. Pontifici denuntiatæ ab Episcopis Gallicanis 85, damnatæ fuerunt ab Innocenti X, Bulla *Cum occasione*, 1652.

4° *Distinctio juris a facto.* Tunc vero, ut Jansenii defensores hujus Bullæ auctoritatem eluderent, dixerunt præfatas propositiones *in se* quidem esse damnandas, et vere legitimeque ab. Inn. X damnatas, sed non reperiri in libro Jansenii; aut, si in illo reperirentur, saltem non in eo sensu, quo damnantur. Et hæc fuit prima origo famosæ *juris* a *facto* distinctio-

1. In privatis ad San-Cyranum epistolis, sic loquitur; « Doctrina, quam in S. August. reseravi, *omnibus stuporem* incussura est; » epist. 113. — « Non audeo dicere quid sentio de Prædestinatione et Gratia; ne forte, antequam omnia parata sint et matura, mihi quod aliis, accidat, *Romæ damnetur, sicut damnatus fuerat Baius;* » epist. 16. Et in Epist. 131, ait, « se adduci non posse, ut credat *opus suum a judicibus* (Romano nempe Pontifice) *approbandum unquam fore.* » Tandem in Epist. 16, sic habet : « Audeo dicere mihi compertum esse quod, si utraque tum Jesuitarum, tum Thomistarum schola ad extremum judicii diem disputatura sit, semper magis sit aberratura, *cum jam a veritate centum leucis distet*. Cum Augustinum degusto, fastidit Thomas. »

nis. Quapropter Alexander VII, sui prædecessoris Constitutionem *Cum occasione* confirmans, definivit *quinque propositiones ex libro Cornelii Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse*; ita in celebri Bulla *Ad sacram*, 1656.

5° *Formularium*. Promovente Clero Gallicano, et ut ambagibus hæreticorum via præcluderetur, idem S. Pontifex præscripsit formularium a quibuscunque ecclesiastici ordinis subscribendum ; et quo subscribens declarat se subjicere Bullis *Cum occasione*, et *Ad sacram*, atque quinque propositiones prout per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, *sincero animo rejicere ac damnare, et ita jurare*. Bulla *Regiminis*, 1665.

6° *Casus conscientiæ*. Attamen, circa annum 1702, in lucem prodiit libellus, cui titulus, *Cas de conscience*, in quo quæritur, utrum absolutio denegari possit ecclesiastico, qui subscriberet præfato formulario, et *nihilominus, quantum ad quæstionem facti*, seu attributionem illarum quinque Propositionum libro Jansenii, *existimaret religiosum sufficere silentium*. Qua occasione Clemens XI, Constitutiones Innoc. X, et Alex. VII, iterum renovat et confirmat; atque definitive pronuntiat *obedientiæ, quæ præinsertis Constitutionibus debetur, obsequioso silentio minime satisfieri*; ita Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, 1705.

7° *Quesnellius*. Novas in Ecclesia turbas excitavit Paschasius Quesnellus, Oratorii Gallici Presbyter, occasione libri cui titulus : *Le nouveau Testament en françois avec des réflexions morales*, etc., anno 1671 primum in lucem prodiit, et tandem absoluti anno 1693. Clemens VI prædictum librum proscripsit, et 101 ex eo extractas propositiones, sub variis censuris respective, speciatimque prout *hæresim quinque Jansenii propositionibus expressam renovantes*, damnavit, Bulla *Unigenitus*, 1713.

8° *Synodus Pistoiensis*. Nec tamen tot tantisque censuris hæresis Janseniana interempta fuit. Sed, dum in Gallia a pluribus hactenus propugnaretur, in Italia asserta fuit, cum aliis erroribus, a Synodo Pistoiensi, 1786, promovente hujus urbis Episcopo Scipione Ricci. Actus autem illius Synodi, et speciatim 85 propositiones, ex quibus septem ut hæreticas, damnavit Pius VI, Bulla *Auctorem fidei*, 1794.

Tandem genium, quædam consectaria, finemque hæresis Jansenianæ sic contrahuntur post Bergier : « De toutes les

hérésies, que l'on a vu éclore dans l'Eglise, il n'en est aucune, qui ait eu des défenseurs plus subtils et plus habiles; pour le soutien de laquelle on ait employé plus d'érudition, plus d'opiniâtreté, que celle de Jansénius. Il fallut la tourmente révolutionnaire pour faire disparaître ces docteurs turbulents, et leurs erreurs avec eux... Le Jansénisme prêta main-forte au déisme et à l'incrédulité pour démolir l'antique édifice de l'Eglise, et se montra au commencement du XVIIIe siècle, comme pour inaugurer cette lutte séculaire du philosophisme contre la foi, et amonceler sur l'horizon des nuages, qui récélaient tant de foudres et de tempêtes. » Systema Jansenii cum suis probationibus, diserte et erudite in operibus Fenelonii confutatur.

II

Expositio doctrinalis.

144. — 1° In hoc palmari principio et in ista consequentia totum contrahitur Jansenii systema : In statu naturæ lapsæ, *delectatio superior est necessario et relative victrix*; et proinde *nulla est vera libertas a necessitate*, *nec gratia vere et proprie hic et nunc sufficiens*.

Scilicet 1. voluntas humana, per protoparentis peccatum, prorsus amisit *activam* hanc liberi arbitrii *flexibilitatem*, qua *sese*, *pro nutu*, in bonum ferebat, vel in malum.

2. In præsenti ideo statu, voluntas non movetur nisi aliqua *delectatione*, seu *vitali* et indeliberato *animi motu*, quo fertur in aliquod objectum tanquam sibi conveniens et jucundum.

3. Porro delectatio duplex est, *cœlestis* seu indeliberatus motus *charitatis*, movens ad bonum; et *terrena* seu *concupiscentiæ* motus, ad malum sollicitans.

4. Ergo voluntas, veluti machina quædam, trahitur semper et necessario alterutra harum delectationum. Videlicet, duæ illæ delectationes, sibi invicem oppositæ, sunt quoad gradum vel inæquales, vel æquales : si prius, quæ *relative* ad alteram superior est, semper et necessario *inferiorem* vincit, atque eodem modo trahit voluntatem; *inferior* tamen, juxta gradum virium sibi proportionatum, vim superioris destruit et remittit. Si posterius, tunc duæ illæ de-

lectationes sese invicem elidunt, atque nullo modo movetur voluntas.

145. — Hinc 1. *sola superior delectatio charitatis* trahit voluntatem *ad bonum;* et dicitur gratia seu delectatio *relative victrix*, seu dans *potestatem relativam* ad omnes circumstantias, in quibus hic et nunc versatur voluntas; ita ut non solum sit vere sufficiens, sed *necessario efficax.*

Hinc 2. *inferior* vel *æqualis* delectatio charitatis *in se* quidem sumpta, et abstrahendo a delectatione terrena hic et nunc superiori vel æquali, non solum sufficeret, sed et necessario voluntatem traheret, et propterea dicitur gratia *absolute sufficiens.* Considerata autem qualis hic et nunc reipsa sollicitat voluntatem, seu utpote *inferior* vel *æqualis*, revera non trahit, nec *potest* voluntatem trahere; nec *hic et nunc*, seu *relative* ad circumstantias in quibus versatur voluntas, *vere* et *proprie sufficiens* est; ideo *parva gratia* nuncupatur.

Hinc 3. in statu naturæ lapsæ, *nulla* est *libertas a necessitate*, nec gratia *vere practice sufficiens.*

Igitur, in hoc systemate, voluntas comparari potest bilanci, et delectationes ponderibus. Scilicet, si in bilanci pondera hinc et inde appendantur æqualia, bilanx æquilibratur necessario; si inæqualia, in gravioris partem necessario deprimitur. Unde in bilance pondus levius in se *absolute* sufficit ad bilancem suas in partes inflectendam; non tamen *relative* ad pondus oppositum, quod gravius, vel æquale supponitur.

Similiter, si in voluntate æquales inter se decertent delectationes, cœlestis et terrena, hoc ipso voluntas *in medio remanebit*, ut ait Jansenius; si vero alterutra delectatio gradibus alteri prævaleat, prævalentis motum voluntas sequetur necessario. Ergo delectatio inferior, si in se spectetur et *absolute*, sat quidem virium habet ad voluntatem suas in partes rapiendam; minime vero, si *relative* ad superiorem delectationem, quæ ex adverso præponderat.

Et tamen Janseniani contendunt hominem, cui deficit delectatio *superior* seu gratia *vere* et *relative sufficiens*, in cau-

sam esse et peccare; eo quod ei remanet *parva gratia* in se et *absolute* sufficiens, licet prorsus *insufficiens* sit hic et nunc, et *relative* ad circumstantias, in quibus homo peccat,

146. — 2° *Consectaria.* Hæc sunt quinque propositiones ex libro Jansenii excerptæ, cum notis quibus ab Innoc. X, Bulla *Cum occasione,* confixæ sunt, in sensu a Jansenio intento :

1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus et conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.*

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur : *hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.*

3. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione : *hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.*

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare : *falsam et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.*

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse : *falsam, temerariam, scandalosam :* et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.*

147. — *Quæritur* 1° an quinque illæ propositiones ex allato *delectationis relative victricis* principio defluant ?

Resp. affirmative. Etenim 1. mandata iis sunt impossibilia, secundum præsentes, quas habent, vires, quibus deest delectatio charitatis superior et relative victrix ; siquidem nulla est gratia vere et *relative* sufficiens : porro illa delectatio charitatis superior et relative victrix certe deest justis quandoque

peccantibus; ergo *aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus et conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia. deest quoque illis gratia, quo possibilia fiant.*

2. Nunquam resistitur gratiæ, quæ semper et necessario totum suum sortitur effectum: atqui gratia interior in statu naturæ lapsæ, ex præfato principio, semper et necessario totum suum habet effectum; namque illa gratia seu delectatio charitatis vel est *superior*, et tunc semper et necessario trahit voluntatem; vel *æqualis*, et tunc vim oppositam et æqualem elidit; vel *inferior*, et tunc etiam vim oppositam, juxta gradum sibi proportionatum, deprimit; ergo *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

Vel etiam, delectatio charitatis relative victrix est sola vere sufficiens et proprie dicta gratia: porro huic delectationi relative victrici nunquam resistitur; ergo, etc.

3. In statu naturæ lapsæ homo meretur operando bonum, demeretur autem malum patrando: atqui in hoc statu homo non operatur bonum aut malum, nisi sub motu necessitante delectationis relative victricis; ergo, *ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

4. Ex jam dictis, interiori gratiæ nunquam resistitur: porro, juxta Jansenium, falso quidem, Semipelagiani asserebant gratiam, ad initium fidei necessariam, talem esse cui posset voluntas humana resistere, vel obtemperare; ergo *in hoc erant hæretici*, n. 151.

5. Ex jam dictis, juxta Jansenium, et quidem falso; semipelagianum est admittere gratias, quibus homo possit resistere: porro, qui dicit Christum pro omnibus mortuum esse, eo ipso admittit gratias, quibus voluntas humana non solum potest resistere, sed de facto resistunt, quicunque non salvantur; ergo *semipelagianum est dicere Christum pro omnibus mortuum esse aut sanguinem fudisse*; n. 121.

148. — *Quæritur* 2° in quonam Jansenius cum Baio conveniat?

Resp. Jansenius Baii systema integre renovat sub aliis verbis, textibus S. August. omnino detortis innixus. Etenim 1. quod Baius vocat *concupiscentiam et charitatem perfectam*, a Jansenio *delectatio cœlestis et terrena* nuncupatur. 2. Juxta Jansenium, homo non est intrinsece malus; bo-

num enim operari potest propriis viribus, sed gratia agit actione interna et necessaria, nullaque adest gratia vere et relative sufficiens : porro non aliter sentit Baius.

149. — *Quæritur* 3° an Bullæ, *Ex omnibus afflictionibus*, *Provisionis nostræ*, n. 136, *In eminenti*, *Cum occasione*, *Unigenitus*, *Auctorem fidei*, n. 145, quoad doctrinam spectatæ, contineant *supremum* et *infallibile judicium* Ecclesiæ?

Resp. affirmative. Etenim 1. ex dictis in Tract. *de Eccle.*, n. 48, 50, decretum a S. Pontifice prolatum circa Revelationis depositum, et uti regulam ad universalem Ecclesiam directum, eique impositum, est infallibile et irrefragabile : atqui tales sunt Bullæ de quibus agitur, ut ex earum objecto, tenore et fine patet; ergo quatuor illæ Bullæ continent supremum et infallibile judicium.

Similiter Bullæ *Regiminis*, et *Vineam Domini Sabaoth*, n. 143, quæ versantur præcipue circa *factum dogmaticum*, plenam fidem *ecclesiasticam* et obsequium internum sibi vindicant. Competit enim S. Pontifici potestas suprema decretum irrefragabile condendi circa hujusmodi facta, ut vidimus in Tract. *de Eccl.*, n. 172, 175.

NUMERUS III

De Fideismo.

150. — Fideismus est ipsemet falsus-Supernaturalismus in suo *criterio* spectatus; et ideo eodem modo se habet ad falsum-Supernaturalismum, ac Rationalismus ad Naturalismum. Namque Naturalismus, ex dictis, n. 123, in solo lumine *naturali* seu *ratione* suum criterium ponit; e contra in sola *auctoritate divina*, aut etiam in *fide supernaturali* omnem certitudinem fundat falsus-Supernaturalismus.

Rationalismus, perhibendo rationem ab omni auctoritate doctrinali independentem, omnia Religionis christianæ dogmata, imo et fundamenta societatis civilis a pluribus seculis evertere conatur, 125. Exinde, ut contra hæc rationis deliramenta ordinem supernaturalem et etiam civilem societatem defenderent, atque in tuto ponerent, quidam apologistæ catholici in extremum oppositum delapsi sunt. Non

solum enim rationis abusum, sed ipsammet rationem impugnare attentarunt, atque de medio tollere conati sunt.

151. — Juxta illos, 1° *ratio individua*, seu prout invenitur in unoquoque hominum, prorsus *insufficiens* est ad certitudinem etiam ordinis naturalis acquirendam. 2° Criterium cujuslibet veritatis et certitudinis ultimo reponi debet in *divina revelatione* atque in *fide* ei præstata. 3° Hæc autem revelatio per diversum *medium* ad nos usque transmitti potest, eique mens adhærere ex diverso *principio*; et inde *Menesianismus*, et *Fideismus* simpliciter.

Scilicet. 1., juxta Menesianismum, veritates, quæ humanam intelligentiam constituunt, et quas Deus, creando hominem, ipsi revelare debuit, traduntur in *societate humana ope sermonis*; ergo *testimonium generis humani est medium quo, Deo instituente, verbum divinum nobis innotescit*; et proinde ipsius auctoritas, in sensu verissimo, *divina* et *infallibilis* dicenda est. Huic autem auctoritati ex instinctu quodam et fide aliquo sensu naturali mens assentit.

2. Juxta Fideismum simpliciter dictum, revelatio ad exercitium rationis necessaria, traditur per *verbum divinitus exaratum*, seu per Scripturam sacram. Huic autem revelationi per hoc medium assentit mens humana *ex gratia Spiritus Sancti*, et proinde *fide* ex parte sive objecti, sive principii *supernaturali*, quæ, mediante deposito revelationis in Scriptura sacra contento, de quibuslibet veritatibus nos certos efficit. Ita nonnulli ante nostra tempora, inter quos citatur Huetius, Episcopus Abrincensis; eumdem fideismum recens propugnavit Bautain.

Itaque, in utroque systemate, rationi vis intrinseca denegatur; atque asseritur objectum, medium et principium cujuslibet intellectualis assensus esse omnino vel saltem aliquo sensu *supernaturalia*. Proinde utrumque illud systema in falsum Supernaturalismum recidit.

152. — Menesianismus a Gregor. XVI, 1834, declaratus est « *fallax* et *plane improbandum* systema quo, ex projecta et effrenata novitatum cupiditate, veritas ubi certo consistit,

non quæritur, sanctisque et Apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinæ aliæ inanes, futiles, incertæ, nec ab Ecclesia probatæ adciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines arbitrantur. » Idem systema confutatur in *Prælect. philos.*

Fideismus improbatus est ab Episcopo Argentoratensi, cujus in hac re studium laudavit Gregorius XVI, 1834; atque D. Bautain superiorum judicio humiliter se subjecit. Postea vero, cum nova circa valorem rationis moverentur dissidia, emissum est decretum S. C. Indicis a Pio IX approbatum, quod iteravit Conc. Vaticanum, ut infra, n. 250.

§ III
De Falso-Mysticismo.

153. — ***Mysticismus***, a mysterio, vel a græco μυεω sacris initio, aut a μυω, abscondo, in genere significat *vitam absconditam in Deo,* seu *internam orationem* et animæ *cum Deo sermocinationem;* S. Franc. Salesius, *Traité de l'amour de Dieu,* lib. 6, c. 1. In specie autem et stricto sensu, consistit in *speciali* et *supernaturali statu orationis quietæ*, qua anima, ab omni sensibili cogitatione et affectione terrestri abstracta, jam, ex lumine interiori supernaturaliter circumfuso, Deum ut immensum æternumque lumen apprehendit, atque in extasim rapta, Dei bonitatem, infinitum amorem contemplatur, ardentissimoque laudis et adorationis actu *quiescit*, ita ut omnes ejus potentiæ et affectiones in Deum transformari videantur. Hujusmodi status extaticus, ex omnium consensu, est *extraordinarius* et *transitorius*, ac proinde nunquam *habitualis;* nec *ordinariam* et *communem* vitam Christianorum efformat.

154. — *Falsus-Mysticismus*, seu *Quietismus*, ad unionem animæ cum Deo perficiendam, rejicit ipsius *animæ activitatem* et *cooperationem,* atque asserit talem unionem a *Deo solo agente* in nobis *sine nobis* perfici.

Scilicet, in hoc systemate, anima *tendere debet ad annihilationem propriæ activitatis;* et proinde in oratione non utitur discursu, nec ad diligendum sese excitat; ad proprios

defectus non reflectit, nec tentationum rationem habet; non cogitat de præmio et punitione, desiderium propriæ perfectionis, sanctitatis, cœlestis mercedis et salutis non habet; nihil timet, ne infernum quidem; nihil petit a Deo, nec gratias agit : sed *Deo resignat liberum arbitrium, Deoque relinquit cogitationem et curam de omni re nostra, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.*

Hinc 1. illud systema differt a Naturalismo et falso-Supernaturalismo, in eo quod hæc duo ratione nituntur, aut saltem sese ratione defendere conantur; et utrumque in conscientiæ actibus, rationis præsertim et ratiocinii, viam quærunt, qua entia ad finem suum dirigi possint. E contra vero falsus-Mysticismus ratiocinium despicit, et ultra rationem et propriam animæ operationem, viam invenire fidit, per quam vita nostra completa perficiatur.

Hinc 2. illud systema in *Sensismum* decidit, a quo vix differt; atque falso-Supernaturalismo maxime affine est; dum totam initiationem rebus divinis a solo Deo agente procedere affirmat. Aliquando tamen asserit animam ex initiatione quadam extrinseca et *humana*, cum Deo conjungi, et tunc magis Naturalismo favet.

153. — Falsum-Mysticismum, sed in gradu valde diverso, docuerunt Abellardus, Beggardi, Beggini, Ekkar damnatus a Joanne XXII, 1329; Michael Molinos, qui integrum quietismi systema, quale jam exposuimus, excogitavit, et cujus propositiones 68 fuere damnatæ ab Innoc. XI, 1687.

Tandem propositiones 23 excerptæ ex libro Fenelonii, *Maxime des Saints*, in quibus, relative ad *statum* amoris erga Deum purissimi, activa hominis cooperatio, exercitatio virtutum, necessitas timoris pœnarum, desideriique remunerationum et etiam propriæ salutis, plus minusve removentur, damnatæ sunt ab Innoc. XII, Brevi *Cum alias*, 1699, ut *temerariæ* etc., ac etiam *respective erroneæ* : nulla tamen cum nota *hæresis*. Nemo nescit mirum nec unquam satis laudandum et imitandum Præsulis obsequium. Vide *Analecta* 1867, col. 1810, 897.

Circa omnes errores supra expositos, vide Denzinger, *Enchiridion symbolorum et definitionum*.

156. — *Conclusio articuli secundi*. Ex dictis in hoc articulo, quædam sponte defluunt. Scilicet,

1° Patet innumerabiles esse, et omnis generis, atque non minus sibi invicem quam doctrinæ catholicæ contrarios errores, quibus ordinis supernaturalis possibilitas, existentia, natura, conditiones et effectus impugnata fuerunt aut adulterata.

2° Nec clarius quam tanta illa errorum mole ostendi potest, in hac materia de summa et de visceribus dogmatis, ethicæ, et scientiæ asceticæ quæstionem moveri, nec esse disputationem tot scopulis refertam, tot tantisque difficultatibus impeditam.

3° Omnes præfati errores ex duobus extremis oriuntur, et ad extrema etiam præcipites ruunt. Igitur dogma catholicum, quod media via incedit, ex illorum expositione et damnatione jam aliquatenus expositum et statutum manet; ac proinde facilius et brevius demonstrari poterit in subsequentibus capitibus.

CAPUT II

DE SUPERNATURALITATE ORDINIS GRATIÆ

157. — Ex notione ordinis gratiæ in præcedenti capite exposita, n. 73, 86, 93, ut ejus supernaturalitas constet, duo probanda sunt, scilicet, extrinseca gratiæ essentia seu *quid* non *sit*, et intrinseca gratiæ essentia seu *quid sit*. Unde duplex erit articulus.

ARTICULUS PRIMUS

De extrinseca gratiæ essentia.

158. — Extrinseca gratiæ essentia in hoc consistit, quod gratia *non sit quid naturale*, seu secundum *exigentias* et *vires* naturæ *humanæ*, imo et naturæ *creatæ* cujuslibet, aut etiam *creabilis*, n. 73, 93. Ad hoc autem statuendum,

tria inquirere necesse est, nimirum, 1. an possibilis sit status naturæ puræ; 2. an possibilis sit status qui exigentias et vires naturæ contingentis excedat; 3. an ordo gratiæ revera excedat exigentias et vires naturæ contingentis. Quæ absolventur in triplici paragrapho.

§ I

De possibilitate status naturæ puræ.

159. — *Quæritur* quænam sit essentia status naturæ puræ, et quinam circa illius status essentiam et possibilitatem erraverint?

Resp. Ad naturæ puræ essentiam, ex dictis, n. 100, pertinet finis naturalis *assignatio* cum mediis naturalibus ad hunc finem assequendum *sufficientibus;* non autem medium *efficax*, perseverantia *finalis*, ipsa finis *assecutio*, immunitas ab *ignorantia, concupiscentia, dolore* atque *morte*.

Porro Fideistæ negant saltem implicite finis mere naturalis possibilitatem, dum asserunt in quolibet actu vitæ rationalis fidem aliquo modo supernaturalem requiri, n. 151. Similiter Baius et Jansenius eamdem possibilitatem rejiciunt, dum negant distinctionem duplicis amoris, naturalis scilicet et supernaturalis, n. 139, 144.

Pelagiani autem, Deistæ, Rationalistæ contendunt media efficacia, perseverantiam finalem, finis naturalis assecutionem, a natura et viribus cujusque exclusive pendere, n. 115, 125.

Tandem Lutherus, Baius, Jansenius asserunt ad debitum naturæ pertinere immunitatem ab ignorantia, concupiscentia, dolore et morte, n. 131, 138, 148. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

160. — *Assignatio finis mere naturalis cum mediis sufficientibus et mere naturalibus, est in homine et in omni creatura rationali possibilis*. Certum est.

Et quidem 1° *Assignatio finis mere naturalis*. Etenim, ex dictis n. 68, finis mere naturalis est ultima ipsius agentis seu naturæ unicuique individuo propriæ evolutio : atqui ultima evolutio alicujus naturæ per vires sibi proprias est

naturalis haud secus ac ipsa natura, n. 60; ergo assignatio finis mere naturalis in homine et in omni creatura rationali tam possibilis est, quam ipsa cujusque rationalis naturæ constitutio.

Et vero, juxta omnes Theologos, duplex esse potest finis pro creatura rationali, naturalis scilicet et supernaturalis : « Finis ad quem res creatæ destinantur a Deo, est duplex : unus qui excedit proportionem naturæ creatæ et facultatem, et hic finis est vita æterna; alius autem finis est *naturæ creatæ proportionatus*, quem scilicet res creata *potest attingere secundum virtutem suæ naturæ*, » S. Th. 1 p., q. 23, a. 1 ; ergo finis mere naturalis in homine et in omni rationali creatura possibilis est.

2° *Cum mediis sufficientibus et mere naturalibus*. Namque medium est quædam inchoata evolutio agentis, sicut finis est ejusdem evolutio consummata, n. 68 : porro, ex jam dictis, tam possibilis est finis mere naturalis in omni natura rationali, quam ipsa hujusce naturæ constitutio; ergo in omni creatura rationali possibile est medium mere naturale et sufficiens ad illum finem assequendum.

Revera, medium naturale et sufficiens obtinendi finem naturalem est Dei sive cognitio sive amor ejusdem ordinis, sicut et ipse finis naturalis est eadem cognitio et idem amor plene evolutus : atqui 1. naturalis cognitio Dei est possibilis, ex dictis in Tract. *de Deo*, n. 31-33, 145, et ex dicendis n. 250. Aliunde, repugnat creaturam rationalem propriis viribus non posse verum a falso, bonum a malo discernere, ac proinde Deum uti summum verum et summum bonum cognoscere.

2. Nec minus constat possibilem esse naturalem Dei amorem, siquidem contrarium in hac Baii propositione damnatum est : « Distinctio duplicis amoris, *naturalis*, videlicet, quo Deus amatur ut auctor *naturæ*, et *gratuiti*, quo Deus amatur ut *glorificator*, *vana* est et *commentitia*; » n. 140.

Ergo assignatio finis mere naturalis cum mediis sufficientibus et mere naturalibus est in homine et in omni creatura rationali possibilis.

Attamen juxta plures, homo, in statu naturæ puræ, posset quidem ex viribus sibi intrinsecis diligere Deum, sed non *super omnia* ex *amore puro*, absque *speciali* auxilio in se naturali; ita Suarez, *de Gratia*, lib. 1, c. 36; vide n. 170.

161. — *Quæritur* quid in homine pertineat *ad debitum naturæ?*

Resp. 1. Ex parte hominis, ad *debitum naturæ* pertinent *anima* et *corpus*, ac proinde *facultates*, saltem in aliquo gradu, sentiendi, cogitandi, libere sese determinandi, sese movendi. Sine his enim ipsa natura humana nec esse, nec concipi potest.

2. Ex parte Dei, ad idem debitum naturæ pertinent actio *creatrix* et *conservatrix*, qua præfata naturalia in suo esse constituuntur ac retinentur; sed insuper *sufficiens auxilium*, juxta consuetas leges concessum, quo facultates naturæ humanæ in proprium seu naturalem actum erumpere *possint*, atque homo finem naturæ suæ suisque propriis actibus proportionatum assequi valeat. Vide Tract. *de Deo*, n. 145-147, 150.

162. — Per hujusmodi actionem creatricem, conservatricem et cooperatricem, Deus intime præsens est omnibus rebus, et creaturæ rationalis actibus, ut dictum est in Tract. *de Deo*, n. 97, 106. Quæ vero naturalis unio creaturæ rationalis cum Deo sedulo distinguenda est ab unione supernaturali, de qua in paragrapho subsequenti tractabitur.

Cæterum, assignatio finis mere naturalis nunquam de facto exstitit, cum homo et Angeli, a primo instanti suæ creationis, ad finem vere supernaturalem destinati fuerint, n. 202, 203.

163. — *Obj.* **Homo creari nequit in eo statu, in quo non posset satiari naturalis ejus appetitus; atqui revera ita se haberet ille appetitus in statu naturæ puræ; ergo hujusmodi status est impossibilis.**

Resp. Nego minor. Etenim satiatur naturalis appetitus hominis per finis in ordine naturali assecutionem: atqui tali assecutione privatus non fuisset homo in statu naturæ puræ,

nisi sua culpa; ergo, in hoc statu, naturalis appetitus hominis satiari potuisset.

164. — *Inst.* 1. Cuilibet creaturæ rationali inest appetitus innatus in claram Dei visionem : porro hujusmodi visio non fuisset in statu naturæ puræ; ergo in hoc statu satiari non potuisset innatus humanæ naturæ appetitus.

Resp. Dist. Major. Innatus inest appetitus ad perfectam Dei cognitionem naturalem seu abstractivam, *conc.*; supernaturalem seu intuitivam, *nego*. Natura enim non inclinat, nisi ad id, quod est ipsi possibile : atqui visio Dei intuitiva non est naturæ humanæ commensurata, sed supernaturalis, n. 180; ergo ad hanc visionem nullus inest creaturæ rationali naturalis appetitus, ut infra confirmabitur, n. 180. Et revera S. Paulus, de illa visione loquens, dicit : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec *in cor hominis ascendit,* quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. » I Cor. 2, ℣. 9.

165. — *Inst.* 2. Beatitudo etiam naturalis stare nequit absque inerrantia, impeccabilitate et certitudine de beati status perpetua duratione : atqui hæc omnia non fuissent in statu naturæ puræ; ergo in hoc statu adipisci non posset homo beatitudinem etiam naturalem.

Resp. Nego minor. Namque, in statu naturæ puræ, inerrantia, impeccabilitate et certitudine de suæ beatitudinis perpetuæ gauderet homo, non quidem in via, sed cum, post, consummata merita suo statui proportionata, perfecta Dei cognitione abstractiva et amore correspondente donaretur. Et vero « beatus non est homo, nisi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non possit, eique certum sit ita semper futurum ; hoc enim natura expetit, nec plene et perfecte beata erit, nisi adepto quod expetit. » S. August. *de Civit.* lib. 4, c. 25.

PROPOSITIO II

166. — *Auxilium efficax, perseverantia finalis, realis consecutio finis ad debitum naturæ non pertinent, sed sunt dona aliquo sensu gratuita.* Certum est.

Et quidem 1° non *auxilium efficax* seu *ipsa executio mediorum*. Namque auxilium efficax, quo, scilicet, creatura rationalis aliquod bonum realiter et effective perficit, n. 98, et quo non privatur nisi sua culpa, in quantum *efficax*,

differt ab auxilio sufficienti, si non intrinsece et natura sua, ut volunt Thomistæ, saltem propter opportunitatem circumstantiarum in quibus confertur, ut fatentur Congruistæ et Molinistæ : atqui naturæ debito satisfacit auxilium sufficiens, alioquin non esset sufficiens; ergo illa saltem opportunitas, qua auxilium fit efficax, est aliquo sensu gratuita, ideoque ad naturæ debitum non pertinet. Vide Tract. *de Deo,* n. 109, 140, 147, 151.

2° Nec *perseverantia finalis*. Etenim finalis perseverantia, stricto sensu sumpta, consistit in *coexistentia* status amoris in anima, cum termino status viæ : porro talis opportunitas termini non est intra exigentias naturæ, nec per se cadit sub merito, ut patet; ergo est donum aliquo sensu gratuitum; n. 329.

3° Nec *consecutio finis*. Namque finis consecutio, seu in perfecta beatitudine naturali quies et consummatio, supponit expletionem omnium facultatum naturalium, impeccabilitatem, ac proinde auxilium universaliter, constanter et in excellenti gradu efficax, et consequenter præ cæteris gratuitum.

Et vero, non minus rationi, quam fidei repugnat stoïcismi infandus error et reprobanda audacia, qua a Deo exquirere et exspectare bona physica sufficiens judicat homo; virtutem vero, perfectionem et beatitudinem a seipso et suis viribus in sua propria natura investigare et inquirere[1]: « Nemo habet *de suo* nisi *mendacium* et *peccatum;* » Conc. Arausic. II, can. 22. — « Hoc habet creatura *ex seipsa tendere in nihilum*, in quantum est de nihilo; » S. Th. 1 p., q. 104, a. 3. Vide Tract. *de Deo*, n. 105, 107; *de Angelis*. n. 29.

167. — Itaque *assecutio* finis ultimi in ordine naturali, a libera, gratuita et specialiter benefica Dei voluntate pen-

1. « Jupiter det vitam, det opes, *æquum mihi animum ipse parabo;* » Horatius. — « Ex omnium consensu, fortuna et bona externa a Jove expectanda sunt. Quis autem ab illo unquam petierit *justitiam, temperantiam, sapientiam?* » Cicero, *de Natura deor.*, lib. 3, c. 36. Equidem quomodo virtutem hominibus præstassent dii, omnibus vitiis sceleribusque infecti et contaminati?

det. In hoc verisimiliter intuentur illi Theologi, qui negant dari aliquem finalem statum beatitudinis in ordine naturali.

Nihilominus, ex gratuitate, de qua agitur, inferri nequit auxilium efficax, perseverantiam finalem, finis consecutionem esse quid in se aut in modo supernaturale. Etenim illud naturale dicendum est, quo nulla creatura rationalis privari potest, nisi sua culpa : atqui, ex omnium confesso, auxilio efficaci, perseverantia finali et finis consecutione nullus privatur, nisi sua culpa ; certum est enim Deum neminem deserere, nisi prius deseratur, n. 17 ; ergo finis naturalis in destinatione, naturalis remanet etiam in consecutione ; et idem verum est de efficaci auxilio et finali perseverantia, quibus revera obtinetur finis.

168. — Præfata vera sunt quoad debitum naturæ *distributive* seu in individuis sumptæ. At dici potest aliquo modo repugnare, nullam ex creaturis rationalibus auxilio efficaci potiri, nec finem suum obtinere, sicque fine suo penitus de facto carere creationem ; ac proinde in eodem sensu dici potest ad debitum naturæ *collective* sumptæ, pertinere auxilium efficax, perseverantiam finalem et finis consecutionem, ut dictum est in Tract. *de Deo*, n. 151.

PROPOSITIO III

169. — *Integritas naturæ ad debitum naturæ humanæ non pertinet, seu ignorantia quædam, concupiscentia, dolor et mors ipsa in natura humana non repugnant.* Certum est.

Constat ex damnatione istarum Baii propositionum : « *Integritas* primæ creationis non fuit *indebita* naturæ humanæ exaltatio, sed *naturalis ejus conditio*... Deus *non potuisset* ab initio *talem creare* hominem, *qualis nascitur ;* » prop. 21, 55 ; n. 138.

Sed insuper probatur per partes ; scilicet, in natura humana non repugnat 1° *ignorantia,* seu quædam *rationis debilitas,* ex qua contingit, *quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem,* et *in errorem de facili labitur*. Namque, ut Deus satisfecerit debito naturæ, satis est quod homo, pro-

priis viribus, vel per auxilium sibi naturaliter debitum, sufficienter cognoscere possit finem suum ultimum, atque media ad illum consequendum: porro talis cognoscendi capacitas, et cognitionis actus coexistere possunt cum quadam cognoscendi difficultate, et facili labilitate in errorem, ut patet; ergo non repugnat hominem præfatæ ignorantiæ naturaliter obnoxium esse.

2° Nec *concupiscentia*, seu *vis instinctiva* appetendi bona *creata*, *præveniens* rationis et voluntatis imperium, eique *renitens*, ita tamen ut vinci possit; ex qua oritur bene agendi difficultas, quæ dicitur *morbus*, *languor* naturæ humanæ.

Prob. 1. *Ex SS. Patribus*, qui integritatem naturæ, n. 101, in primo homine ante peccatum, vocant *donum cœleste*, *gratiam*, S. Chrys., S. Cyrill. Juxta S. Augus., « quamvis *ignorantia* et *difficultas* essent *primordia naturalia*, nec sic culpandus, sed *laudandus* esset Deus. Non enim ante omne meritum boni operis, parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, et quietem difficultati, ut ad hæc non *nascendo*, sed *studendo* perveniat. Quod si res ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas supplicium peccati, sed *proficiendi admonitio*, et *perfectionis exordium*. » Quare idem S. Doctor de statu hominis innocentis dicit: « *Gratia magna* ibi erat, ubi *terrenum* et *animale* corpus *bestialem libidinem* non habebat. » *De Dono persev.* c. 11; *de Lib. arb.* l. 3, c. 20; *contra Julian.* lib. 4, cap. ult.

2. *Ex communi Theologorum consensu*, post. S. Th., qui asserit « Deum a principio potuisse hominem condere *mortalem* et *passibilem*, et *sentientem concupiscentiæ pugnam ad rationem*: in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc *ex principiis naturæ* consequitur; » *Contra Gent.* l. 4, c. 52; *in Dist.* 2, c. 31, q. 1.

3. *Ratione*. Etenim concupiscentia, prout hic intenditur, non repugnat in se, nec libertati, nec nativæ hominis conditioni; ergo nullo modo.

Non *in se* quidem. Juxta adversarios, homo naturaliter obnoxius esse nequit concupiscentiæ, eo quod hæc sit peccatum proprie dictum: atqui hoc omnino falsum est; vis

enim meræ instinctiva, seu *motus primo-primus* ad illicita alliciens, de se non est malum, nec deordinatio proprie dicta, ut patet, et hoc declaravit Conc. Trid., n. 6. Aliquando tamen concupiscentia a S. Paulo peccatum apellatur; sed solum eo quod ad peccatum inclinat, et quia, in statu naturæ lapsæ, ex peccato est, ut ait etiam Conc. Trid. n. 6.

Nec *libertati*. Non obstante enim appetitus resistentia, homo, ex hypothesi, potest sane et juxta leges Dei judicare, et per voluntatem sequi et implere rationis præscriptum : porro hoc satisfacit debito naturæ, nec tenetur Deus naturæ statum perfectissimum conferre; ergo, etc.

Nec *nativæ hominis conditioni*, cujus e contra consectarium videtur esse vis concupiscendi. Namque homo naturaliter constat carne et spiritu; et ideo ei connaturalis est apprehensio boni corporalis et sensibilis per sensum et appetitum, et simul boni spiritualis et intelligibilis per intellectum et voluntatem : atqui bona sensibilia ab appetitu apprehensa, non semper concordant cum spiritualibus a voluntate rationali intentis, imo iis sæpe sæpius opponuntur; ergo homini connaturalis est pugna inter appetitum sensibilem, et rationalem voluntatem. Præterea talis pugna ad emolumentum virtutis inservire potest, ut fiat *proficiendi admonitio, perfectionis exordium, amoris probatio, virium moralium ostensio et incrementum quoddam*, ut ait S. August., *de Dono persev*, c. 11, 12. *Virtus* enim *in infirmitate perficitur*; II. Cor. 12, ✝ 9.

3° Nec *dolor*, sive *moralis*, sive *physicus*. Etenim 1. talis dolor in se non facit existentiam non-existentia pejorem; et aliunde non parum inservire potest ad probationem et perfectionem virtutis, et ad meriti augmentum, ut Scriptura, SS. Patribus et experientia constat. 2. Connaturale est homini sentiendi contraria, ut ab eis præcaveat: atqui dolor moralis aut physicus nihil aliud est quam emotio, aut impressio et sensatio oriens ex causa ordinationi congruenti contraria; ergo dolor est homini connaturalis. 3. Dolores sunt via ad mortem : atqui mors non repugnat naturæ humanæ, ex statim dicendis; ergo nec via ad illam.

4° Nec *mors* ipsa, seu corporis ab anima separatio, saltem per aliquod tempus. Constat 1. ex damnata Baii propositione: « *Immortalitas* primi hominis, non erat *gratiæ beneficium*, sed naturalis ejus conditio; » n. 138.

2. *Ex SS. Patribus* et *Theolog.* « Aliud est, inquit S. August., non posse mori, aliud posse non mori: secundum quemdam modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, *non de constitutione naturæ... Mortalis* ergo erat *conditione corporis animalis, immortalis* autem *beneficio conditoris;* » *in Genes*, l. 6, c. 25. Idem docet S. Th. ut supra, et 1. 2, q. 85, a. 5.

3. *Ratione*. Deus perfecte liber est in omnibus actibus suis externis; nihil enim necessarium in contingentibus: atqui unio corporis cum anima est opus Dei externum; ergo eadem libertate, qua duas illas substantias conjungit, easdem disjungere potest. Et vero, quod fieri potest materia virtutis, certe non repugnat: atqui mors, prout voluntarie accipitur, fit sacrificium vitæ, atque materia præcellentis actus religionis; ergo in se non repugnat, nec facit existentiam non-existentia pejorem, sed ex magna parte convenit,

Dixi : *saltem per aliquod tempus*. Anima enim, qualis nunc existit et quidem ex natura sua, indiget illa unione cum corpore. Non minus enim naturalis est hujusmodi unio, quam ipsamet naturæ humanæ constitutio; propterea, teste conscientia, naturaliter appetimus per organa sentire et agere, et cum corporibus hujus universi, nostro corpore mediante, commercium quoddam inire. Ergo anima, si permaneret immortalis et sine illa unione, esset in statu finali, saltem sub hoc respectu, suæ naturali aptitudini contrario; ita contra Ripalda, et alios plures, qui aliter sentire videntur. Vide Billuart, *de Gratia*, dissert. 2, art. 2, obj. 3.

170. — *Quæritur* utrum *ignorantia, dolores* et præsertim *concupiscentia* fuissent in *eodem gradu* et *ejusdem ponderis* in statu naturæ puræ, ac in præsenti statu naturæ lapsæ?

Resp. Distinguendum est : debilior in suis naturalibus, ex lapsu primi hominis, effici potuit humana natura duplici modo, vel *intrinsece*, seu per intrinsecam virium diminutionem, et per intimam læsionem ; vel *extrinsece*, seu per impedimentum superveniens, aut per substractionem auxilii, n. 207. Porro

1° Alii negant *intrinsece* debiliorem et infirmiorem esse statum naturæ lapsæ, quam esset status naturæ puræ ; ita S. Th., Bellarm., Suarez, etc. Nam 1. SS. Patres et Concilia ubique docent mutationem in Adamo, per peccatum factam, positam esse in amissione doni naturæ humanæ indebiti ; ita ut non magis differat status naturæ lapsæ a statu naturæ puræ, quam spoliatus a nudo; ergo homo, per lapsum, non fuit intrinsece læsus in naturalibus.

2. Quod *naturale est, amitti non potest* per peccatum. Nec enim substantia animæ, nec intellectus, nec voluntas, nec aliæ facultates naturales per subtractionem diminui possunt in seipsis, cum sint indivisibiles, et remissionis incapaces; ergo, si scientia, integritas, et felicitas major, ac in statu præsenti, essent humanæ naturæ essentiales, remansissent post peccatum originale.

2° Alii vero contrarium affirmant, inter quos S. August., quem sequuntur multi, recentiores præsertim. Etenim 1. centies, contra Pelagianos, ille S. Doctor probat existentiam peccati originalis ex vehementissima concupiscentia, qua in malum nitimur, et ex immensa miseriarum cohorte, quibus, ne ipsis quidem infantibus exceptis, in hac vita obruimur. « Si enim, ut addit, parvuli habent *innocentiam*, Deus, in tot et tantis malis quæ patiuntur, aut *justitiam*, aut *omnipotentiam*, aut ipsam *curam rerum humanarum est perditurus ;* » *Opus imperf*., l. 1 ; ergo, juxta S. August., Deus non potuisset hominem constituere cum debilitate et infirmitate ejusdem ponderis, ac in statu præsenti.

Nec ab hac sententia longe est ipse S. Th. : « Quamvis, inquit, hujusmodi defectus *naturales* homini videantur *absolute*, tamen, considerando divinam providentiam et dignitatem animæ, quæ corpori fuit conjuncta, ut ei dominaretur, *satis probabiliter* probari potest hujusmodi defec-

tus esse *pœnales*, et exinde colligi genus humanum peccato aliquo originaliter esse infectum. » *Cont. Gent.* l. 4. c. 52.

2. Ex omnium consensu, ut dicetur n. 262, seclusa Christi gratia, homini lapso moraliter impossibilis est observantia totius legis naturalis: porro in illa impossibilitate morali hominem naturaliter constitui non posse videtur. Et revera, primæ sententiæ patroni confitentur, quod Deus, non ex debito quidem naturæ, sed ex naturali misericordia, et omnino convenienti sapientia et liberalitate, tribuisset homini, in statu naturæ puræ, auxilium ad frenandam concupiscentiam, et ad finalem beatitudinem consequendam; ita Suarez, *de Gratia, proleg.* 4, c. 2, n. 13: porro non facile concipitur illud auxilium in hujusmodi conditionibus esse vere gratuitum, nec proinde quomodo illi auctores sibi cohæreant, dum simul primam sententiam propugnant.

3. Axioma: *Quod est naturale, nec minui, nec augeri potest,* distinguendum est: quod *naturam* seu *essentiam* cujusque speciei constituit, non potest minui vel augeri, *conc.*; quod vere *accidentale* est, minui vel augeri nequit, *neg.* Scilicet, extra dubium videtur, aliqualem ex proprietatibus naturæ humanæ constitutivis, detrahi non posse, vel aliam novam similiter constitutivam superaddi, quin eo ipso natura humana destruatur, et alia nova specifice distincta constituatur; S. Th. 1. 2, q. 85, a. 1.

At proprietates illæ constitutivæ possunt plus minusve *quoad gradum* recipere, et simul eædem in se remanere; sic omnes homines iisdem proprietatibus constituuntur, sed non in eodem gradu omnes præditi sunt facultate ratiocinandi, bonum aut malum concupiscendi; ergo, ex hac parte, non repugnat vires etiam naturales fuisse per originale peccatum, quoad gradum, attenuatas et remissas.

3° Alii tandem *extrinsece* solum debiliorem et infirmiorem esse statum naturæ lapsæ, ac status naturæ puræ, sentiunt; ita Theolog. Wirceburgensis. Etenim certum est hominem, per lapsum, contraxisse peculiarem dæmonis servitutem, et sub ejus captivitate et potestate speciali titulo redactum esse, ut declaravit Conc. Trid., n. 2, 7; ergo ex

hoc capite verisimile est, ait ipse Suarez, difficiliorem esse homini lapso bonam operationem etiam ordinis naturalis, quam si esset innocens et in puris naturalibus.

Præterea, extrinsece et ex oppositione impedimenti, minus habilis est homo ad bonum morale in statu naturæ lapsæ non reparatæ, eo quod, per peccatum originale, aversus est a Deo etiam ut ultimo fine naturali, ut infra dicetur, n. 231; quæ autem aversio non esset in statu naturæ puræ. Ita Billuart, *de Gratia*, dissert. 2, art. 3.

Quidquid sit de illa diminutione virium, sive intrinseca, sive extrinseca, omnes, ut vidimus, saltem tanquam satis probabile tenent, cum S. Thoma, attenta Dei *providentia* et *animæ dignitate*, hominem creari non posse cum miseriis in eodem gradu ac in statu præsenti. Et hæc sufficiunt ad scopum nostrum, circa conditiones essentiales naturæ humanæ.

§ II

De possibilitate status, qui excedat exigentias et vires naturæ contingentis.

171. — Possibilitas est negativa, vel positiva : prior consistit in eo quod nulla repugnantia inter duos terminos percipitur; posterior vero est convenientia percepta inter duos terminos. Porro Rationalistæ contendunt statum vere supernaturalem rationi repugnare, n. 126. Itaque

PROPOSITIO

172. — *Nulla percipitur repugnantia, sed potius convenientia quædam apparet in statu alicujus creaturæ rationalis, qui excedat exigentias et vires naturæ contingentis.* Certum est.

Etenim 1° illud solum repugnat, quod involvit contradictionem : atqui nulla sane percipitur contradictio ex parte omnipotentiæ divinæ in productione status, qui excedat exigentias et vires alicujus naturæ contingentis, nec ex parte illius naturæ in receptione status hujusmodi. Et revera, ex dicendis n. 188, status supernaturalis de facto hominibus et Angelis concessus, est communicatio et participatio quædam naturæ et vitæ divinæ : atqui nulla ap-

paret repugnantia in hujusmodi participatione; ergo nemo probare potest statum vere supernaturalem ex aliqua parte repugnare.

2° E contra vero, supposita illius status revelatione, ratio quamdam in eo convenientiam detegit, sive ex parte Dei, sive ex parte creaturæ rationalis.

Et quidem 1. *ex parte Dei*. Namque Deus, quatenus omnipotens, ad extra perficere potest quidquid est positivum et finitum, alioquin non esset vere omnipotens : atqui status, qui excedat exigentias et vires creaturæ rationalis, ac constituatur per aliquam communicationem et participationem naturæ et vitæ divinæ, est quid positivum et finitum, haud secus ac ipsa creatura, quæ illum recipit; ergo talis status vere possibilis est ex parte Dei. Sed etiam

2. *Ex parte creaturæ rationalis*. Etenim in tota creatura duplex distinguitur potentia, una *naturalis*, altera *obedientialis* : prior est ad actum viribus naturæ proportionatum; v. g., quasdam virtutes *acquirere* est potentia connaturalis in anima : posterior est ad actum vires naturæ excedentem et a Deo immediate inductum, v. g., virtutes infusas *suscipere*. Prior est activa; posterior est passiva, quatenus est ad suscipiendum in se quidquid Deus voluerit.

Porro, quod potentia obedientialis insit creaturæ ad suscipiendos multiplices, diversos, successivos status, ac proinde ut creatura a Deo immediate, absque concursu causarum secundarum, transmutetur, et ita, sub influxu divino, suscipiat statum, qui exigentias et vires naturæ contingentis excedat, certum est.

Namque 1. Deus existit supra leges naturæ, et ideo supra naturæ leges operatur, n. 64; ergo « in tota creatura est quædam obedientialis potentia, prout tota creatura *obedit* Deo ad suscipiendum in se quidquid Deus voluerit; » S. Th. q. *de Virt.*, a. 10, ad 13; q. *de Potent.*, 6, a. 1, ad 18; 3 p. q. 1, a. 3, ad 3; q. 11, a. 1; Goudin, *Philos.*, 4 p. a. 3.

2. « Quanto aliqua virtus activa est altior, tanto eamdem rem potest perducere in altiorem effectum, » S. Th., q. *de Potent.*, *ibid.* : porro in Deo virtus est infinita; ergo virtus divina creaturam perducere potest ad omnem altio-

rem effectum, qui in ea non repugnat. Sic quælibet creatura, ope alterius creaturæ altiori virtute prædita, producit effectus, quorum per se sola incapax remanet : cur, ergo, ope auxilii divini, creatura rationalis ad statum et operationem non elevaretur, cujus incapax remaneret etiam cum adjutorio omnium causarum secundarum?

3. Obedientialis potentia est passiva, quatenus est ad suscipiendum quidquid Deus voluerit : atqui ens seu perfectio, quæ jam inest creaturæ, per se novam perfectionem et altiores vires non excludit, quia ens enti non repugnat, sed e contra affine est, sicut lux luci; sic, v. g., eo quod animæ insit potentia connaturalis ad aliquas virtutes *acquisitas*, non exinde sequitur quod non possit *infusas* virtutes *suscipere;* ergo inest creaturæ rationali potentia ad suscipiendum quidquid non repugnat, et ideo statum, qui ejus exigentias, ac vires excedat. Suarez, *de Gratia,* lib. 8, c. 2, n. 13; Sylvius, 1 p. q. 43, a. 3, conc. 2, 3.

3° Per rationalis creaturæ elevationem ad statum vere supernaturalem, mirifice manifestantur divina attributa, sapientia præsertim, bonitas et omnipotentia, n. 195, 196.

Nec minus perficitur orbis universus, dum entia etiam infima ad finem aliquo modo vere divinum, mediante illa rationali creatura, ultimo referuntur.

Tandem hæc creatura rationalis, naturam vitamque ipsius Dei participando, fit Deo speciali et eximio modo similis et quasi affinis; atque ideo mire excitatur ad perfectissimam erga Deum religionem impendendam, et ad omnia erga proximum officia fidelissime adimplenda, ut in illo statu et constituatur, et proficiat, et in æternum quiescat. Vide Suarez, *Metaph.* disput. 35, sect. 1.

173. — *Obj.* 1° Status qualiscunque recipitur in potentia naturali : porro, quod recipitur in naturali potentia, eo ipso naturale est; ergo nullus esse potest status vere supernaturalis.

Resp. Nego minor. Natura alicujus effectus seu status non exclusive pendet a natura subjecti seu causæ recipientis, sed præsertim a natura causæ efficientis ; effectus enim assimilatur causæ efficienti : porro causa efficiens status supernatu-

ralis in ente rationali, non est hujus potentia naturalis, sed ipse Deus, qui immediate in subjecto creato hujusmodi statum producit; ergo talis status non est naturalis, eo ipso quod recipitur in potentia naturali.

Et vero, per obedientialem potentiam, creatura non tam obedit, quam non resistit, non statum supernaturalem efficit, sed hujus a Deo productionem recipit, adeoque illa potentia non est tam positiva, quam negativa: porro nullus effectus suam naturam sortitur a causa negativa, sed a causa positiva; ergo, quod recipitur in naturali facultate, non est eo ipso naturale.

174. — *Inst.* 1. Status gratiæ est quid creatum et finitum: atqui omnis res creata et finita est eo ipso naturalis; ergo naturalis est status gratiæ.

Resp. Dist. minor. — Omnis substantia creata et finita est quid naturale, *conc.*; omnis modus in substantia creata et finita, est naturalis, *nego*. Etenim substantia creata est ipsamet creaturæ natura; ergo omnis creata substantia est essentialiter quid naturale, n. 68, 74; at nullus modus quatenus talis vel talis, per se est aliquid creaturæ essentialis, nec ideo, quatenus talis vel talis, est pars naturæ creatæ, seu essentialiter quid naturale: porro gratia non est substantia, sed accidens, n. 74; ergo hujusmodi status, licet sit quid creatum et finitum, non est eo ipso quid naturale.

175. — *Obj.* 2° Repugnat status quo natura destruitur, aut infra se deprimitur, aut immutatur: atqui talia forent status supernaturalis consectaria; ergo hujusmodi status repugnat.

Resp. Nego minor. Per statum enim gratiæ natura entis rationalis non destruitur, sed stabilitus evehitur et extollitur; non infra se deprimitur, sed supra se exaltatur; non in suo ordine immutatur, sed ultra ordinem suum perficitur.

Et vero, per statum gratiæ, homo cogitat et vult modo non solum humano, sed etiam humano-divino seu theandrico; ergo tota perfectio humana in homine integra remanet, sed insuper quædam divina forma humanæ perfectioni superadditur.

176. — *Inst.* Repugnat status, quo increatum cum creato confunditur: atqui talem confusionem importat status gratiæ; ergo repugnat.

Resp. Nego minor. Nam increatum cum creato confunderetur quidem, si status supernaturalis consisteret in aliqua subs-

tantia vere divina, quæ alicui creaturæ vere propria fieret; at illo status est solum accidens seu forma quædam ipsius substantiæ creatæ, qua hæc substantia fit *accidentaliter* divina seu deifica, deiformis, n. 187, 188, 190 : atqui talis modificatio nullam increatæ substantiæ cum substantia creata confusionem per se requirit; ergo non repugnat status supernaturalis.

177. — *Obj.* 2° Rejiciendum est quidquid ratione non demonstratur : atqui ratione non demonstratur ordo gratiæ; ergo rejiciendus est.

Resp. Dist. major. Rejiciendum est quidquid non demonstratur rationibus intrinsecis, nec extrinsecis, *conc.* : quidquid non demonstratur rationibus intrinsecis, etsi extrinsecis argumentis fulciatur, *nego*. Scilicet, veritas quædam nobis constare potest vel intrinseca ipsius rei evidentia, vel ex irrefragabili illius, qui intrinseca rei evidentia potitur, testimonio; quod proinde ad vere rationalem demonstrationem sufficit : atqui ordo gratiæ nobis constat non quidem intrinseca evidentia, sed ipsius Dei testimonio, ex statim dicendis; ergo talis ordo ratione sufficienter demonstratur.

Et vero, gratiæ ordo, prout a nobis spectatur, est *factum* quoddam contingens et psychologicum, de quo actualem conscientiam non habemus; ergo solo testimonio et quidem divino nobis constare potest.

§ III

An ordo gratiæ revera excedat exigentias et vires naturæ contingentis.

178. — Ex notionibus allatis, n. 73, 95, ordo gratiæ non est quid naturale, sed supernaturale, modo excludat omne debitum naturæ et personæ, seu modo exigentias et vires naturæ contingentis excedat.

Porro, juxta Lutherum et Baium, gratia non fuit supra exigentias naturæ humanæ ante lapsum per originale peccatum, sed quid ei debitum, atque ideo tunc gloria at personæ debitum pertinuit, n. 131, 138.

Juxta Pelagianos, in præsenti hominis statu, gloria non est supra naturale meritum, sed intra personæ debitum remanet; et idem affirmarunt de gratia, post Zozimi decretum, n. 114, 116. Hanc de gratia sententiam renovarunt

Semipelagiani, n. 121. Itaque, ad excludendum sive naturæ, sive personæ debitum, duplex erit assertio.

PROPOSITIO PRIMA

179. — *Ordo gratiæ ad naturæ debitum non pertinet, seu exigentias naturæ contingentis excedit.*

Propositio de *fide* est pro statu naturæ lapsæ; *certa* pro homine in statu naturæ innocentis, et pro Angelis, seu pro natura quacunque de *facto creata*; *communiter* asserta pro natura qualibet *creabili*, ut directe expendetur, n. 199.

Prob. 1° *Script.* Etenim 1. de *gloria* seu de fine ordinis gratiæ, dicitur : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec *in cor hominis ascendit*, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum; » I Cor. 2, ℣ 9. — « *Gratia* Dei, *vita æterna*, in Christo Jesu Domino nostro; » Rom. 6, ℣ 23. — « Deus lucem inhabitat *inaccessibilem*, quem *nullus* hominum *vidit*, sed *nec videre potest;* » I Tim. 6, ℣ 16.

Unde sic : ille finis non est intra, sed supra debitum seu exigentias naturæ humanæ, qui in cor hominis nunquam ascendit, quem nullus vidit, nec videre potest, qui est inaccessibilis simpliciter, qui tanquam gratia Deum diligentibus præparatur : atqui hoc dicit Scriptura de gloria seu de fine ordinis gratiæ; ergo hujusmodi finis est supra exigentias naturæ humanæ.

Et vero, in textibus allatis, nihil enuntiatur ut exclusive pertinens ad statum naturæ lapsæ, sed verba sunt absoluta; ergo gloria est supra debitum naturæ humanæ etiam ante lapsum seu in se sumptæ.

Porro, ex supernaturalitate finis infertur medii supernaturalitas, n. 68, 77; ergo medium ad gloriam consequendam, seu gratia, ac proinde totus ordo gratiæ est supra naturæ humanæ exigentias.

2. De donis *gratiæ* dicitur : « Vidimus eum (Christum) plenum *gratiæ*..., et de *plenitudine ejus* nos omnes accepimus; » Joan. 1, ℣ 16. — « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut *filii* Dei nominemur et *simus;* » I Joan. 3, ℣ 1. — « Deus *maxima* et *pretiosa* nobis *promissa donavit*, ut per hæc efficiamini *divinæ consortes naturæ;* » II Petr. 1, ℣ 4.

Unde sic : illud medium non est intra, sed supra debitum seu exigentias naturæ humanæ, quod perhibetur ut gratia etiam in ipso Christo, ut realis filiatio adoptiva a Deo, ut in se quid præ cæteris donis maximum et pretiosum atque ex promissione concessum, ut speciale ipsius naturæ divinæ consortium : atqui hoc dicit Scriptura de gratia, quatenus est medium necessarium ad gloriam consequendam; ergo hujusmodi medium est supra exigentias naturæ humanæ,

Porro, ex supernaturalitate medii constanter adhibiti ad aliquem finem obtinendum, infertur hujusce finis supernaturalitas, n. 68, 78; ergo finis gratiæ, ac proinde totus gratiæ ordo est supra naturæ humanæ exigentias.

Jam vero « præfata testimonia, ait Suarez, omnes Theologi intelligunt, non solum de hominibus, sed etiam de Angelis, et ideo cum eadem certitudine affirmant assertam propositionem respectu *omnis intellectus creati;* » *de Deo*, lib. 2, c. 8, n. 6.

2° *Traditione*. SS. Patrum testimonia respectu hominis lapsi remittimus ad caput quintum et sextum; respectu autem hominis innocentis, ad caput proxime sequens. Hic igitur eorum sententia de gratiæ ordine respectu Angelorum referre sufficiat. « Deus Angelos in bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis et *condens naturam* et *largiens gratiam*. Unde etiam de *sanctis* Angelis dici potest, quod *charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum;* » S. August. *de Civit.*, lib. 12, c. 9. — « *Sanctificatio* non est absque *Spiritu;* nec enim Virtutes cœlorum *sua natura sanctæ* sunt. Nam, si id esset, *nulla ratione differrent a Spiritu Sancto*... Sanctificatio quæ est *extra illorum substantiam*, perfectionem *adjungit per communicationem Spiritus;* » S. Basil., *de Spirit. S.*, c. 16. — « *Spiritus Sanctus*, non solum sejunctis a se hominibus, sed et singulis quibusque Angelis *inhabitator* assistit. Quoniam *omnis creatura non ex sua substantia*, sed ex *communicatione alterius sanctitatis sancta* perficitur; » Didymus, *de Spirit. S.*, 1. — « Per *verbum* Angeli omnes *creati* sunt, ac *per Sancti Spiritus sanctificationem, omnes perfectionis*

numeros acceperunt:.. *sanctitatem* aliunde quam *a sua natura, nimirum a Spiritu Sancto,* habent; » S. Damasc., lib. 2, c. 5.

Itaque, juxta SS. Patres, Angeli, et a fortiori homines, a *sua natura* sanctitatem et perfectionem non habent, quam etiam habere *non possunt*, alioquin non differrent *a Spiritu Sancto*, cujus speciali communicatione sancti sunt, postquam *verbo* Domini fuerunt creati; ac proinde, juxta illos, ordo gratiæ non potest non esse supra exigentias naturæ angelicæ.

Ex decisionibus Ecclesiæ idem constat. Etenim Conc. Viennense ut hæreticam damnavit sequentem propositionem: « Quælibet intellectualis natura in se ipsa *naturaliter* est *beata*, et *anima non indiget lumine gloriæ*, ipsam *elevante* ad videndum Deum, et eo beate fruendum. » Ergo de fide est gloriam ac proinde gratiam esse supra debitum naturæ hominis lapsi; et eamdem ex hac definitione supernaturalitatem inferunt Theologi respectu hominis innocentis et Angelorum.

Ex Conc. Araus. II, can. 19, « *natura* humana, etiamsi in illa *integritate*, in qua est condita, permaneret, non posset *sine gratia* Dei custodire *salutem*, quam *accepit*. »

Tandem in Bulla *Auctorem fidei*, tanquam *falsa*, *erronea*, *hæresi* pelagianæ *favens*, damnata est hæc Baii propositio: « *Humanæ naturæ* sublimatio et exaltatio *in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis*, et proinde *naturalis* dicenda est, et non *supernaturalis*; » n. 138. Ergo certum est ordinem gratiæ esse supra exigentias naturæ humanæ et angelicæ seu naturæ cujuslibet de facto creatæ.

3° *Ration. theol.* 1: Omnia monumenta, quibus nititur Religio christiana, hanc perhibent ut beneficium a creatione distinctum: atqui, posito quod dona gratiæ et gloriæ sint naturæ debita, jam nullum discrimen concipitur inter christianismum et creationis beneficium, sed omnia Religionis christianæ mysteria sunt veluti appendices naturæ humanæ, illorumque necessitas et natura a priori et ex ipsa hominis natura demonstrantur: hoc autem totam

Christianismi œconomiam evertit; nec ab aliquo vere christiano unquam fuit propugnatum; ergo, etc.

2. Si gratiæ et gloriæ dona sunt naturæ debita, tunc vana est et commentitia distinctio illa duplicis amoris, *naturalis* videlicet, quo Deus amatur ut *auctor naturæ*, et *gratuiti* quo Deus amatur ut *beatificator* : porro talis propositio a Baio asserta, damnata est, n. 140; ergo dona gratiæ et gloriæ non sunt naturæ debita, sed gratuita.

Et revera, omnes Theologi duplicem finem sive hominis, sive Angeli distinguunt, unum *naturalem*, ad quem tendit homo aut Angelus vi et impetu suæ naturæ, et alium excedentem naturam, ad quem ordinatur homo aut Angelus per gratiam, n. 160.

3. Tandem, ex Scriptura, gratia est *consortium naturæ divinæ*, realis *filiatio adoptiva* a Deo, *semen Dei* : atqui repugnat naturam, filiationem et substantiam divinam esse alicui creaturæ connaturalem, siquidem tunc creatura fieret substantialiter Deus; ergo dona gratiæ sunt supra exigentias naturæ cujuslibet, et prorsus gratuita.

Præfata thesis iterum confirmabitur ex dicendis in subsequentibus capitibus.

180. — *Quæritur an dona ordinis gratiæ sint supra appetitum innatum* et *naturalem?*

Resp. affirmative. Etenim 1: sententia contraria ut *suspecta* et *hæresi semipelagianæ favens* damnata est in Bulla *Auctorem fidei*, prop. 16.

2. Ipse naturalis appetitus alicujus objecti jus ad hoc constituit; talis enim appetitus est ad bonum, sine cujus consecutione creatura satiari nequit; et proinde non ordinari ad illud, esset contra providentiam connaturaliter debitam naturæ : porro, ex dictis, dona gratiæ sunt supra omne debitum naturæ; ergo nullus est ad illa appetitus innatus et naturalis.

3. Appetitus innatus certe non tendit ultra ultimum terminum suum, seu finem naturalem; ergo non datur talis appetitus ad finem supernaturalem et dona gratiæ. « Ideo, addit Suarez, non consequenter locuti sunt Scotus, Soto et

alii, qui, ponentes talem appetitum, admittunt distinctionem duplicis finis ultimi, vel negant esse homini connaturaliter debitum creari propter visionem intuitivam; » *de Gratia*, proleg. 4, c. 1.

Equidem, ut ait S. Th., « homini inditus est appetitus finis ultimi *in communi*, ut, scilicet, appetat naturaliter, se esse completum in bonitate; sed in quo ista completio consistat, non est determinatum a natura...; ergo homo non naturaliter appetit aliquod *speciale* bonum, ut *visionem Dei*; » q. 22, *de Volunt.*, a. 7. Vide n. 164; Suarez, lib. 2, c. 13, n. 9.

PROPOSITIO II

181. — *Ordo gratiæ ad personæ debitum non pertinet, sed vires et naturale meritum naturæ contingentis excedit.* Huic propositioni convenit triplex certitudinis gradus præcedenti propositioni affixus.

Prob. 1° *Script.* Omnia enim Scripturæ testimonia in præcedenti propositione allata, perhibent gloriam et gratiam ut dona simpliciter gratuita; ergo gratiæ ordo omne debitum personæ contingentis excedit. Revera S. Paulus, in Epist. ad Rom., c. 11, ℣ 6, declarat justitiam non esse ex operibus, alioquin jam non esset gratia, sed ex liberalitate Dei et intuitu meritorum solius Christi.

2° *Traditione.* SS. Patres, ex supra dictis, gloriam et gratiam perhibent ut dona prorsus gratuita in Angelis, ac proinde in homine innocente, et a fortiori in homine lapso; ergo gratiæ ordo ad personæ debitum non pertinet.

Revera Pelagiani et Semipelagiani, eo quod assererent gloriam et gratiam dari ex prævio naturali merito, tanquam hæretici damnati sunt a Conc. Milevitano II et Arausicano II; atque Conc. Trid. iterum definivit hominem per *humanæ naturæ opera* non posse *justificari*, nec *promereri vitam æternam*, n. 23, 24; ergo de fide est gratiæ ordinem esse supra meritum saltem hominis lapsi.

Sed insuper idem pro homine innocente et Angelis infertur ex damnatione harum Baii propositionum : « *Bonis operibus sine alio respectu, vita æterna* promissa fuit; nec

Angeli et primi hominis adhuc *integri*, *merita* recte vocantur *gratia*; sed bonis Angelis et primo homini, si in illo statu perseverasset usque ad ultimum viæ, *felicitas* esset *merces*, et non *gratia*; » n. 138.

3° *Ration. theol.* 1. Ex præcedenti propositione, natura seu agens naturalis nullam proportionem habet cum donis gratiæ et gloriæ : atqui ad meritum requiritur proportio inter agentis actum et rem meritam ; ergo gloria et gratia sunt supra vires et naturale meritum hominis et Angeli.

2. Ex dictis in præcedenti propositione, substantia Religionis christianæ differt a beneficio creationis, atque duplex distinguitur amor et finis ultimus, naturalis scilicet et supernaturalis : atqui hæc distinctio evanescit, posito quod bona opera ordinis naturalis mereri possint gratiam et gloriam, n. 122 ; ergo gratiæ ordo omne debitum personæ humanæ et Angelicæ excedit.

3. Ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 219, 244, 247, Christus pro hominibus et Angelis gratiam et gloriam promeruit : atqui tale meritum prorsus fit inutile, si dona gloriæ et gratiæ non sunt supra meritum naturale hominis et Angeli ; et hujusmodi consectarium confitebantur Pelagiani, n. 115 ; ergo gratiæ ordo vires et meritum naturæ, sive humanæ, sive Angelicæ, excedit.

182. — Hinc 1° ordo gratiæ ab ordine naturæ differt *realiter* et *intrinsece*, et non tantum *extrinsece* et *nuncupative*, ut quidam senserunt Nominalistæ.

Etenim donum, quod a natura differt tantum ex mera appellatione et vocabulo, vel ex simplici mutatione relationis, non vere a natura distinguitur, nec vere et proprie dici potest supra exigentias naturæ et naturale meritum, ut patet : atqui tamen, ex duplici præcedenti propositione, ordo gratiæ est supra omne debitum naturæ et personæ ; ergo realiter et intrinsece supernaturalis est.

183. — Hinc 2° tria probata manent, scilicet : 1. dona ordinis gratiæ sunt *supra exigentias naturæ*, sive humanæ, sive angelicæ, ita ut nulli debeantur naturæ de facto creatæ,

nec natura creata ullum cum illis habeat proportionem, ex cujus ea exigat a Deo et obtineat. 2. Dona ordinis gratiæ sunt supra *meritum naturale operum*; ita ut superent *vires activas* et *operationes naturæ*, nec possint per ulla naturalia opera *ex justitia* obtineri. 3. Dona ordinis gratiæ a natura vero sunt distincta, et ab illa omnino differunt, atque vere et proprie *supernaturalia* sunt, ut dicuntur. Unde jam constat *extrinseca* gratiæ essentia.

184. — *Obj.* 1° Homo est morali libertate naturaliter præditus : atqui donum prorsus gratuitum tollit liberum arbitrium; ergo nunquam hujusmodi auxilium Deus homini contulit. Ita Pelagiani, n. 115.

Resp. Nego minor. Nulla enim incompatibilitas apparet inter gratuitatem doni concessi et libertatem subjecti recipientis; alioquin inter ipsos homines impossibilis esset gratuita et libera alicujus doni concessio, necnon et ejusdem libera acceptatio.

Et vero, auxilium Dei, qualecunque sit, non facit actum in nobis *sine nobis*, sed facit *nos agentes libere* sive naturaliter, sive supernaturaliter. Nihil enim positivi esse potest in contingentibus, quod a Deo non procedat; ergo homo est agens libere in ordine naturali aut supernaturali, secundum naturam ipsius divini auxilii.

185. — *Obj.* 2° Deus non est personarum acceptor : atqui concessio doni gratuiti implicaret in Deo personarum acceptionem; ergo Deus nullum donum largitur, quod ad debitum naturæ aut personæ non pertineat. Ita Pelagiani et Semipelagiani, n. 116, 120.

Resp. Nego minor. Ille enim est personarum acceptor, qui jus suum unicuique non tribuit : atqui hujusmodi injustitiam nullo modo implicat distributio qualiscunque doni prorsus gratuiti, quod, utpote gratuitum, Deus secundum suum beneplacitum, vel omnino denegare potest, vel aliquibus concedere, cæteris vero denegare, vel omnibus sufficienter offerre, et quibusdam tantum efficaciter largiri.

Revera donorum supernaturalium inæqualitas et diversitas ad totius ordinis supernaturalis pulchritudinem non minus confert, ac inæqualitas et diversitas donorum naturalium ad pulchritudinem ordinis naturalis.

Quam autem ratione Deus quibusdam, præ cæteris, in

ordine sive naturali, sive supernaturali specialiter faveat? nescimus; sed in hoc adest altum prædestinationis mysterium, de quo dicemus n. 391. Vide Tract. *de Deo* n. 147, 148.

ARTICULUS II

De intrinseca Gratiæ essentia.

186. — In præcedenti articulo statuimus proprietates gratiæ relative *ad naturam*, dicendo *quid non sit*. Nunc vero investigandum habemus factum gratiæ relative *ad Deum*, dicendo *quid sit*, sicque indicando positivum elementum definitionis gratiæ. Hoc autem absolvemus in quatuor paragraphis, 1° de essentia gratiæ generaliori modo spectatæ, 2° de ejus præcipuis characteribus in genere, 3° et in specie, 4° de ejusdem absoluta supernaturalitate [1].

§ I

De intrinseca essentia Gratiæ generaliori modo spectatæ.

187. — *Quæritur* quid sit gratia in se sumpta?

Resp. Gratia, generaliori modo spectata, positive et concrete definitur : *communicatio et participatio specialis naturæ et vitæ divinæ* facta *creaturæ intellectuali*, quæ, *quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in creatura, participante bonitatem divinam* sive *in substantia*, sive *in operatione*, S. Th. 1. 2, q. 110, a. 2, 4.

Dicitur 1° : *communicatio;* et hac voce tria correlativa indicantur : 1. donum ex parte auctoris communicationis; 2. receptio ex parte termini seu subjecti, cui donum communicatur; 3. communitas ipsa seu societas possidentium inter se et cum dante : quæ societas fundatur in aliquali unitate boni communis.

Dicitur 2° : *participatio;* hoc verbum aliquando sensum activum habet, et est termini *communicationis* synonymon;

1. Quæ ad intrinsecam gratiæ essentiam attinent, vix obiter indicantur in plerisque operibus Theologicis ad usum Seminariorum editis. Nos vero, hac consideratione permoti, quod in præfata quæstione continetur ipsa substantia ordinis supernaturalis, ad quem evehitur natura humana, et de quo tot nostro tempore moventur opiniones, erroresque, illam gratiæ essentiam ex integro exponere et demonstrare duximus, uniuscujusque magistri sapientiæ fidentes, ad prætermittendum, quæ tyronum captum superare videbuntur.

attamen, si stricte sumatur, in sensu magis passivo intelligitur, atque designat 1. possessionem et ipsam proprietatem, quæ in usu et fruitione consistit ; 2. originem hujus possessionis in aliquo principali et alio prorsus modo habente ; et ideo 3. includit ideam unionis simul et diversitatis cujusdam in re possessa. Eumdem sensum habet vox *consortium*, ad sortem seu navitatem alludens, qua fratres, pro sua parte, hæreditatem participant. Sorte enim seu nativitate fiunt hæredes : atqui ex nativitate quadam divina fimus hæredes, participes et ideo *consortes* essentiæ divinæ.

Dicitur 3° : *specialis ;* quo designatur communicationem et participationem, de qua agitur, discrepare ab illa, quæ fit per ipsam constitutionem alicujus naturæ præsertim rationalis, v. g., Angeli, animæ. Gratia enim naturam rationalem jam constitutam præsupponit, eique superadditur, illam *divinitus modificando,* ex statim dicendis.

Dicitur 4° : *naturæ et vitæ divinæ ;* quibus indicatur *objectum*, ut ita dicam, *materiale* illius specialis communicationis, et simul hujus discrimen a speciali communicatione per unionem hypostaticam ; in hac enim non primario et per se communicatur *natura* et *vita* divina, sed una ex tribus *personis* divinis.

Dicitur 5° : *facta creaturæ intellectuali ;* in quo *subjectum* illius communicationis asseritur ; siquidem sola creatura intellectualis participare potest naturam et vitam divinam, quæ lux et charitas est.

Dicitur 6° : qua, quod *substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in creatura ;* et sic indicatur *modus* seu *forma* præfatæ communicationis et participationis, et hujus discrimen a communicatione, quæ fit per *generationem Verbi,* et per *processionem Spiritus Sancti*. Scilicet, in illa generatione et in hac processione, natura divina *substantialiter* communicatur, ita ut terminus sit *persona* divina in divina essentia subsistens. In communicatione vero gratiæ, natura et vita divina est in creatura per modum *accidentis* cujusdam, ita ut creatura nihilominus subsistat, sed in *modo* essendi jam *deiformis, deifica*.

Dicitur 7° : *Participante bonitatem divinam*, sive in *substantia*, sive in *operatione;* quibus affirmatur divinum illum essendi modum, qualis homini communicatur, esse vel *ex se permanentem*, vel *transitorium;* atque afficere substantiam animæ per gratiam *habitualem*, vel etiam animæ operationes per gratiam *actualem*.

Modus ille, in quo gratia consistit, sic explicari et aliquo sensu intelligi potest, ope comparationis a SS. Patribus sæpe usurpatæ. Sit ferrum in fornacem projectum : ignis in omnes illius ferri partes adeo pervadit, iisque etiam minimis adeo conjungitur, ut ferrum jam fiat, non quidem ignis, sed *igneum*, *igniforme*, *incandescens*, id est, color, calor intensissimus omnesque proprietates ignis fiant ipsi ferro propriæ : et nihilominus, eodem momento nec substantia ignis est substantia ferri, cum utraque maneat in seipsa distincta, et in sua propria natura subsistat; sed id, quod est igni essentialiter seu quoad substantiam proprium, fit ferro proprium accidentaliter seu quoad modum.

Similiter, sit anima in substantiam divinam quasi in fornacem infinite ardentem projecta : *Deus* enim *ignis consumens est;* Deuter. 4. Illa substantia, quasi ignis vi infinite penetratili præditus, adeo pervadit substantiam et quasi medullam, viscera, radicem animæ, eique adeo conjungitur, ut substantia et facultates animæ fiant, non sane Deus ipse, sed *deiformes*, *deificæ*, *transformatæ* quodammodo in substantiam et facultates essentiæ divinæ : et tamen, eodem instanti, nec substantia divina et ejus facultates sunt facultates et substantia animæ, cum anima et Deus id temporis vere distincti permaneant, et in sua propria natura subsistant; sed id, quod est Deo essentialiter seu quoad substantiam proprium, fit animæ proprium accidentaliter seu quoad modum.

PROPOSITIO

188. — *Essentia intrinseca gratiæ reponenda est in præfata speciali communicatione et participatione naturæ et vitæ divinæ*. Ita communiter.

Prob. 1° *Script.* 1. De *gloria* dicitur : « Erit tibi *Domi-*

nus in lucem sempiternam, et *Deus tuus in gloriam tuam* ; » Isa. 60, ℣ 19. — « *Similes ei* erimus, quoniam *videbimus eum sicuti est* ; » I Joan. 3, ℣ 2. — « Si quis aperuerit mihi, *intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum* ; » Apoc. 3, ℣ 20.

Porro, in his textibus, essentia divina designatur, non solum tanquam *objectum* visionis beatæ, seu ut *lux quæ* videbitur, sed etiam tanquam *medium* visionis, seu ut *lux quo* videbitur ipsamet essentia divina.

Beati Deum vident *sicuti est*, seu *divino* illo modo, quo ipse seipsum videt, et quo fiunt Deo *similes*, seu deiformes : « hic enim sane indicatur, ut ait Suarez, specialem cum Deo similitudinem; seu modum videndi quam maxime modo Dei affinem. »

« Super mensam Dei manducant et bibunt, quia eadem felicitate fruuntur, qua Deus felix est, videntes eum illo *modo*, quo Deus ipse videt seipsum ; » S. Th., 1 p., q. 12, a. 5 ; *Contra Gent.* l. 3, c. 51, 53. Ergo gloria, ac consequentur gratia, sunt in speciali communicatione et participatione essentiæ et vitæ divinæ.

2. De *gratia* etiam dicitur : « Per quem (Christum) *maxima* et *pretiosa* nobis *promissa* donavit; ut per hæc *efficiamini divinæ consortes naturæ* ; » II Petr. 1, ℣ 4. Verba, *maxima et pretiosa promissa*, indicant donum speciale et præstantissimum : porro hoc donum statim indicatur his verbis, *divinæ consortes naturæ* ; ergo dona promissa, seu dona gratiæ, in hoc divino consortio consistunt.

Et vero : « Videte qualem *charitatem* dedit nobis *Pater*, ut *filii Dei nominemur* et *simus*... Si autem *filii*, et *hæredes* : hæredes quidem *Dei*, *cohæredes* autem *Christi*. Omnis qui *natus est ex Deo*, peccatum non habet : quoniam *semen ipsius in eo manet* ; » I Joan. 3 ; Rom. 8, ℣ 17 : porro, qui vere filius est et hæres, atque frater et cohæres filii naturalis, ita ut in se habeat semen Patris, certe naturæ Patris et Filii naturalis vere est particeps; ergo in speciali participatione naturæ divinæ reponenda sunt dona gratiæ.

Dicitur etiam : « Si quis diligit me, *Pater meus diliget eum*, et *ad eum veniemus*, et *mansionem apud eum faciemus*.

— *Ego in eis, et tu in me,* ut omnes *unum* sint, *sicut tu, Pater, in me,* et *ego in te*, ut *et ipsi in nobis unum* sint; » Joan, 14, ℣ 25; 17, ℣ 21, 23. Porro hic promittitur « unio specialis Dei cum justis per *insitionem* cum Deo, ut ait S. Cyrill., ad assimilationem propinquam summæ illius ac ineffabilis unionis, qua Pater et Filius se invicem immeantes, ac sibi intime immanentes, unum sunt unitate naturæ; » *in Joan.*, lib. 7, c. 10.

2° *Traditione.* 1. *Ex SS. Patribus.* S. Cyrillus sic dilucide et intregre essentiam gratiæ exponit : « Falsum est, discipulos non posse esse unum cum Deo, nisi *voluntatis concordia.* Nam *supra illam,* est unitas illorum cum Deo, *per quamdam Deitatis conformitatem,* qua *participatione divinitatis eis communicata,* in *Deum* (ut ita dixerim) *transeunt* atque *transferuntur*, servata suæ naturæ veritate : perinde atque ferrum ignitum et candens, per ignis communionem fit *igniforme*, videturque, sublata ferri substantia, omnino esse ignis. Et hujusmodi unione (quæ *longe superior* est et *sublimior*, quam unio per *amorem* et *concordiam voluntatum*), petit Dominus noster discipulos esse unum in Deo, ut scilicet *ei inserantur* et intime conjungantur, *per Deitatis in se susceptionem* atque *participationem*. Idcirco *transformans in seipsum* quodammodo hominum *animas, divinam eis similitudinem imprimit, et supremæ* omnium *substantiæ effigiem insculpit*... Spiritus Sanctus... uti velut *qualitas quædam divinitatis* in nobis inest, et in Sanctis habitat, ac perpetuo manet. » *In Joan.*, lib. 7, c. 10; lib. 9, p. 810.

« Animæ *Spiritu* afflatæ et *illustratæ* fiunt et ipsæ *spirituales*... Hinc *cum Deo similitudo*, et, quo nihil sublimius expeti potest, hinc est *ut Deus fias;* » S. Basil., *de Spirit.*, c. 9. — « Homo *divinitatem* consequitur, ut Dei *charitatem* videat; » S. Gregor. Naz., *Orat.* 43. Vide Petavium, *de Trinit.*, lib. 8, c. 4, 5, 6.

Propterea SS. Patres dona gratiæ miris encomiis extollunt, atque illa vocant *cœlestia*, *supercœlestia;* nec de initiatione ad ordinem gratiæ per Baptismum, verba jam habent satis sublimia.

nus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam; » Isa. 60, ℣ 19. — « *Similes ei* erimus, quoniam *videbimus eum sicuti est;* » I Joan. 3, ℣ 2. — « Si quis aperuerit mihi, *intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum;* » Apoc. 3, ℣ 20.

Porro, in his textibus, essentia divina designatur, non solum tanquam *objectum* visionis beatæ, seu ut *lux quæ* videbitur, sed etiam tanquam *medium* visionis, seu ut *lux quo* videbitur ipsamet essentia divina.

Beati Deum vident *sicuti est,* seu *divino* illo modo, quo ipse seipsum videt, et quo fiunt Deo *similes,* seu deiformes : « hic enim sane indicatur, ut ait Suarez, specialem cum Deo similitudinem, seu modum videndi quam maxime modo Dei affinem. »

« Super mensam Dei manducant et bibunt, quia eadem felicitate fruuntur, qua Deus felix est; videntes eum illo *modo,* quo Deus ipse videt seipsum ; » S. Th., 1 p., q. 12, a. 5; *Contra Gent.* l. 3, c. 51, 53. Ergo gloria, ac consequentur gratia, sunt in speciali communicatione et participatione essentiæ et vitæ divinæ.

2. De *gratia* etiam dicitur : « Per quem (Christum) *maxima* et *pretiosa* nobis *promissa* donavit, ut per hæc *efficiamini divinæ consortes naturæ ;* » II Petr. 1, ℣ 4. Verba, *maxima et pretiosa promissa,* indicant donum speciale et præstantissimum : porro hoc donum statim indicatur his verbis, *divinæ consortes naturæ ;* ergo dona promissa, seu dona gratiæ, in hoc divino consortio consistunt.

Et vero : « Videte qualem *charitatem* dedit nobis *Pater,* ut *filii Dei nominemur* et *simus*,.. Si autem *filii,* et *hæredes* : hæredes quidem *Dei, cohæredes* autem *Christi.* Omnis qui *natus est ex Deo,* peccatum non habet : quoniam *semen ipsius in eo manet;* » I Joan. 3; Rom. 8, ℣ 17 : porro, qui vere filius est et hæres, atque frater et cohæres filii naturalis, ita ut in se habeat semen Patris, certe naturæ Patris et Filii naturalis vere est particeps; ergo in speciali participatione naturæ divinæ reponenda sunt dona gratiæ.

Dicitur etiam : « Si quis diligit me, *Pater meus diliget eum,* et *ad eum veniemus,* et *mansionem apud eum faciemus.*

— Ego *in eis*, et *tu in me*, ut omnes *unum* sint, *sicut tu, Pater, in me*, et *ego in te*, ut et *ipsi in nobis unum* sint; » Joan, 14, ℣ 23; 17, ℣ 21, 23. Porro hic promittitur « unio specialis Dei cum justis per *insitionem* cum Deo, ut ait S. Cyrill., ad assimilationem propinquam summæ illius ac ineffabilis unionis, qua Pater et Filius se invicem immeantes, ac sibi intime immanentes, unum sunt unitate naturæ; » *in Joan.*, lib. 7, c. 10.

2° *Traditione*. 1. *Ex SS. Patribus*. S. Cyrillus sic dilucide et intregre essentiam gratiæ exponit : « Falsum est, discipulos non posse esse unum cum Deo, nisi *voluntatis concordia*. Nam *supra illam*, est unitas illorum cum Deo, *per quamdam Deitatis conformitatem*, qua *participatione divinitatis eis communicata*, in *Deum* (ut ita dixerim) *transeunt* atque *transferuntur*, servata suæ naturæ veritate : perinde atque ferrum ignitum et candens, per ignis communionem fit *igniforme*, videturque, sublata ferri substantia, omnino esse ignis. Et hujusmodi unione (quæ *longe superior* est et *sublimior*, quam unio per *amorem* et *concordiam voluntatum*), petit Dominus noster discipulos esse unum in Deo, ut scilicet *ei inserantur* et intime conjungantur, *per Deitatis in se susceptionem* atque *participationem*. Idcirco *transformans in seipsum* quodammodo hominum *animas, divinam eis similitudinem imprimit, et supremæ* omnium *substantiæ effigiem insculpit*... Spiritus Sanctus... uti velut *qualitas quædam divinitatis* in nobis inest, et in Sanctis habitat, ac perpetuo manet. » *In Joan.*, lib. 7, c. 10; lib. 9, p. 810.

« Animæ *Spiritu* afflatæ et *illustratæ* fiunt et ipsæ *spirituales*... Hine *cum Deo similitudo*, et, quo nihil sublimius expeti potest, hinc est *ut Deus fias;* » S. Basil., *de Spirit.*, c. 9. — « Homo *divinitatem* consequitur, ut Dei *charitatem* videat; » S. Gregor. Naz., *Orat.* 43. Vide Petavium, *de Trinit.*, lib. 8, c. 4, 5, 6.

Propterea SS. Patres dona gratiæ miris encomiis extollunt, atque illa vocant *cœlestia*, *supercœlestia;* nec de initiatione ad ordinem gratiæ per Baptismum, verba jam habent satis sublimia.

2. Ex damnatione propositionis Baii, n. 138, sequitur humanæ naturæ *sublimationem* et *exaltationem in consortium naturæ divinæ*, fuisse supernaturalem in Adamo innocente, et proinde in eo exstitisse : porro gratia eadem est in homine lapso; ergo in hoc divino consortio consistit. Et revera Sacerdos, dum infundit aquam in calicem, dicit : « Deus, qui humanæ *substantiæ* dignitatem mirabiliter condidisti, et *mirabilius* reformasti, da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, *ejus divinitatis esse consortes*, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps. »

3. *Ex Theologis*, quorum adeo frequens et constans est assertum, ut absque temeritate negari non possit. « Donum gratiæ *qualitas quædam* est... quia gratia est supra naturam humanam, non potest esse quod sit *substantia* aut *forma substantialis*, sed est *forma accidentalis ipsius animæ* : id enim quod *substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem*... Sicut, per potentiam intellectivam, homo participat *cognitionem divinam* per virtutem *fidei*, et secundum potentiam voluntatis, *amorem divinum* per virtutem *charitatis* : ita etiam, per *naturam animæ, participat, per quamdam similitudinem, naturam divinam*, per quamdam *regenerationem* sive *recreationem*. » S. Th., 1, 2, q. 110, a. 2, 4; q. 112, a. 1; 3 p. q. 2, a. 10, ad 1. Ita etiam d'Aguirre, Salmant., Cajet., Suarez, Ripalda, Vasquez, Bellarm., Estius, Petavius, Bossuet, Habert, Montagne, etc. — « Est autem *gratia*, quemadmodum Trid. Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed *divina qualitas* in anima *inhærens*, ac veluti *splendor* quidam et *lux*, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque *animas pulchriores* et *splendidiores* reddit. Atque id ex sacris Litteris aperte colligitur. » Catechis. Rom., *de Bapt.*, n. 50.

3° *Ration. theolog.* 1. Juxta communen Theologorum sententiam, ait Suarez, Proleg. l. 2, c. 5, gratia sanctificans, virtutes infusæ, harum actus, sunt supernaturales non solum in causa et in modo, sed etiam *in se* et in *substantia*, n. 84 : porro solum *esse* divinum est vere et simpli-

citer supernaturale in se et in substantia, n. 64; ergo dona gratiæ sunt participatio quædam entis divini.

2. Cum summo consensu Scriptura, Patres et Theologi docent sanctitatem et beatitudinem creaturarum intellectualium consistere in earum suprema, perfecta et supernaturali unione cum Deo per Jesum Christum; et in hac voce quasi medulla continetur totius dogmatis et ethicæ christianæ, atque scientiæ mysticæ arcana recluduntur: porro talis unio concipi nequit absque illa speciali participatione naturæ et vitæ divinæ.

3. Revera, gratia in sensu præfatæ communicationis et participationis naturæ divinæ intellecta, jam Theologiæ principia et conclusiones sponte et dilucide evolvuntur; dum, e contra, si agatur de alia positiva gratiæ notione, tunc obnubilatur scientia supernaturalis, et undique exsurgit quasi mare difficultatum: atqui principium, quod in suis consectariis tutum permanet, et ex omni parte convenit, falsum esse nequit; ergo essentia intrinseca gratiæ in speciali communicatione et participatione naturæ et vitæ divinæ reponenda est.

§ II

De Gratiæ characteribus in genere.

In hoc paragrapho et in subsequenti, evolvere tantum intendimus intrinsecam gratiæ essentiam, jam in præcedenti demonstratam. Itaque

PROPOSITIO

189. — *Præfata communicatio et participatio naturæ di-divinæ est unio realis, physica, vitalis et analogica inter Deum et animam.*

1° *Realis.* Namque talis est unio, quando res quædam vere et in seipsa communis inter duo supponitur: porro, ex thesi præcedenti, communicatio naturæ divinæ non est quid nomine tenus tantum, nec in nostro modo concipiendi solum fundatur, sed a parte rerum existit, et independenter ab intellectu illam cogitante; ergo præfata unio est realis.

2° *Physica,* et non tantum moralis. Etenim unio *moralis*

consistit in simplici concordia voluntatum, et ideo non existit nisi inter personas quatenus ratione utentes. *Physica* autem afficit ipsam naturam sive substantiam, aliquid entis perfectioris et *vim specialem* conferendo, sicque naturam unitam ad ordinem superiorem elevando.

Atqui, per communicationem naturæ divinæ, ex dictis, anima in se suspicit deitatem, et substantiæ divinæ effigiem, ita ut in Deum aliquo modo transeat atque transferatur; et exinde ad supernaturalem ordinem elevatur, atque recipit vires, sine quibus omnino seu physice incapax remaneret finis supernaturalis consequendi : et hoc aliunde probant voces *regenerari, creari in Christo,* et alia hujusmodi, quæ adhibentur ad illam elevationem exprimendam; ergo physica est illa unio.

Revera SS. Patres expresse distinguunt unionem cum Deo per gratiam, ab unione per simplicem conformitatem voluntatis, ut vidimus, p. 119, et hoc etiam infertur ex symbolis et figuris ferri igniti, aeris illuminati, corporis ab anima vivificati, quas adhibent, ut hanc nostram cum Deo unionem explicent.

Insuper unio moralis non existit nisi per actus creaturæ : porro actus animæ nec sunt necessarii, nec sufficiunt ad illam unionem cum Deo perficiendam; sic, v. g., puer baptizatus illa unione supernaturali informatur, et tamen nullum actum ipse elicit; sed etiam adultus, quoscunque actus *per se solum* eliciat, nunquam ad illam unionem perveniet, n. 181 ; ergo hujusmodi unio non est moralis tantum, sed physica.

Aliunde, nisi illa unio aliquid ponat in anima, qua hæc mutetur et perficiatur, jam nihil est, vel non distinguitur ab unione morali mere naturali.

Attamen unio, de qua agitur, melius diceretur *physico-moralis*. *Physica* quidem, ut distinguatur a simplici unione voluntatum, ex jam dictis. *Physico-moralis* autem, ut discernatur ab unione hypostatica, quæ dicitur *physica* simpliciter, eo quod per se *dignitatem* confert, sed *vires morales* non suppeditat, dum unio per gratiam per se dat vires, ut diximus ; vide n. 85 ; Tract. *de Incarn.*, n. 50-52, 134.

3° *Vitalis*, eo sensu, quod in unione animæ per gratiam, Deus in anima infundit vitam divinam, qua hæc divinitus vivit, atque ideo gratia est animæ *forma vitalis* et *divina*. Namque 1. natura divina ex se et essentialiter est vita infinita: atqui hæc natura communicatur animæ; ergo et vita divina. 2. Christus seu gratia per Christum, est *vita nostra*, Coloss. 3, ✝ 4 : porro gratia est in participatione naturæ divinæ; ergo hæc participatio vitalis est in anima. 3. Gloria non acquiritur, nisi quatenus est vita supernaturalis consummata, et etiam quatenus præmium vitæ supernaturalis per gratiam inchoatæ : atqui vita gratiæ est in participatione naturæ divinæ; ergo hæc participatio vitalis est in anima.

Quare gratia dicitur *vita Dei*, *vita Christi*, *vita divina*, sicut gloria dicitur, *vita æterna*. Unde Deus est causa efficiens gratiæ; gratia autem est causa formalis vitæ animæ, sicut anima est causa formalis vitæ corporis; S. Th. 1. 2, q. 110, a. 1, ad. 2; a. 2, ad. 1. Hæc autem vitalis unio reponenda est primario in ipsa animæ substantia, in qua proprie radicatur vita, quæ se exerit per facultates, et per actus manifestatur.

4° *Analogica*, quatenus illa participatio est supernaturalis assimilatio ad naturam divinam et cum ea intima unio.

190. — *Quæritur* 1° an gratia sit *substantia* quædam, aliquid *contingens* et proprie *creatum*?

Resp. *Subjective* et *formaliter*, seu in ipsa anima considerata, gratia est ipsamet *participatio* naturæ et vitæ divinæ, per quam substantia et vita animæ *elevatur*, *modificatur* et *deificatur*.

Unde 1. gratia, si sumatur in anima, seu prout revera existit, non est ipsa substantia et vita Dei, nec animæ substantia, sed *modificatio*, *accidens*, *forma accidentalis*, quædam *similitudo divinitatis participata* in homine, *status* quidam seu accidens *divinus* substantiæ et facultatum animæ, et ideo factum psychologicum; S. Th. 1. 2, q. 110, a. 1; 3 p., q. 2, a. 10. Quare homo aut Angelus, in gratia existens,

divinus quidem, sed non *deus* dici potest; nec Deus est nisi sensu valde analogo et remoto.

Proinde 2. gratia est quid *contingens*, non vere ab anima segretatum, quodque nullam habet, nec habere potest realitatem extra animam, nec existere ab anima separatum et avulsum.

Tandem 3. non est quid *proprie creatum;* nam creari proprie est alicujus substantiæ, non accidentis cujuscunque, ex dictis in Tract. *de Deo*, n. 81; « formæ enim et modi proprie non creantur, sed concreantur; unde gratia, cum non sit forma subsistens, proprie non creatur; » S. Th., q. 27, *de Gratia*, a. 3, ad 9. Gratia autem improprie dicitur creari, vel quia incipit inesse animæ; vel quia « per eam anima in novo statu constituitur ex nihilo, id est, non ex meritis, juxta illud: *Creati in Christo Jesu;* Eph. 2, ℣ 10. » S. Th. 1. 2, q. 110, a. 2.

191. — *Quæritur* 2° an gratia non sit proprie *relatio*, sed *ralationis fundamentum?*

Resp. affirmative. Etenim 1. omnis relatio aliquod ejusdem speciei fundamentum supponit: atqui gratia nullum præsupponit fundamentum; ergo non consistit primario in relatione quadam. 2. Nulla esse potest relatio realis et adventitia sine prævia mutatione in uno termino: porro omnis supernaturalis mutatio in anima fit per gratiam; ergo gratia præsupponitur ad relationem ejusdem ordinis. 3. Homo per gratiam fit adoptivus filius Dei: atqui, ut hæc relatio sit realis, prærequiritur generatio realis, qua natura divina homini communicetur; ergo gratia est forma realis, per quam homo naturam divinam vere participat, et *ex qua* relatio filiationis oritur. S. Th. *ibid;* Suarez, *de Essentia Grat.*, c. 2.

192. — *Quæritur* 3° an *positiva aliqualis idea* gratiæ detur etiam in statu viæ?

Resp. affirmative, contra Rationalistas, n. 126. Etenim positiva est illa idea, qua proprietates positivæ et characteres quidam intrinseci essentiæ rei apprehenduntur: porro, ex dictis, patet nos apprehendere quasdam positivas et es-

sentiales proprietates gratiæ, quibus formaliter supernaturalis est. Et vero, SS. Patres toti sunt ut hominibus eximiam ideam bonorum supernaturalium exhibeant et instillent, sicque a mundanis avellant corda.

Cæterum talis idea non concipitur nisi ex lumine fidei, atque est solum *abstracta*, *mediata*, *analoga*, non *comprehensiva;* ita ut specifice, et non tantum quoad gradum, differat ab illa, quæ habetur in gloria. Gratia enim est factum psychologicum, cujus proprié dicta cognitio non fit, nisi per conscientiam seu per sensum intimum : porro hanc conscientiam non habemus, saltem ex lege ordinaria, nisi in gloria.

193. — *Quæritur* 4° quomodo per unionem cum Deo, creatura fieri possit vere, physice et vitaliter particeps naturæ divinæ, ita ut, quod substantialiter est in Deo, accidentaliter sit in anima?

Resp. Hæc sunt adoranda, et non temeraria curiositate perscrutanda, mysteria : « *In illo die* (in gloria) *vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis,* » ait Christus, Joan. 14, ℣ 20. « Nec negandum est, quod est apertum, quia comprehendi non potest, quod occultum est, » ait S. August, *de Dono persev.*, c. 14. Et quid mirum quod captum nostrum superet divina filiatio adoptiva, cujus archetypum et exemplar est æterna et *inenarrabilis* generatio Filii naturalis a Patre cœlesti, ut nunc dicendum habemus!

§ III

De Gratiæ characteribus in specie.

Definitiones Ecclesiæ pauca circa hoc punctum declarant. Quod igitur inter diversas opiniones eligendum videtur, exponemus tantum, meliori judicio ad obsequium præstandum parati.

PROPOSITIO

194. — *Præfata communicatio et participatio naturæ et vitæ divinæ, saltem consequenter, importat specialem relatio-*

nem ad Deum ut trinum, et ad divinas personas ut distinctas.

Hæc assertio, intellecta de simplici relatione per visionem in patria, abstrahendo a modo hujus relationis, sic definita est a Conc. Flor. : « Definimus.... illorum animas... *intueri clare* ipsum *Deum trinum et unum, sicuti est.* » Hic autem agitur etiam de *modo*, quo fit illa relatio. Scilicet, asseritur Deum *ut trinum* esse *principium, finem* et *medium* gratiæ.

Etenim hoc innuunt fere omnes probationes jam allatæ, n. 188, et quarum hic quædam revocare, vel illis pauca addere sufficiet. Et quidem.

1° *Principium* a quo defluit gratia. Dicitur enim : *Gratia per Jesum Christum facta est;* Joan, 1, ℣ 17. — « *Charitas* diffusa est in cordibus nostris *per Spiritum Sanctum;* » Rom. 5, ℣ 5. Et revera, ex speciali Christi institutione, omnia dona gratiæ conferuntur explicite in nomine seu in virtute Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et omnes orationes ad Deum ut trinum effunduntur; ergo dona gratiæ a Deo ut trino defluunt

2° *Finis* ad quem tendit gratia, id est, objectum ipsum quod per intellectum et voluntatem apprehendimus, et in quo quiescimus. Namque dicitur : *Ut societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo*; I Joan. 1, ℣ 5. Et vero, juxta communem sententiam, fides mysterio SS. Trinitatis necessaria est ad finem ordinis gratiæ assequendum : porro, id quod credimus, speramus ut finem; ergo relatio ad Deum ut trinum, et ad divinas personas ut distinctas, est objectum spei nostræ, et proinde finis donorum gratiæ. Propterea, ex constanti Ecclesiæ praxi, dona gratiæ ad gloriam Patris, et Filii, et Spiritus Sancti explicite referuntur.

3° *Medium* seu facultas et actus quo fit illa apprehensio, quatenus Deus ut trinus informat, elevat et deificat nostrum intellectum et voluntatem et utriusque actum, ut *divine* ipsam SS. Trinitatem apprehendamus. Namque dicitur : « Si *quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*; Joan. 14, ℣ 23 : porro in his expressa fit mentio Trinitatis personarum, quatenus speciali modo animæ communicatur et ab ea par-

ticipatur. Sed etiam : « *Ego in eis, et tu in me*, ut omnes unum sint, *sicut tu Pater in me*, et *ego in te; ut* et *ipsi in nobis* unum sint; » Joan. 17, ℣ 21, 23. — « Unum igitur omnes sumus *in Patre*, et *Filio* ac *Spiritu Sancto*, *participatione unius* et *Sancti Spiritus*, » ait S. Cyrillus, *in Joan*. lib. 7, c. 17.

Et revera 1. ex dictis, gratia est participatio ipsiusmet vitæ Dei : porro Dei vita proprie est in Trinitate personarum; ergo gratia in se seu subjectivo est participatio naturæ divinæ ut viventis in Trinitate personarum.

Dixi : *saltem consequenter*. Gratia enim sive in principio, sive in fine, sive in se, videtur importare *directe* et *principaliter* specialem relationem ad *naturam* divinam, *consequenter* vero ad *personas* divinas ut distinctas, sicut sentiunt plures; et hoc fortasse docet S. Petrus, in his verbis : Divinæ consortes *naturæ*. » Revera, tres personæ in Deo constituunt vitam ipsius Dei, ex dictis in Tract. *de Deo*, n. 48, 49, et *de Trinit*. n. 36, 58, 69 : atqui vita præsupponit naturam, a qua oritur; ergo gratia, cum sit vita Dei infusa in anima, in primis est specialis relatio animæ ad naturam divinam, et consequenter ad tres personas divinas.

198. — *Quæritur* 1° an gratia sit, saltem consequenter, *participatio*, seu specialis quædam similitudo ipsius *actus*, quo Deus *vivit ad intra*; quo, scilicet, Parte *generat* Filium, et quo Pater et Filius *spirant* Spiritum Sanctum?

Resp. affirmative. Etenim, ex jam dictis, gratia est communicatio et participatio essentiæ divinæ ut viventis in Trinitate personarum : porro vita Dei per tres divinas personas, est ipsemet actus, quo Pater generat Filium, et quo Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum, ex dictis in Tract. *de Trinit*., n. 36, 58, 69; ergo gratia, sive in principio, sive in fine, sive in se, est, saltem consequenter, participatio seu specialis quædam imitatio hujusmodi actus.

Et in hoc præcise reponenda esse videtur intima essentia fidei aut visionis intuitivæ, et charitatis. Scilicet, fides est illa participatio et specialis imitatio actus, quo Deus seipsum cognoscit, seu quo Pater generat Filium : visio autem intuitiva est eadem participatio et specialis imitatio ope

luminis gloriæ, n. 372; et charitas est participatio et specialis imitatio actus, quo Deus seipsum diligit, seu quo Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum.

196. — *Quæritur* 2° an *tres personæ divinæ vere et realiter in seipsis* per gratiam *dentur?*

Resp. affirmative. Scilicet, *dari* plus est quam *præsens* esse vel *inhabitare*. Quod enim datur, quodam sensu in proprietatem donatarii transfertur, ita ut possidens *uti* possit et *frui* re donata tanquam sua; sicque, quod datur, fit aliquo sensu *idem* cum *accipiente*. Porro Deus ut trinus sic datur per gratiam.

Etenim 1. dicitur : « *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* — *Filius datus est nobis.* — Charitas diffusa est in cordibus nostris *per Spiritum Sanctum,* qui *datus* est *nobis.* — Membra vestra *templum* sunt Spiritus Sancti, *qui in vobis est, quem habetis* a Deo; » Joan. 14, ℣ 23; Isa. 9; Rom. 5, Cor. 6, ℣ 9 : porro illæ et similes locutiones frequenter in Scriptura repetitæ, verificari non possunt per solam infusionem gratiæ creatæ, tum quia de ipsis personis, præsertim de Spiritu Sancto sermo est; tum quia templum soli Deo dicatur, non donis creatis; tum quia ex illis locutiònibus solent SS. Patres Spiritus Sancti divinitatem probare; tum denique quia « illum solum *habere* dicimur, quo *libere* possumus *uti* vel *frui*; » S. Th. 1 p., q. 43, a. 3; ergo per gratiam tres personæ divinæ vere et realiter in seipsis dantur.

2. Idem communiter docent SS. Patres, ait Suarez; et S. Th. *errorem* àppellat sententiam dicentium *non dari Spiritum Sanctum,* sed ejus dona; atque sic prosequitur : « Per donum gratiæ gratum facientis, perficitur creatura rationalis ad hoc, quod *libere* non solum ipso dono creato utatur, sed et *ipsa divina persona fruatur*; et ideo Spiritus Sanctus dicitur *dari* simpliciter; » S. Th, *ibid.*; Petavius, *de Trinit.*, lib. 8, c. 4.

3. Revera, ex dictis, n. 189, per gratiam, vita, qua Deus vivit ad intra, vere et proprie communicatur seu datur animæ, ita ut anima vere in seipsa vivat vita divina :

porro vita Dei est in tribus personis divinis; ergo, per gratiam, tres personæ divinæ vere et realiter in seipsis dantur animæ. Hæc fusius statuta sunt in Tract. *de Trinit.*, n. 89, 90 [1].

Quare supremus effectus et finis vitæ spiritualis mysticique progressus, est *donum sui Deo*, vel *donum Dei nobis*; et in illo dono perfecte adimplendo, incessanter gestiunt Deus et anima fidelis. Quæ reciproca donatio est in creatis vera expressio et participatio sancta doni ineffabilis, quo sibi invicem inhærent, quodque sibi invicem Pater et Filius in Spiritu Sancto conferunt, quando vi amoris mutui sibi invicem tradunt, suntque sibi invicem proprii, juxta illud : *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Joan. 17, ỳ 10.

Unde intelligitur cur neque sit, neque concipiatur, neque concipi possit vita aut modus essendi magis perfectus in sua specie, quam ille quo supernaturaliter vivimus vita Dei, per communicationem naturæ divinæ divinarumque personarum, quæ sunt termini, vel, ut ita dicam, limites ipsiusmet substantiæ Dei. Attamen varii gradus in illa communicatione esse possunt, et revera existunt.

197. — *Quæritur* 3° an *naturalis* cognitio et amor Dei omnino differant a Dei cognitione et amore *supernaturali?*

Resp. affirmative. Et hoc quidem ratione principii, finis

1. Talis donationis hanc rationem moralem reddit Suarez. « Per gratiam, perfectissima quædam amicitia inter Deum et hominem constituitur. Amicitia vero ex se petit unionem inter amicos, non solum per conformitatem affectuum, sed etiam per *inseparabilem præsentiam* et *conjunctionem*, quoad fieri possit. Unde amicitia *perfectissima*, et maxime *spiritualis* et *divina* suo jure ac debito postulat intimam Dei præsentiam in homine.

« Quia vero hæc unio ita est amicitiæ, ut tamen non sit omnino inter æquales, sed cum debita proportione, ideo ex vi illius manet Deus in homine, ut *protector*, et *rector* ejus, cujus Deus *curam gerit*, non solum titulo generalis providentiæ suæ, sed *peculiari titulo amicitiæ*. Denique, quia in hac amicitia semper habenda est ratio divinæ majestatis, ideo ita vi illius manet Spiritus Sanctus in homine ut *in amico, cui intime unitur*, ut simul maneat ibi tanquam amicus *summa reverentia* et *veneratione* colendus; ideoque manet etiam ibi præsens tanquam in *templo vero*, quod *ipse sibi ornat* et *præparat* per *dona creata*, ut *in illo* et *ab illo adoretur*. » *De Trin.*, lib. 12, c. 5, n. 12.

et medii. 1. Ratione *principii*. Deus, quatenus formaliter *creator* et in essentia *unus*, est primum principium animæ, ejus facultatum, ac proinde actus cognitionis et amoris de Deo naturaliter concepti; dum Deus, quatenus formaliter *trinus*, est principium cognitionis et amoris supernaturalis de Deo concepti, n. 194, 195; porro, etsi unica sit virtus qua Deus creat contingentia, et qua vivit ad intra in personarum distinctione, tamen Deus aliter concipitur prout est formaliter *creator*, aliter vero prout est formaliter *Pater generans Filium*, *Pater et Filius spirantes Spiritum Sanctum;* et revera, ex creatione probatur quidem Dei unitas, non vero trinitas personarum; vide Tract. *de Trinit.*, n. 23, 24.

2. Ratione *finis*. Nam finis seu objectum cognitionis et amoris de Deo naturaliter concepti, est Deus quatenus creator et in essentia unus, abstractive in illa proprietate qua illa essentia vere subsistit terminata, actuata et quasi individuata in tribus personis : propterea hujusmodi cognitio et amor dicitur *abstractivus;* finis autem seu objectum cognitionis et amoris supernaturalis est præcise illa proprietas seu actus, quem essentia divina habet in tribus personis, in quibus proprie, concrete et in individuo existit atque vivit; unde hujusmodi cognitio et amor dicitur *concretus;* n. 194, 195.

3. Ratione *medii*. Facultas et actus, et ideo modus, quo Deus utpote unus et creator apprehenditur, est in se mere naturalis, seu humanus; dum, in cognitione et amore supernaturali, Deus ut trinus apprehenditur *divine*, seu ope facultatis et actus *deifici*, modo et sub forma *vere divina*, per participationem ipsius facultatis et actus, quo ipse Deus seipsum cognoscit et amat in tribus personis, n. 194, 195. Ergo Dei cognitio et amor in ordine naturali, a Dei cognitione et amore supernaturali specifice discrepant.

§ IV

De absoluta Gratiæ supernaturalitate.

198. — Quæritur, scilicet, an dona gratiæ sint supra debitum naturæ et personæ cujuslibet, non solum de facto

creatæ, ut jam probatum est, n. 179, 181, sed etiam *creabilis*, ita ut nulla substantia a Deo creari *possit*, vi cujus naturæ aut meriti illa dona exigantur, et cui ideo gratia aut gloria sit vere connaturalis, seu *nativa* quædam proprietas. Negativam partem veluti dubiam proponit Molina, quam primus omnium Ripalda ut omnino probabilem amplexus est, ait d'Aguirre. Contra quos sit

PROPOSITIO

199. — *Gratiæ ordo est absolute supernaturalis.* Ita communiter.

Sequitur ex dictis de essentia sive extrinseca, sive præsertim intrinseca gratiæ. Namque 1° Scriptura sacra, quando elevat dona gratiæ supra naturam, non solum inter naturam creatam et creabilem non distinguit, sed potius utriusque exigentias et vires excludit. Dicitur enim, « Deum habitare lucem *inaccessibilem;* » I Tim. 6, ℣ 16 : porro hæc verba sunt absoluta.

2° SS. Patres hanc quæstionem ex professo quidem non discerpserunt ; attamen non obscure favent assertæ propositioni, ut ait Petavius, *de Deo,* c. 8, n. 6. Nam, ut vidimus, n. 179, juxta S. Basilium, « Angeli nulla ratione differrent a Spiritu Sancto, si *sua natura sancti* essent ; » porro idem dici potest de quocunque ente creabili. Unde, juxta S. Cyril. Hieros., et Dydimum, « *omnis* creatura, non ex *sua substantia*, sed ex *communicatione alterius* sanctitatis, sancta perficitur. » Et vero, juxta S. August., « creatura non ex seipsa potest esse beata, quia ex nihilo creata est, sed ex illo a quo creata est ; » ergo, concludit Suarez, gloria, ac proinde gratia, non potest esse enti creato connaturalis ; *de Deo,* lib. 2, c. 9.

Eodem modo sentiunt communiter Theologi, quorum principes jam citati sunt, n. 188. « Donum gratiæ, ait S. Th., excedit *omnem* facultatem naturæ, cum nihil aliud sit quam quædam participatio divinæ naturæ, quæ excedit *omnem aliam naturam*... Videre Deum per essentiam, est supra naturam non solum hominis, sed etiam *omnis creaturæ;* » 1. 2, q. 112, a. 1 ; q. 5, a. 5. Juxta Suarez, *certum*

est gloriam esse *simpliciter* et *absolute* supernaturalem; et hoc existimat esse *necessarium* fundamentum ad evertendum errorem Pelagii, et ad reddendam *solidam* rationem de divina gratia; *de Gratia*, Proleg. 4, c. 1, n. 9.

3° *Ration. theol.* confirmatur. 1. Gratia et gloria, ex dictis, sunt participatio quædam ipsiusmet naturæ et vitæ divinæ, et ideo hæc participatio non potest esse alicui substantiæ connaturalis et debita, quin hæc substantia sit in se vere divina seu Deus : atqui hoc repugnat; ergo absolute supernaturalis est gratiæ ordo.

2. Creatura per gratiam realiter elevatur ad statum filiationis adoptivæ ex parte Dei : atqui repugnat hanc filiationem fieri alicui enti creato naturalem, cum tunc creatura esset naturalis Dei filius; ergo repugnat gratiam esse alicui creaturæ connaturalem.

3. Si gratia unquam fieri posset alicui enti creato connaturalis, hoc certe factum esset in anima Christi. Anima enim Christi, a Verbo hypostatice assumpta, ad hanc personam divinam refertur, sive quoad substantiam, sive quoad actus : atqui proportio et connaturalitas requiritur inter personam et naturam agentis, ita ut, cum divina est persona, hujus actus et substantia divini etiam ordinis esse debeant, in quantum fieri potest; ergo perfectio etiam substantialiter et naturaliter divina, si possibilis sit, esse debet in anima Christi. Atqui tamen dona gratiæ in ipsa anima Christi sunt quid accidentale et vere supernaturale, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 134; ergo gratia nunquam fieri potest vere et proprie connaturalis.

Sic determinata gratiæ essentia, de ejusdem existentia in variis statibus naturæ humanæ agendum est.

CAPUT III

DE EXISTENTIA ORDINIS GRATIÆ IN ADAMO

200. — In hoc capite demonstrandum est primum hominem in statu justitiæ originalis fuisse constitutum; n. 102: id est, 1° in gratia gratum faciente, quæ erat veluti subs-

tantia et fundamentum primordialis status; 2° cum immunitate ab ignorantia, concupiscentia, morte et dolore; ita ut hæ prærogativæ essent aliquo modo gratiæ gratum facienti annexæ, et ab ea de facto dependentes, atque ejusdem ornatus et complementum quoddam. Utrumque negant Pelagiani, Rationalistæ, et omnium temporum Naturalistæ, n. 115, 125. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

201. — *Primi parentes in ordine gratiæ fuerunt constituti.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : « Faciamus hominem *ad imaginem* et *similitudinem nostram*; » Gen. 1, ℣ 26 : porro fere omnes SS. Patres, Græci præsertim, vocem, *ad imaginem,* intelligunt de repræsentatione naturæ divinæ et etiam SS. Trinitatis per naturam animæ, inquantum, scilicet, intellectualis est, atque in ea invenitur cogitatio seu verbum mente conceptum, et amor procedens; S. Th. 1 p., q. 45, a. 7; vide Tract. *de Deo,* n. 83, 94 : vocem autem, *ad similitudinem,* commentatur de similitudine quæ fit per gratiam; ergo in gratia factus est primus homo.

Dicitur etiam : *Deus fecit hominem rectum;* Eccl. 7, ℣ 30. — « Creavit illis (protoparentibus) *scientiam spiritus,* et *legem vitæ* hæreditavit illis. *Testamentum æternum* constituit cum illis; » Eccli. 17, ℣ 6, 9, 10. — « *Renovamini* spiritu mentis vestræ, et induite *novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia* et *sanctitate veritatis;* » Eph. 4, ℣ 23. Porro, 1. in Scriptura non dicuntur *recti* simpliciter, nisi qui justitia supernaturali donantur, ut patet ex Deut. 32, ℣ 4; Num. 23, ℣ 10; Ps. 7, 22. — 2. Per verba, *scientia spiritus, lex vitæ, testamentum æternum,* significatur, ex more Scripturæ, scientia fidei, lex gratiæ, fœdus internum per gratiam; vide S. Th. 1. 2, q. 106, a. 1, 4. — 3. Tandem, si *renovari* jubemur per sanctitatem Christi, ergo in hac sanctitate novi homines aliquando fuimus, in primo videlicet parente, ut observat Bellarm.

2° *Traditione.* Juxta SS. Patres, Adam « habuit *gratiam,* et quidem *magnam,* quam *intrinsecus* per peccatum *perdi-*

dit; » S. August., *in Gen.*, c. 15; *de Corrept. et Grat.*, c. 11. — « Acceptam *divinitus gratiam*, patientia custode non servavit; » S. Cypr. *de Patient.* — « Fuit in Paradiso, quo usque *gratiam* Creatoris, *Spiritu Sancto inhabitante*, servavit; » S. Cyrill., *in Joan.*, lib. 7, c. 3. — « Habuit in Paradiso *angelicum* quemdam *statum*, et *mira gloria* fuit *amictus*, et in *summo honore* constitutus; atque *nihil minus* propemodum *Angelis ipsis habuit.* Propter peccatum autem, fuit *honore maximo* privatus, a *gratia Dei abalienatus*, et *supernæ gratiæ amictu nudatus;* » S. Chrys., *homil.* 16, *in Gen.*

Ex definit. Eccl. idem constat. « Natura humana, cum *sine gratia* Dei *salutem* non possit *custodire*, *quam accepit*, quomodo sine gratia Dei poterit *reparare*, *quod perdidit;* » Conc. Araus. II : porro, quod reparatur est gratia gratum faciens, ex eodem Concilio, et ut infra dicetur; ergo hanc eamdem gratiam acceperat, et perdidit primus homo. Similiter Conc. Trid. definivit « Adam in *sanctitate et justitia* fuisse *constitutum;* » n. 2, 3 : atqui, per verba *sanctitatem* et *justitiam*, illud Concilium semper intelligit gratiam simpliciter. Tandem Ecclesia hoc punctum iterum declaravit, damnando Baii propositiones supra relatas, n. 158. Ergo thesis de fide constat.

3° *Ratione convenientiæ.* Elevatio hominis ad ordinem gratiæ, singulari modo convenit attributis divinis, perfectioni totius universi, dignitati et utilitati hominum: ut jam diximus, n. 172; ergo, ex singulari ordinis gratiæ convenientia, præsertim cum fine divinorum operum, valde conjecturari potest illius existentia in Adamo.

Hæc de gratia præsertim *habituali* certa sunt. De *actuali* autem gratia non consentiunt inter se catholici circa plura. Videlicet, juxta alios, Adam innocens, ad bonum operandum aut in eo perseverandum, sola indiguit gratia habituali. Alii vero sentiunt, in statu justitiæ originalis, gratiam actualem *intellectus* fuisse absolute necessariam, non autem voluntatis. Alii tandem probabilius contendunt, actualem gratiam tum intellectus, tum voluntatis fuisse Adamo innocenti necessariam ad bonum operandum, et in eo perseverandum.

202. — Hinc *primus homo creatus est ad finem supernaturalem*. De fide est.

Sive enim in primo instanti gratiam habuerit, sive non, de fide est, ut vidimus, primum hominem in statu gratiæ fuisse constitutum, antequam peccaret ; et ideo ad gratiam proxime destinatum, finaliter autem ad gloriam. Creatio igitur hominis ad ordinem gratiæ refertur, n. 89. Proinde primus homo nunquam assignatum habuit *finem ultimum mere naturalem* : nec in ordine mere naturali et in statu naturæ puræ unquam exstitit.

Attamen, cum ordo gratiæ sit elevatio ipsius *naturæ* ad ordinem supernaturalem, ordo ille præsupponit, ut patet, naturam jam constitutam cum fine subordinato quidem ex lege divina fini supernaturali, sed nihilominus ad hoc in se prorsus distincto, et qui per se sufficiens esset ad ordinis mere naturalis officia fundamentum.

203. — *Quæritur* an Adam habuerit gratiam a primo instanti suæ creationis ?

Resp. affirmative, et probabilius est. Etenim 1. non est major ratio de uno tempore, quam de alio ; et hoc confirmant verba : *Fecit hominem rectum*, n. 201. 2. « Deus creavit Angelos, *simul* in eis *condens naturam* et *largiens* gratiam, » ut ait S. August., *de Civit.* lib. 12, c. 9 : atqui homo æquiparatur Angelo in gloria et in gratia. 3. Deus a principio produxit creaturas in statu perfecto, ad ferendum fructum uniuscujusque fini consentaneum ; ergo multo magis credendum est Deum creasse hominem statim perfectum ad fructificandum in ordine supernaturali, ad quem fuit a principio destinatus. 4. Adam, a primo instanti creationis, fuit immunis ab ignorantia, concupiscentia, morte et dolore : atqui hujusmodi prærogativæ de facto erant annexæ statui gratiæ, ex statim dicendis ; ergo et hunc gratiæ statum accepit a primo instanti creationis.

PROPOSITIO II

204. — *Primi parentes ab ignorantia immunes constituti fuere*. Certum est.

Id est, cum scientia sive naturali, sive supernaturali omnium, in quibus homo, ad finem supernaturalem destinatus, natus est instrui. S. Th. 1 p., q. 94, a. 1.

Prob. 1° *Script.* Dicitur in Gen. 2, ℣ 19, paulo post creationem Adæ, adducta fuisse omnia animalia coram ipso, ut eis nomina imponeret; et additur ; « Omne quod vocavit Adam animæ viventis, *ipsum est nomen ejus ;* » ergo Adam et creatus est adultus, et a principio habuit scientiam omnium animalium, sed et alicujus linguæ, atque proprietatis omnium verborum ejus, ut nomen proprium, seu convenienter ad naturam rei imponeret. « Ipse Pythagoras dixisse fertur, illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus ; » S. August., *Opus imperf.*, l. 2, c. 1. In eodem sensu præfatum textum intelligunt S. Chrysost., S. Th., etc.

Dicitur etiam ; « *Deus... disciplina intellectus replevit illos* (protoparentes). *Creavit illis scientiam spiritus ; sensu replevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis.* Posuit oculum super corda illorum, *ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent ;* » Eccli. 17, ℣ 5-7 : porro hæc verba universalia sunt, perfectamque disciplinam intellectus, ad nomen Dei collaudandum, expresse significant; ergo indicant cognitionem infusam, sive naturalem, sive supernaturalem.

2° *Ration. theol.* 1. Deus, cujus perfecta sunt opera, omnes alias res orbis universi, et etiam corpus hominis, in statu perfecto creavit; ergo multo magis animam, et ideo cum scientia. 2. Adam non solum futurus erat pater, sed et doctor cæterorum hominum in rebus fidei, et in rerum naturalium cognitione : porro, si ignorans creatus fuisset, humanam scientiam non nisi longo tempore et magno labore acquisiisset, nec sine admixtione multorum errorum ; et proinde non potuisset convenienter instruere et gubernare prolem. 3. Denique ignorantia eorum quæ sciri debent, et eorumdem laboriosa acquisitio repugnant integritati et felicitati status, in quo primus homo fuit constitutus, ex statim dicendis. Vide Tract. *de Revel.*, n. 144.

205. — *Quæritur* an *involuntarie decipi* potuerit Adam, quamdiu non peccaret?

Resp. Negative, et ita communiter. Namque « approbare falsa pro veris, ut *erret invitus,* non est *natura instituti* hominis, sed *pœna damnati ;* » et aliunde. « manente devitatione peccati, *nullum malum* omnino esse poterat in illo statu ; » S. August., *de Lib. arb.*, l. 3, c. 18 ; *de Civit.*, lib. 14, c. 10 : porro. « sicut verum est bonum intellectus, ita falsum est malum ejus ; » S. Th. 1 p., q. 94, a. 4. Facilius autem errorem *voluntarium* et culpabilem vitare poterat ante lapsum, tum propter eximiam scientiam qua pollebat, tum propter perfectam rectitudinem appetitus sensitivi, ex propositione subsequenti.

PROPOSITIO III

206. — *Primi parentes ab inordinata concupiscentia immunes fuerunt constituti.* Certum est.

Scilicet, hæc perfectio fuit protoparentibus data a principio creationis, ut quandiu non peccarent mortaliter, sentire non possent prævenientes motus inferioris appetitus rectæ rationi adversos, multoque minus subsequentes, rationi jam imperanti repugnantes ; et in hoc sensu anima erat *impassibilis* quoad passiones, quæ impediunt rationem.

Prob. 1° *Script.* « Erat autem uterque *nudus,* Adam scilicet, et uxor ejus, et *non erubescebant.* » De iisdem autem post peccatum dicitur : « *Aperti sunt oculi* amborum, cumque *cognovissent se esse nudos,* etc. » Et cum Adam ad Deum dixisset : « *Timui, eo quod nudus essem, et abscondi me ;* » respondit ei Deus : « Quis *indicavit* tibi quod *nudus esses, nisi quod ex ligno,* de quo præceperam tibi ne comederes, *comedisti ?* » Gen. c. 2, 3 ; ergo, ante peccatum, habuerunt primi parentes speciale donum, quo appetitus eorum continebatur, ne contra rationem insurgeret, et hoc donum peccando amiserunt.

2° *Traditione.* SS. Patres textus mox allatos in sensu jam exposito semper intelligunt. « Hanc ergo obedientiam priusquam violassent, ait S. August., placebant Deo et pla-

cebat eis Deus ; et quamvis corpus animale gestarent, *nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant*. Faciebat quippe hoc ordo justitiæ, ut, quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, *sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret*, atque *exhiberet* vitæ illi *congruum sine ulla resistentia famulatum* ; » in Gen., 25. Vide n. 169, 2°.

Idem constat ex Conc. Trid. Etenim fomes, seu concupiscentia rationem præveniens, et ad peccatum alliciens, vocatur a S. Paulo *peccatum, lex peccati*, « quia *ex peccato est*, et ad peccatum inclinat, » ait Conc. Trid., n. 6 ; ergo inordinatus appetitus, cum sit peccati effectus, nullo modo fuit ante peccatum. Propterea idem Concilium definivit, « *totum Adam*, per illam prævaricationis offensam, secundum *corpus* et *animam in deterius commutatum fuisse* ; et ejus *liberum arbitrium* viribus *attenuatum* et *inclinatum*, etsi minime exstinctum ; » n. 2, 7.

3° *Ratione*. Integritas naturæ maxime conveniens erat, 1. ut proprium Dei opus perfectum esset, et pro capacitate hominis viatoris consummatum ; 2. ut facili negotio posset homo vitare omnia peccata, si vellet ; 3. ut in quodam felici statu viveret ; multum enim ex inordinata concupiscentia minueretur hujusmodi status felicitas et perfectio.

207. — *Quæritur quomodo* inferior appetitus rationi in Adamo fuerit subjectus ?

Resp. Hujusmodi subjectio facta est, vel per specialem Dei providentiam et protectionem, scilicet, providendo ne objecta hanc animi pacem et tranquillitatem perturbantia, occurrerent, atque excitando rationem et voluntatem ; vel insuper per intrinsecos habitus et actus, sive in ratione, ad considerandum, judicandum et imperandum convenienter ; sive in voluntate, ad sequendam rectam rationem delectabiliter, et ad movendum appetitum fortiter ; sive in appetitu, ad obediendum prompte. Vide n. 170 ; Suarez, *de Opere Sex dier.*, l. 3, c. 12.

PROPOSITIO IV

208. — *Primi parentes constituti sunt aliquo modo immortales*. De fide est.

Prob. 1° *Scrip.* Deus dixit Adamo ante peccatum : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris ;* seu morti obnoxius eris, mortalis efficeris, vel mori incipies. Revera, peccato commisso, illa comminatio sic adimpletur : « In sudore vultus tui vesceris pane, *donec revertaris in terram*, de qua sumptus es ; quia *pulvis es, et in pulverem reverteris ;* » Gen. 2, ℣ 17 ; 3, ℣ 19. Propterea dicitur : « *Deus mortem non fecit*, nec lætatur in perditione vivorum... Deus *creavit hominem inexterminabilem : invidia* autem *diaboli mors introivit in orbem terrarum ;* » Sap. 1, ℣ 13 ; 2, ℣ 23, 24. « Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et *per peccatum mors ; stipendia peccati, mors.* » Rom., c. 5, ℣ 12 ; 6, ℣ 23.

2° *Traditione.* Conc. Milevit. contra Pelagianos, n. 114, sic habet : « Qui dixerit *Adam mortalem factum*, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, *moreretur in corpore*, id est, *de corpore exiret*, non *peccati merito*, sed *necessitate naturæ ;* anathema sit. » Idem definierunt Conc. Araus. II, et Trid., n. 2.

3° *Ratione*, quæ suppeditat quasdam hujusmodi prærogativæ congruentias. Scilicet, 1. « Deus hominem fecit, qui quandiu non peccaret, immortalitate vigeret, *ut ipse sibi auctor esset aut ad vitam, aut ad mortem*, » ait S. August., *in Gen.*, lib. 6, c. 25. — 2. Anima, eo quod natura et perfectione superior est, conjuncta fuit corpori, ut ei dominaretur ; ergo conveniens fuit, ut anima conservaret corporis vitam, quandiu et ipsa vitam divinam servaret. 3. Denique ad perfectam rectitudinem, in qua Deus voluit creare hominem, pertinebat ut corpus animam non aggravaret, nec molestias, nec defectus mortalitatis sentiret, quandiu in sua innocentia permansisset.

209. — *Quæritur* quonam *medio* corpus a senectute et a morte præservaretur?

Resp. Medium illud fuit *lignum vitæ*, juxta S. August.,

S. Chrys., *Homil.* 18 *in Gen.*, S. Th., etc. « Cibus aderat homini, ne esuriret; potus ne sitiret, et *lignum vitæ, ne senetus eum dissolveret;* » et ita « ligno vitæ corpus *a mortis necessitate prohibebatur,* atque *juventutis flore tenebatur.* » Propterea « alimentis extra Paradisum non negatis, a ligno tamen vitæ prohibitus, traditus est vetustate finiendus; » S. August., *de Civit.*, lib. 14, c. 23; *in Gen.*, lib. 11, c. 40. Attamen, cum virtus ligni vitæ esset finita, semel sumptum præservabat a corruptione usque ad determinatum tempus; quo finito, vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam, vel indiguisset iterum sumere de ligno vitæ; S. Th., 1 p., q. 97, a. 4. Vide n. 169, 4°.

PROPOSITIO V

210. — *Primi parentes a dolore immunes fuerunt constituti.* Ita communiter.

Deus, scilicet, in hoc felicitatis statu illos posuit, ut quandiu non peccarent, nullis ærumnis, afflictionibus, doloribus sive animæ, sive corporis, ex speciali Dei beneficio, obnoxii essent; et in hoc sensu quoad dolorem *impassibiles* dicti sunt; vide n. 169, 3°.

Etenim 1° in *Scriptura* dicitur : « Deus posuit primum hominem in *paradiso voluptatis,* ut operaretur eum et custodiret. » Expulsio autem ex illo Paradiso, labor et alimentum in sudore vultus, maledictio terræ in labore hominis, dolores in partu, etc., a Scriptura perhibentur ut effectus et pœnæ peccati, Gen. 2, ℣ 15; 3, ℣ 16-19; ergo, ante peccatum, nullus dolor, sed « *parva* quædam et *moderata cura* in custodiendo et excolendo Paradisum *citra dolorem* et *ærumnam,* sine labore *servili,* sed cum *honesta animi voluptate,* » ut aiunt S. Chrys., *Homil.* 4, *in Gen.*, et S. August., *in Gen.*, c, 9.

2° Eodem modo loquuntur SS. Patres et Theologi. « In primo statu nullum malum aderat, nec imminebat; nec aliquod bonum aberat, quod cuperet bona voluntas pro illo tempore habendum, ut patet per S. August.[1] »;

1. Vivebat homo in Paradiso sicut volebat, quandiu hoc volebat, quod Deus

S. Th., 1 p., q. 95, a. 2, Bossuet; 3ᵉ *Elevat.*, 5ᵉ *sem.*

3° Revera, dolores sunt vestigium mortis, et quasi via ad illam : atqui primus homo creatus est a morte immunis; ergo et a dolore. Insuper dolores sunt mala pœnæ ; atqui, ex suavi Dei ordinatione, pœnæ supponunt culpam; propterea omnes humanæ miseriæ peccato tribuuntur in Scriptura, Eccl. 7, ℣ 30; ergo ante peccatum aberant.

Quæ de primæva protoparentum felicitate exposita, confirmantur omnium gentium traditionibus, juxta quas *aurea prima sata est ætas;* vide Tract. *de Revelat.*, n. 144; *de Deo*, n. 22.

211. —Hinc non minus gentium omnium omnisque ætatis traditionibus, quam narrationi Mosaicæ contradicunt, 1. Pelagiani et Rationalistæ, dum asserunt primum hominem creatum fuisse in statu, in quo jam nascimur; 2. a fortiori neoterici illi historici et archeologi, qui contendunt primos homines feritate primum belluina, aut etiam antropophagia laborasse; paulatim vero ad vitam sylvestrem ac venaticam progressos; deinde ad pastoritiam seu nomadicam, agricolam postea pervenisse, ac demum ad socialem. Hi enim permiscent veram ac primitivam hominum conditionem, cum iis, quæ contigerunt post generales aut partiales *alterius ætatis* dispersiones ac deviationes ; a quibus homines paulatim se recipientes, ad meliorem statum civilem hic vel illic pervenerunt, ut mythologica et historica monumenta testantur. Vide Tract. *de Eccles.*, n. 162, 4°.

jusserat : vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus : vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus, summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas... Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum; gaudium vero perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat *charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta;* atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum. » S. August., *de Civit.*, lib. 14, c. 26.

CAPUT IV

DE LAPSU GENERIS HUMANI AB ORDINE SUPERNATURALI

212. — Beata illa, in qua parentes nostri divino munere constituti fuerant, felicitas, ac bonorum omnium affluentia brevi periit per peccatum sui generis, quod *originale* aut *naturæ* dicitur, quia a protoparente commissum est, et ex eodem per naturalem generationem ab omnibus hominibus contrahitur. Itaque dicemus 1° de existentia, 2° de natura, 3° de modo propagationis, 4° de subjecto, 5° de effectibus peccati originalis.

ARTICULUS PRIMUS

De existentiâ peccati originalis.

213. — Hic agitur de uno ex præcipuis fidei fundamentis. Posito quod enim omnes homines per Adam venundati non sint sub peccato, jam a Christo non sunt redempti : atqui, sublata redemptione per Christum, omnino corruunt dogma, ethica, et ascetica scientia Religionis christianæ. Tota igitur Christiana Religio in peccato originali et in redemptione per Christum, quasi in duplici, ut ita dicam, cardine volvitur. Magni propterea interest omni studio hoc fidei dogma demonstrare, atque contra acerrimos et innumeros hostes vindicare.

Negarunt enim illud peccatum hi omnes, qui rejiciunt sive statum supernaturalem protoparentum, sive redemptionem per Christum, nempe, Naturalistæ omnium temporum, et præsertim, apud veteres, Pelagiani, omnium primi, qui originalis peccati existentiam et propagationem adorti sunt, n. 118; apud recentes autem, Deistæ, Rationalistæ, n. 125, Pantheistæ, Neoterici Biblici, et hodierni Protestantes fere omnes. Itaque sit

PROPOSITIO PRIMA

214. — *Protoparentes mandatum sibi a Deo datum transgressi sunt.* De fide est.

Prob. 1° *Scrip*. Deus enim hoc præceptum Adamo dederat : « De ligno scientiæ boni et mali *ne comedas;* in quacunque enim die comederis ex eo, *morte morieris;* » Gen. 2, ℣ 17 : porro Eva « tulit de fructu illius, et *comedit;* deditque viro suo, *qui comedit;* » Gen. 3, ℣ 6; ergo mandatum sibi a Deo datum transgressi sunt protoparentes. Propterea Christus diabolum vocat *homicidam ab initio*, Joan. 8, ℣ 44; atque S. Paulus ait : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit;* Rom. 5, ℣ 12.

2° *Traditione*. In hoc consentiunt Synagoga et omnes Christiani, quorum fidem iterum atque iterum declararunt Conc. Arausic. II, et Trid. n. 2, 3. Imo hujusmodi traditionis vestigia apud omnes gentes reperiuntur, ex dicendis in subsequenti propositione.

215. — *Quæritur* 1° an transgressio Adami fuerit *grave peccatum?*

Resp. affirmative. Constat ratione præcepti, comminatione pœnæ, et natura peccati. Et quidem 1. abstinentia ab illo ligno scientiæ boni et mali, imposita fuerat quasi peculiare tributum in signum subjectionis et obedientiæ : porro sub gravi præcepto tenetur homo ad subjectionem et obedientiam erga Deum; ergo, attenta præcipua ratione præfatæ prohibitionis, hujus transgressio fuit grave peccatum : « Ligni usus non ideo prohibitus est, quia secundum se malus esset; sed ut homo, saltem in hoc modico, aliquid observaret *ea sola ratione*, quia esset *a Deo præceptum*. » S. Th. *Opusc*. 2, c. 188.

2. Quæ prohibitio imposita est sub comminatione mortis tum corporis, tum animæ, ut communiter interpretantur SS. Patres, et ut patet ex eventu; ergo Adam graviter deliquit.

3. Juxta communem sententiam Patrum et Theologorum, tria distinguuntur peccata in actu peccaminoso Adami, scilicet, *internum* peccatum *superbiæ*, cum appetiit similitudinem Dei, ut inferre licet ex his verbis a Deo ironice prolatis, quibus ad verba tentatoris alluditur : « Ecce Adam *quasi unus ex nobis* factus est, sciens bonum et malum; » Gen. 3, ℣ 22.

Internum peccatum inordinati amoris erga uxorem, quatenus, scilicet, ne uxor contristaretur, Adam, non solum eam non reprehendit, sed etiam de ligno comedit, ut innuitur his verbis : « *Mulier,* quam dedisti mihi sociam, *dedit mihi de ligno, et comedi... Quia audisti vocem uxoris,* et comedisti, etc.; » Gen. 3, ℣ 12, 17.

Tandem peccatum *inobedientiæ,* qua de ligno vetito comedit; et hoc peccatum quasi per antonomasiam vocatur *lapsus* Adami, quia per illud cecidit totum genus humanum : et ita de illo specialiter loquitur Apostolus, cum dicit : « Per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit... Sicut per *inobedientiam* unius hominis peccatores constituti sunt multi, etc. » Rom. 5, ℣ 12, 19. Porro tria illa peccata gravia sunt ex genere suo; ergo graviter peccavit primus homo. Vide Suarez, *de Opere sex dier.*, lib. 4, c. 3, 4.

216. — *Quæritur* 2° *quomodo* Adam, cum esset a concupiscentia immunis, peccare potuerit?

Resp. Altum in hoc adest mysterium resistentiæ ex parte libertatis contingentis auxilio divino. Hæc igitur notare sufficiat. 1. « Peccatum est nihilum, et nihil fiunt homines, dum peccant; » S. August. *in Joan.* 1 : porro « hoc habet creatura *ex seipsa, tendere in nihilum,* in quantum est de nihilo; » S. Th., 1. p., q. 104, a. 3; ergo « creatura intellectualis est mutabilis seu peccabilis, *eo ipso quod de nihilo facta est.* » S. August., *de Civit.*, lib. 12, c. 1, 6, 7.

2. Suprema regula voluntatis humanæ seu Dei suprema ratio et voluntas, est homini extrinseca; ergo ab hac regula recedere potest omnis homo, et ideo peccare; S. Th. 1 p., q. 63, a. 1. Vide Tract. *de Deo,* n. 119; *de Angelis,* n. 29; Bossuet, *Elévat.* 7, 6e *sem.*

PROPOSITIO II

217. — *Omnes homines in conceptione sua peccatum aliquod ex Adamo contrahunt.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : « Sicut *per unum hominem peccatum* in hunc mundum intravit, et per peccatum mors;

et ita *in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* »

« *Sicut per unius delictum in omnes homines* in *condemnationem, sic* et per *unius justitiam, in omnes homines in justificationem.* Sicut enim *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti* sunt *multi : ita* et *per unius obeditionem justi constituentur multi.* » Rom. 5, ℣ 12, 18, 19.

Itaque, ex S. Paulo, 1, Adami delictum, inobedientia ita fuit propria omnibus hominibus, ut per illam omnes ejus posteri vere peccaverint, peccatores sint constituti, condemnati et morti obnoxii; 2. non minus per delictum et inobedientiam Adami omnes homines fuerunt condemnati, peccatores constituti, ac per Christi justitiam et obeditionem sunt justificati, et justi constituti : porro vere et proprie in Christo et per Christum justi efficimur, dum quisque per Baptismum *creatur, regeneratur, renascitur* in Christo, ut patet ex illo textu, et ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 190, et *de Bapt.*, n. 54; ergo vere et proprie in Adam et per Adam efficimur peccatores, dum quisque ex Adamo creatur, generatur, nascitur. Propterea « Adam est *forma futuri,* » addit S. Paulus, ℣ 14; eo sensu, ut statim explicat, quod, sicut Adam in omnes peccatum diffundit, sic et Christus in omnes justitiam.

Dicitur etiam : « Quis potest facere *mundum de immundo conceptum semine?* nonne tu *qui solus es, Deus?* seu, ut legunt LXX Interpretes : « *Nemo mundus a sorde, nec infans unius diei;* » Job. 14, ℣ 4. In illo textu declaratur hominem ab ipsa conceptione maculari immunditia, quam solus Deus abstergere potest, et ideo peccato : atqui hic non agitur de peccato actuali, cujus omnino est incapax infans recenter conceptus; ergo agitur de peccato originis.

Insuper : « Ecce *in iniquitatibus conceptus sum,* et *in peccatis concepit me* mater mea; » hebraice legitur : « Ecce in *peccato* et in *iniquitate fovit me* mater mea; » Ps. 50, ℣ 7. Hic sane agitur de peccato David proprio; siquidem hoc peccatum inficit David jam conceptum, calefactum in utero matris, atque ab illo mundari efflagitat : porro hoc intelligi

nequit de peccato actuali, ut patet; ergo hic agitur de peccato naturæ seu originis.

2° *Traditione.* Fatentur adversarii omnes SS. Patres a Pelagii tempore ad nos usque, dogma peccati originalis voce unanimi propugnasse : porrò eamdem fidem in suis scriptis explicite tradunt, qui ante pelagianam hæresim viguerunt. « Christus baptizatus fuit, ait S. Justinus, *generis humani causa, quod per Adam in mortem et fraudem seductionemque serpentis conciderat;* » *Dial. cum Triph.* — « Christus nobis salutem præstitit, ut, *quod perdideramus in Adam*, hoc in Christo Jesu reciperemus; » S. Iren. *Hæres.*, l. 3, c. 18. — « Homo, a primordio in mortem datus, *exinde totum genus de semine suo infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit;* » Tertul., *de Test. anim.*, l. 1, c. 3. — « *Quæcunque anima* in carne nascitur, *iniquitatis* et *peccati sorde polluitur;* propter quod dictum est : *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram;* » Origenes *Homil.* 12. in Levit.

Conciliorum Milevitani et Arausicani II decreta, a Sede Romana confirmata, n. 114, 119, dogma peccati originalis contra Pelagianos tutum fecerunt. Eamdem fidem explicite et integre, contra recentes hæreticos, definivit Conc. Trid., sub anathemate declarando, 1. « Adæ prævaricationem non sibi *soli, sed ejus propagini nocuisse.* 2. Hoc Adæ peccatum, *origine unum* esse, et *propagatione*, non imitatione, *transfusum omnibus* et *inesse unicuique proprium.* 3. Parvulos recentes ab uteris matrum, qui *nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, in remissionem peccati originalis, quod ex Adam* trahunt, veraciter baptizari, ut in eis *regeneratione* mundetur, quod *generatione contraxerunt;* atque per gratiam, quæ in baptismate confertur, *reatum originalis peccati remitti*, et *tolli* totum id quod *veram* et *propriam peccati rationem* habet; » n. 3, 4, 5, 9.

3° *Ration. theol.* 1. Ex Scriptura, omnes *renasci* debent per baptismum ad vitam æternam consequendam; atque baptismus dicitur simpliciter *lavacrum regenerationis, renovationis*, et ipsimet infantes dicuntur a Christo *redempti*, Joan. 3, ℣ 5; Eph. 5, ℣ 26; ad Tit. 3. ℣ 5; I Tim. 2, ℣ 6 :

porro, ubi non est mors, nec macula, nec generatio corrupta, nec per peccatum venditio, ibi nulla est renascendi necessitas, nec locus lavacro, regenerationi, redemptioni; ergo in omnibus etiam parvulis adest peccatum, non actuale, ut patet, sed originis. Idem ratiocinium statui potest de *morte*, quæ, in statu præsenti, *omnibus* infligitur ut *stipendium peccati;* Rom, 6, ℣ 23.

2. Omnes homines in Scriptura dicuntur *natura filii iræ*, Eph. 2, ℣ 3 : porro, ut ait S. August., nihil nisi vere peccatum constituit hominem Deo inimicum, et odio dignum; ergo a nativitate, vel a natura peccato vitiata, peccatum trahunt omnes, ex quo iræ et vindictæ divinæ sunt obnoxii.

3. In Scriptura, multi justi queruntur de die natali et suæ conceptionis, et ei maledicunt, Job 3, ℣ 3; Jerem. 20, ℣ 14 : porro hoc modo non loquuntur ratione naturæ; ergo ratione culpæ. Quare, e contra, ethnici, qui peccatum originis ignorabant, magna celebritate colebant natales dies; Genes. 40, ℣ 20; Matth. 14, ℣ 6.

4° *Traditione omnium populorum.* Præter traditiones judaicas in Talmud consignatas, quæ doctrinæ catholicæ in hoc puncto consonant, eumdem generis humani lapsum plus minusve explicite apud ethnicos confitentur poetæ et philosophi. Poetæ variis coloribus depinxere auream primam ætatem, quam homines suis sceleribus in argenteam, æneam ferreamque commutarunt. Philosophi autem homines fuisse primitus corruptos et *tanquam obrutos*, induxerunt 1. ex subversione animæ, quæ nativa conditione est sui adoratrix, omniaque amans præter Deum; 2. ex inordinata illa furiosaque rerum et voluptatum corporearum appetitione quæ, nisi frenaretur religione legibusque civilibus, homines faceret voratores hominum; 3. ex corporis perfecta compositione simul et extrema fragilitate [1].

1. « La croyance que l'homme est *déchu* et *dégénéré* se trouve chez tous les anciens peuples. *Aurea primata sata est ætas*, est la devise de toutes les nations. » Voltaire, *Essai sur les mœurs*, c. 4. — « La nature et les facultés de l'homme ont été changées et *corrompues* dans son *chef* dès sa naissance; Plato. *Timæi*. — « Homo non ut a matre, sed ut a noverca natura editus in vitam, corpore nudo, et fragili, et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli

S. Augustinus easdem rationes sæpe sæpius affert, ut vidimus, n. 179, ad confirmandum dogma peccati originalis. « L'homme est plus inconcevable sans ce mystère, que ce mystère n'est inconcevable à l'homme. » Pascal, *Pensées*.

Ratione convenientiæ. Ista lex est Divinitatis immobiliter firmata, ut in gubernando, res quasdam aliarum causas instituat, ut rebus gubernatis major insit perfectio; S. Th. 1 p., q. 103, a. 6: et propterea Adam constitutus fuit causa vitæ naturalis in ordine physico, intellectuali et morali, ad prolis generationem, instructionem et educationem: ergo, eadem ratione, debuit esse causa etiam vitæ supernaturalis pro suis posteris. Unde et Christus constitutus est universalis causa regenerationis, redemptionis et salutis, ut, *ubi abundaverat delictum, ibi superabundaret* et *gratia*; n. 72.

218. — *Obj.* 1° Peccatum imitatione tantum posteris Adæ communicatum, dici nequit vere proprium hisce posteris: atqui imitatione tantum, non propagatione, communicatur Adæ peccatum; ergo hoc peccatum non est generi humano proprium.

Resp. Nego minor. Etenim 1. Scriptura aperte dicit omnes homines in protoparente peccasse: porro, qui, peccando, Adam imitantur, in illo peccasse dici non possunt; ergo propagatione, et non imitatione tantum, generi humano communicatur Adæ peccatum.

Revera, justi, qui sine peccato totam vitam agunt, non imitantur, Adæ prævaricationem; parvuli etiam ante usum rationis, et adulti, qui nunquam aliquid de protoparente au-

ad labores, prono ad libidines; in quo tamen inesset tanquam *obrutus* quidam *divinus ignis*, ingenii et mentis... Ex quibus humanæ vitæ erroribus et ærumnis fit ut interdum veteres illi vates, sive in sacris initiisque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos *ob aliqua scelera suscepta in vita superiore*, pœnarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, simili nos affectos esse supplicia atque eos, quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, quam aptissime colligabantur; ita animos nostros cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis, esse conjunctos. » Cicero, *de Republ.*, lib. 2, *Hortensius*. — « Contemplez cet édifice : vous y verrez des marques d'une main divine; mais l'inégalité de l'ouvrage vous fera bientôt remarquer ce que le péché a mêlé du sien. » Bossuet, *Serm.* 1er *pour la Pentecôte*, — *sur la Mort*.

dierunt, ejus peccatum imitari non possunt : et nihilominus hi omnes et illi dicuntur in Adamo peccasse ; ergo, etc.

Insuper mors est stipendium peccati, ex S. Paulo : porro, non imitatione, sed necessitate mors transit in omnes ; ergo et ejus causa seu peccatum.

Similiter, Christi justitia in homines redundat propagatione, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 190, 209 : porro, « sicut per unius obeditionem justi constituuntur multi, ita et per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi ; » Rom. 5; ergo, etc.

2. Particula, *per*, quæ in omnibus versionibus legitur, causalis est, ut patet ex toto capite, in quo sæpissime ponitur : atqui vera causa non est, quam materialiter tantum alii imitantur ; et vero, in hoc sensu potius dicendum esset : *per unum Angelum*, qui primus peccavit, peccatum intravit in mundum.

3. Denique ad hoc excludendum, S. Paulus subdit : « Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui *non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ ;* » Rom. 5, ℣. 14; ergo, non imitatione, sed propagatione Adæ peccatum communicatur ejus posteris.

219. — *Inst.* 1. *Filius non portabit iniquitatem patris ;* Ezech. 18, ℣ 20 : porro si Adami peccatum propagatione transfunderetur, filii portarent iniquitatem patris; ergo non propagatione derivatur Adæ peccatum ad ejus posteros.

Resp. Dist. maj. Filius non portabit iniquitatem patris, si ejus iniquitatis non sit particeps, *conc.*; si sit iniquitatis particeps vel imitatione per peccata actualia, vel propagatione, ut in præsenti casu, *nego.* Ex dictis enim, originale peccatum inest unicuique proprium; ergo omnes posteri Adæ portant iniquitatem patris.

220. — *Inst.* 2. « Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt *multi*, ita et per unius obeditionem justi constituentur *multi ;* » Rom. 5 : atqui, si propagatione transfunderetur Adæ peccatum, non solum multi, sed *omnes* constituti essent peccatores ; ergo, etc.

Resp. Dist. major. Peccatores constituti sunt multi, id est, omnes qui sunt multi, *conc.*; multi tanquam pars posterorum Adæ, *nego.* Omnes enim non semper sunt multi seu magno numero. Verum, cum ex Adamo descendentes sint innumeri,

recte dicitur per unius inobedientiam multos constitutos fuisse peccatores, ut clarius ostendatur unius peccati efficacia et unius gratiæ abundantia.

Et vero, Apostolum per *multos* intellexisse *omnes*, patet ex his verbis immediate præcedentibus : « Sicut per unius delictum in *omnes* homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in *omnes* homines in justificationem. »

221. — *Inst.* 3. « Si unius delicto *multi* mortui sunt, multo magis gratia Dei in *plures* abundavit ; » Rom. 5, ℣ 15 : atqui in plures non abundaret gratia quam delictum, si omnes essent mortui ; ergo non omnes in Adamo peccarunt.

Resp. Dist. major. Gratia abundavit in plures seu in multos, sive non unum tantum remittendo peccatum, sed multa, sive innumera conferendo dona ad sanctificationem animæ, ad perseverantiam et vitam æternam ordinata, *conc.*; in *plures* comparative, ita ut, qui mortui sunt per Adæ peccatum, sint minori numero *nego.*

Revera, in textu græco non legitur *in plures*, sed in *multos*, atque ex toto contextu patet Apostolum non multitudinem eorum, qui gratiæ Christi participes fiunt, urgere, sed copiam beneficiorum Christi, per oppositionem ad delictum primi hominis.

222. — *Obj.* 2° Repugnat divinæ benignitati, sapientiæ et justitiæ, per unius hominis peccatum, naturam humanam corrumpi et peccato proprie dicto infici : atqui tale est originale peccatum ; ergo repugnat.

Resp. Dist. major. Repugnat per unius hominis peccatum naturam humanam corrumpi et peccato infici in ordine simpliciter naturali, *conc.*; in ordine supernaturali et consequenter naturali, *nego.*

Etenim, ex statim dicendis, peccatum originale est in primis donorum supernaturalium in Adæ posteris privatio per actum protoparentis peccaminosum, et ideo habitualis aversio a Deo ut fine supernaturali, ac consequenter naturali : porro dona supernaturalia, cum sint prorsus gratuita, Deus, illæsis suis attributis, potuit generi humano largiri, mediante protoparentis obedientia, sicut potuit in iisdem donis genus humanum redintegrare, mediante Christi satisfactione atque merito ; ergo nullo modo repugnat originale peccatum. Aliunde omnibus prærogativis donatus fuit primus homo, ut manda-

tum materialiter levissimum, fideliter servaret, causamque generis humani feliciter gereret; n. 229.

223. — *Inst.* Non est peccatum absque voluntatis consensu: atqui homines non consenserunt Adæ peccato; ergo in Adamo non peccarunt.

Resp. Dist maj. Non est peccatum absque consensu actuali, ex parte alicujus creaturæ rationalis, *conc.*; ex parte ejusdem subjecti, cui inest peccatum, *nego*. Duplex est enim peccatum genere distinctum, actuale et originale : prius est actus peccaminosus ab unoquoque subjecto, cui inest, elicitus; posterius vero est *actus* peccaminosus in Adamo, et *habitus* tantum peccaminosus in Adæ posteris; ergo hujusmodi peccatum supponit quidem in Adamo consensum actualem, non autem in ejus posteris. Unde peccatum originale est sui generis, ex statim dicendis.

ARTICULUS II

De natura peccati originalis.

Ut res facilius et plenius evolvatur et intelligatur, dicemus de natura illius peccati 1° in Adamo, 2° in ejus posteris.

PROPOSITIO PRIMA

224. — *Peccatum originale, in Adamo, fuit actualis et habitualis aversio a Deo ut fine supernaturali.* Certum est.

Et quidem 1° *actualis aversio a Deo.* Etenim peccatum est voluntaria legis transgressio, seu voluntaria aversio a Deo; ergo nullum est peccatum sine *actu* libero transgressionis præcepti, quo homo *peccans* est, et *actuale* pecccatum committit: porro, ex dictis, n. 214, Adam ipse proprio actu præceptum divinum transgressus est; ergo in Adamo peccatum originale fuit *actualis* aversio a Deo.

2° *Et habitualis aversio a Deo.* Transacto enim actu peccaminoso, manet homo aversus a Deo, et a longe dissitus, quandiu ad Deum per pœnitentiam non convertitur, sicut, qui a sole avertitur, manet in tenebris, donec ad solem iterum convertatur; et exinde homo dicitur proprie et formaliter *peccator*, in peccato *esse*, peccatum *habere*; atque hujusmodi statusaversionis *habituale peccatum* nuncupatur, eo quod sit aliquo modo permanens, et voluntarius ex

ordine ad præcedentem *actum* aversionis; ergo, ex actu inobedientiæ, in habituali aversione a Deo Adam sese constituit, donec per pœnitentiam ad Deum se converteret.

3° *A Deo ut fine supernaturali.* Etenim, ex capite præcedenti, Adam non solum ad finem supernaturalem fuerat destinatus, sed de facto per gratiam in divino statu *constitutus*, sicque ad Deum ut finem supernaturalem vere conversus; ita tamen, ut in hac divina conversione et statu permanere non posset, nisi servatis Dei præceptis : atqui, ex dictis, Adam grave præceptum transgressus est; ergo amisit gratiam divinam, et ideo conversionem ad Deum ut finem supernaturalem, atque in actu et habitu injustitiæ contrariæ, seu aversionis a Deo ut fine supernaturali sese constituit.

225. — Hinc peccatum originale in Adamo fuit consequenter aversio a Deo ut *fine naturali*, seu ut *auctore naturæ*.

Ita omnes Theologi, et ii etiam qui hanc consequentiam declinant, pro Adæ posteris, ut dicetur in sequenti propositione. Namque ex lege naturali obedire tenemur Deo præceptum ordinis supernaturalis imponenti : porro Adam hujusmodi præceptum et ordinem infregit; ergo eodem actu legem et ordinem naturalem evertit. S. Th. 1. 2, q. 71, a. 6, ad 4; q. 100, a. 1.

Et revera, vel ex lege naturali homo Deo ut auctori gratiæ obedire tenetur, vel non : si posterius tunc creatura est a Deo omnino independens in ordine supernaturali, nec ideo peccat, illum ordinem evertendo; omnia enim jura Dei in creaturas, a creatione seu a jure naturali primario oriuntur : si prius, tunc repugnat ordinem supernaturalem everti, quin eo ipso solvatur naturalis ordo.

226. — *Quæritur* an Adam, post peccatum, potuerit Deum *super omnia ex amore puro* etiam *naturali diligere*, ac proinde *finem* et *beatitudinem mere naturalem* consequi?

Resp. negative. Etenim amor naturalis super omnia,

qualis requiritur ad perfectam rectitudinem naturalem, et ad finem ejusdem ordinis consequendum, implicat saltem *possibilitatem* adimplendi omnia præcepta sufficienter cognita legis naturalis : atqui, ex una parte, post Adæ peccatum in ordine supernaturali, adest præceptum etiam *naturale* se *supernaturaliter* pœnitendi, et eodem modo iterum sese ad Deum convertendi, n. 225; et, ex altera parte, hujusmodi pœnitentia et conversio supernaturalis est naturaliter impossibilis, ut patet; ergo repugnat Adam, post peccatum, potuisse adimplere omnia præcepta legis etiam naturalis, ac proinde Deum super omnia ex amore puro naturali diligere, et finem ejusdem ordinis consequi.

PROPOSITIO II

227. — ***Peccatum originale in Adæ posteris, est habitualis aversio a Deo ut fine supernaturali, quatenus derivans ab actuali peccato Adami.*** Ita communiter.

Et quidem, 1° *habitualis aversio* a Deo. Namque, ex articulo præcedenti, peccatum originale est vere peccatum, et inest unicuique proprium, atque omnes homines illud contrahunt a primo instanti suæ conceptionis : atqui homines in ipsa conceptione non utuntur ratione, ut actu peccent; ergo peccatum originale, quatenus inest unicuique proprium, non est peccatum actuale, sed quoddam habituale, seu habitualis aversio a Deo.

2° *A Deo ut fine supernaturali.* Etenim 1., ex articulo præcedenti, in Adamo et per Adamum omnes ejus posteri peccaverunt, atque amiserunt sanctitatem et justitiam supernaturalem, ut ait Conc. Trid., n. 3; ergo illud habituale peccatum idem est ac in Adamo : porro, ex dictis, n. 224, in Adamo, post actum peccati ex se transitorium, remansit habitualis aversio a Deo ut fine supernaturali; ergo et in Adæ posteris similis habitualis aversio a Deo ut fine supernaturali, peccati originalis essentiam constituit.

2. Revera, juxta S. Thom., « *privatio originalis justitiæ*, per quam *voluntas subdebatur*, est *formale* in peccato originali. » Unde « peccatum originale est quædam *inordinata dispositio*, proveniens *ex dissolutione illius harmoniæ*, in qua

consistebant ratio *originalis justitiæ*; » 1. 2, q. 82, a. 1, 3. Vel, juxta Scotum, est « *privatio gratiæ, quæ debebat inesse.* » Vel, ut ait Bellarm., est « *carentia doni justitiæ originalis*, sive *habitualis aversio* et *obliquitas voluntatis*, quæ et *macula*, mentem Deo *invisam reddens*, appellari potest; » *de Amiss. grat.*, l. 5, c. 17.

3° *Quatenus derivans ab actuali peccato Adami*; et ex hoc illa habitualis aversio a Deo habet rationem peccati. Nam, ex jam dictis, peccatum originale, quatenus unicuique proprium, est *habituale* tantum peccatum : porro nullum est peccatum sine legis violatione per actum, ex quo peccatum habituale est *voluntarium*; ergo privatio justitiæ originalis et habitualis aversio a Deo ut fine supernaturali in Adæ posteris, non habet veram et propriam rationem peccati habitualis, nisi quatenus derivans ab actu peccaminoso protoparentis; et ideo stricte et indivulse cum Adæ peccato connectitur; S. Th. 1. 2, q. 82, a. 1, ad 2. Propterea Conc. Trid. dicit hoc peccatum unicuique proprium, esse *origine unum*, n. 4. Aliunde contrarium damnatum fuit in hac Baii propositione : « Peccatum originis vere habet rationem peccati, *sine ulla relatione* ac *respectu* ad *voluntatem, a qua originem* habuit; » n. 139.

Et revera, ex S. Paulo *in* Adamo et *per* Adamum omnes homines *peccaverunt*, et *per unius* delictum et inobedientiam peccatores constituti sunt, n. 217. Eadem ratione dicunt Patres : « *Omnes peccaverunt*, quia *omnes unus homo* fuerunt; » S. Aug., *de Bapt. parvul.* c. 10. — « *Omnes cecidimus*, quia omnes *in primo parente* non jejunamus; » S. Basil., *Homil, de jejun.* — « Adamo *stante, stetimus*, et *eo declinante* a via recta, *omnes* declinavimus; » Orig. *ad Rom.* 6. Unde illud habituale peccatum unicuique proprium, quatenus ab actu illius, qui fuit origo naturæ humanæ, ortum, merito *originale* vel *originis* peccatum nuncupatur.

228. — *Quæritur* 1° an peccatum originale in Adæ posteris sit privatio simplex?

Resp. Peccatum originale in Adæ posteris, non est quid positivum, sed *privatio*; nec privatio simplex, sed rei quæ

nobis *debet inesse*, juxta ordinem a Deo constitutum; seu est *defectus* in Adamo *voluntarius conversionis supernaturalis* ad Deum *requisitæ*.

Scilicet, qui nascitur, 1. proxime aptus est ad gratiam et ad supernaturalem conversionem ad Deum; 2. *ex lege divina*, illam gratiam et conversionem habere *debet;* 3. in suo capite illam habuit; 4. eadem gratia et conversione privatus est per idem caput; ergo nascitur in *statu* legi divinæ *contrario* et aliquo modo vere *voluntario*, atque ideo *peccaminoso*, Vide Suarez, *de Peccat. orig.*, sect. 2, n. 26. Cæterum, si hæc omnia non efformant totalem peccati originalis essentiam, ad hanc saltem pertinent, ut patet ex dictis.

Unde illud peccatum merito nuncupatur *macula*, *labes originalis*. Macula enim proprie dicitur de corporalibus, quando corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis : porro, ex Dei primæva constitutione, anima cujusque, dum concipimur, per gratiam divino lumine et nitore refulgere deberet; ergo talis luminis et nitoris privatio a voluntate protoparentis derivans, congrue dicitur *macula, labes originalis;* S. Th. 1, 2, q. 86, a. 1.

229. — *Quæritur* 2° an Deus, ex lege *positiva*, constituerit Adam *caput* et *procuratorem* totius generis humani *in ordine supernaturali?*

Resp. affirmative. Videlicet, intelligendum est ita cum protoparente Deum pepigisse : « Si hanc, quam præcipio tibi, legem fideliter custodieris, gratiam et justitiam supernaturalem et tibi et omnibus tuis posteris conservabis; si vero pactum meum irritum feceris, ab hoc divino statu et te et posteros tuos dejicies, omnesque mihi reddes inimicos. » Ita Suarez, Billuart, etc.

Et revera, vel Adam fuit *naturaliter* principium vitæ et mortis spiritualis, sicut et vitæ corporalis; vel ex *positiva* Dei voluntate : atqui prius dici nequit. Etenim tunc fieri non potuisset, quin in Adamo peccassemus; neque esset ratio cur primum ejus peccatum tantum, et non alia nobis imputarentur : a fortiori idem concedendum foret proxi-

mis parentibus; denique gratia esset quid in se naturale, et debitum integritati primæ conditionis, ut contendunt Lutherus et Baius, n, 131, 138: porro hæc omnia ab omni catholico prorsus rejiciuntur; ergo Adam, ex lege positiva, et peculiari modo a Deo lata, fuit constitutus vitæ et mortis spiritualis principium pro suis posteris; et in hac lege fundatur originalis peccati derivatio ad omnes homines. Unde voluntas Adami moraliter coram Deo reputata fuit totius naturæ voluntas.

Hoc totum, juxta usitatam phrasim Scripturæ, vocatur *pactum*, *testamentum*. Dicitur enim: « Ipsi *sicut Adam* trangressi sunt *pactum;* ibi prævaricati sunt in me; » Osee, 6, ỳ 7. — « *Testamentum æternum* constituit cum illis (protoparentibus); » Eccli. 17, ỳ 10. — « *Omnes testamentum* Dei transgressi sumus, transgrediente protoparente; » S. Fulgent., *de Incarn.*; ita etiam S. August., *de Civit.*, l. 16, c. 27, et S. Hieronym. *in Osee*, 6.

Cæterum hujusmodi pactum, circa rem supernaturalem et indebitam, fuit legitimum et omnimodo accipiendum ex parte Dei, conditionis, procuratoris et nostri. Et quidem 1. ex parte Dei, qui utpote donorum et voluntatum supremus dominus et gubernator, potuit et dona supernaturalia tribuere sub conditionibus sibi placitis, et voluntates omnium hominum in voluntate Adami aliquo modo ponere, ad observantiam alicujus præcepti supernaturalis. 2. Ex parte conditionis seu præcepti, in se et relative ad omnes circumstantias levissimi. 3. Ex parte etiam procuratoris, quem Deus replevit scientia atque sensu; cui largitus est gratiam et quidem magnam, maxima dona, uberrima auxilia, perfectamque concupiscentiæ subjectionem. 4. Denique ex parte omnium nostrum, qui profecto circa magna illa et pretiosa dona gratiæ, talem procuratorem omnimoda rectitudine, tot tantisque auxiliis supernaturalibus fulcitum, non habuissemus fide indignum et rejiciendum. Aliunde, sicut per inobedientiam *Adæ peccatores* constituti sunt *multi*; ita et per *Christi* obeditionem *justi* constituuntur *multi*.

Juxta Suarez, fortasse non necessarium fuit Deum to-

tum hoc pactum et negotium revelare Adamo, et ipsius consensum exspectare. Sola enim Dei voluntas erat sufficiens, Attamen valde saltem probabile est Adamum explicite cognovisse totam voluntatem et pactum divinum, ut omne bonum et malum, quod in ejus actu erat, cognoscere posset, ac magis proprie censeri se voluntarie obedire vel peccare, non ut personam privatam tantum, sed ut caput morale et gerens personam generis humani.

230. — *Quæritur* 3° an posteri Adæ, dum peccatum originale contrahunt, proprie non *peccent*, sed *generentur, nascantur* in peccato?

Resp. affirmative. Verbum enim *peccare*, manifeste indicat *actuale* peccatum : atqui parvuli fiunt peccatores non *committendo*, sed *contrahendo;* sic ille, qui semel peccavit, non dicitur amplius peccare, licet in peccato constituatur, et peccatum habeat. Quare S. Paulus non dicit simpliciter et in præsenti : « Omnes homines *peccant*, *sese constituunt* peccatores; » sed cum addito et in præterito : « Omnes *in Adam peccaverunt;* per *unius* inobeditionem peccatores *constituti sunt multi.* »

231. — *Quæritur* 4° an originale peccatum in Adæ posteris, sit *consequenter* etiam habitualis aversio a Deo ut *fine naturali*, seu ut auctore naturæ?

Resp. Non omnino concordant auctores. Negat enim Suarez, eo quod hoc peccatum non privat aliqua perfectione naturali, n. 170. Affirmant tamen plerique Theologi, propter rationes supra allatas, n. 225, quæ hic etiam vim suam retinere videntur, et quas admittit ipse Suarez pro peccato originali in Adamo spectato; *de Peccato origin.*, sect. 2, n. 21, 22.

Et revera, 1., ex omnium consensu, ut vidimus, n. 225, in Adamo aversio a fine supernaturali consequenter inducit aversionem a fine naturali : porro, ex dictis, n. 227, peccatum originale in Adæ posteris, idem est ac habituale peccatum Adami; et etiam ipsum actuale peccatum Adami indivulse connectitur cum illo habituali peccato in ejus

posteris, et aliquo modo vere nobis imputatur; ergo non videtur cur originale peccatum in Adæ posteris non consequenter induceret aversionem a Deo ut fine naturali.

2. Aversio a Deo in ordine naturali, præsertim ex aversione a fine supernaturali derivans, tollit quidem moralem perfectionem in ordine naturali, sed per se non necessario minuit vires et perfectiones intrinsecas et naturales, ut patet ex actualibus peccatis quotidie commissis; ergo dici nequit, cum Suarez, peccatum originale non inducere aversionem a fine naturali, eo quod non afficiat hominis naturalia.

3. Revera plerique Theologi, et ex iis etiam qui asserunt naturalia in homine post originale peccatum integra remansisse, inter quos Bellarm., sentiunt parvulos sine Baptismo decedentes, carere beatitudine etiam naturali, ut infra dicetur: atqui illa beatitudo nihil aliud est, ut ait Billuart, quam amicabilis conversio ac unio cum Deo ut auctore naturæ; ergo ista conversione carent illi parvuli.

Exinde sequeretur, ratione originalis peccati, hominem lapsum non posse Deum super omnia ex amore puro etiam naturali diligere, nec proinde finem et beatitudinem mere naturalem consequi, ut jam expositum est pro Adamo, n. 226. Hoc tamen etiam rejicit Suarez, ex eadem ratione jam allata, ut infra dicetur, n. 247.

COROLLARIUM

232. — *Rejiciendæ sunt omnes sententiæ contrariæ circa naturam originalis peccati*. Scilicet,

1. Peccatum originale pro Adæ posteris, nihil aliud est quam ipsum *actuale* peccatum Adami, ex quo *extrinsece* tantum *denominamur* peccatores, et proinde *nihil* est in parvulis *unicuique proprium* et *inhærens*, quod habeat *veram peccati rationem*; ita Pighius et Catharinus. Hæc sententia ut hæretica damnata est a Conc. Trid. n. 3, 4; et ejus falsitas patet ex dictis, n. 217, 227.

2. Peccatum originale est *corruptio ipsius naturæ*, et privatio ipsiusmet *facultatis* intelligendi, diligendi et inchoandi

res *spirituales* et divinas, ita ut per illud imago Dei in hominibus deleatur; ita Lutherus, Calvinus, n. 132.

Talis sententia est hæretica, quia ex ea sequuntur errores manifeste damnati. In hac enim sententia, aliqualis natura et substantia esset per se mala et peccatum : quod est hæresis Manichæorum. Sed etiam Deus esset auctor peccati, quia illa transmutatio animarum ab ipso solo fieri potest; vel saltem dæmon talem haberet potestatem; nec Baptismus tolleret id omne quod habet peccati rationem; atque anima boni cujuslibet incapax jaceret : porro hæc omnia sunt hæretica.

3. Peccatum originale est *concupiscentia*, seu tenebræ in intellectu, aversio in voluntate, contumacia in corde, omnium vitiorum origo. Hæc sententia communiter a Lutheranis fuit propugnata, et fortasse non essentialiter a præcedenti discrepat, n. 132. Hæretica declarata est a Conc. Trid. n. 6. Et vero, ex dictis, n. 227, originale peccatum est id, quod per Baptismum tollitur ; atqui concupiscentia remanet in renatis; ergo ipsa non est peccatum originale. Insuper concupiscentia est quidem defectus et vitium quoddam, seu imperfectio naturæ, et occasio peccati; sed non est in se prohibita, nec per se avertit a Deo, nec proinde ipsa est formaliter contra legem, et peccatum; et licet de facto ex peccato originali tanquam pœna derivetur, per se tamen sequitur ex hominis natura, ut dictum est, n. 169.

4. Peccatum originale est *positiva* aversio a Deo, seu qualitas quædam naturæ corruptæ inhærens, et qua fit ut parvuli, cum usum rationis attingunt, *actualiter* Deum odiant. Et hoc damnatum est in Baii propositionibus 48, 49, et confutatum n. 228. Et vero, peccatum non est quid positivum, sed *voluntarius defectus* conformitatis regulæ; S. Th., 1. 2, q. 71, a. 6. « Manifestum est, ait S. August., quod peccatum *nihil* est, et homines nihil *fiunt*, cum peccant; » *in Joan.*, 1 : alioquin Deus, cum sit auctor cujusvis entis, esset auctor etiam peccati, n. 228.

ARTICULUS III

De modo propagationis peccati originalis.

Ad hanc quæstionem solvendam, varii varia excogitarunt systemata. Ex dictis autem de illius peccati natura, in promptu esse videtur via seu rima, per quam hoc peccatum ad nos ingreditur.

PROPOSITIO

233. — *Posita cujusque generatione ex semine Adæ, quisque, quasi proprio pondere voluntatis Adæ, manet gratia destitus et a Deo aversus.* Ita communiter.

Etenim, per ipsam generationem consummatam, homo initium habet, et fit Adæ filius : atqui ex duplici articulo præcedenti, homo, eo ipso quod fit Adæ filius, cadit sub lege Dei positiva, qua protoparens constitutus fuit caput et procurator omnium posterorum, ad conservationem aut amissionem gratiæ ; ergo, proprio pondere peccaminosæ voluntatis Adami, quisque, semel generatus, manet gratia destitutus, et ideo aversus a Deo ut fine supernaturali.

Proinde, ut peccatum originale fiat unicuique proprium, duo requiruntur et sufficiunt, scilicet, cujusque naturalis generatio ex semine Adæ, ut *conditio sine qua non ;* et voluntas Adæ peccaminosa, ut *causa moralis* et *efficiens* illius privationis gratiæ et aversionis in unoquoque ; ita S. Th., Scotus, Bellarm., Suarez, Billuart, etc. Quare S. August., Juliano quærenti per quas rimulas hoc peccatum ad nos ingrediatur, respondet : « Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum ?* » Lib. 6, c. 2, 3 ; quasi diceret, præter hanc non oportere aliam quærere causam transfusionis illius peccati.

234. — *Quæritur* 1° an *anima,* non in sua creatione a Deo, sed *in sua conjunctione cum corpore per generationem,* peccatum originale contrahat?

Resp. affirmative. Etenim homo hoc peccato non infici-

tur, nisi ut homo ex Adam oriens : atqui non constituitur homo nisi per unionem animæ cum corpore, quæ est terminus generationis humanæ; ergo anima in sua conjunctione tantum cum corpore, peccatum originale contrahit.

Itaque anima e nihilo educitur a Deo per creationem, ut sit pars hominis constitutiva; unitur autem cum corpore per generationem ab immediato parente, ut constituatur homo; et a primo instanti suæ constitutionis, homo remanet destitutus gratia, quæ ei debet inesse, et ideo aversus a Deo ut fine supernaturali, per voluntatem peccaminosam protoparentis.

235. — *Quæritur 2° an repugnet Deum creare animam,* quam scit statim inficiendam peccato; vel *illicitum* sit *matrimonium,* et ejus *usus,* cùm exinde aliquo modo sequatur peccatum originale?

Resp. negative. Etenim 1. Deus nihilominus animam creat, tum quia commune bonum universi præfertur privato; tum quia illa macula non est perpetua, cum Deus constituerit medium, quo possit deleri; tum denique quia, saltem juxta plures, ipsi homini melius est sic esse, quam omnino non esse; ita Suarez et S. Th. 1. 2, q. 83, a. 1, ad 5 : porro hæc omnia abunde sufficiunt ad illam creationem, non obstante præfato inconvenienti.

2. Peccatum originale non sequitur *per se* ex actu generationis, sed *per accidens* tantum, quatenus scilicet supponit peccatum Adæ capitis nostri moralis, ex dictis, n. 234 : atqui, propter easdem rationes jam allatas, conjuges habent sufficientem causam vacandi generationi, ex qua adeo per accidens sequitur malum, ut hoc nullo modo actuali voluntati generandi, sed antiquæ voluntati peccandi sit imputabile.

236. — *Quæritur* 3° an alia peccata sive Adæ, sive posteriorum parentum ad filios transfundantur?

Resp. negative. Namque *solus* Adam, et quidem circa *unum* tantum præceptum, a Deo lege positiva constitutus fuit caput morale ad conservationem justitiæ originalis;

ergo cætera peccata, sive Adami, sive aliorum parentum, sunt mere personalia.

ARTICULUS IV

De subjecto peccati originalis.

237. — Post supradicta, inquirendum superest an *soli* et *omnes* ex Adamo geniti peccatum originale contrahant. Circa secundum punctum, Calvinus asserit peccatum originale vel non communicari, vel saltem nullatenus imputari filiis fidelium, n. 135; et Protestantes etiam contendunt B. V. Mariam fuisse cum labe originali conceptam. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

238. — *Soli homines naturaliter ex Adamo geniti, peccatum originale contrahunt.* Certum est.

Etenim, ex articulo præcedenti, generatio ex semine Adæ est, saltem de facto, *conditio sine qua non*, ut quis peccatum originale contrahat; ergo soli homines ex Adamo geniti, in illo peccato constituuntur. Unde Conc. Trid. ait : « Homines, *nisi ex semine Adæ nascerentur*, non nascerentur *injusti*; cum *ea propagatione, per ipsum* dum *concipiuntur, propriam injustitiam contrahant;* » n. 9. Ratio a priori est lex et voluntas divina, qua statutum est, ut Adam tantum eorum hominum in ordine gratiæ esse caput, qui ab illo naturaliter generantur. Et revera non esset congruum Adam communicare culpam, cui non tribueret naturam.

239. — Hinc 1° *Christus* peccato originali *nullo modo fuit obnoxius.*

Namque, ex jam dictis, qui ex semine Adæ naturaliter non generantur, eo ipso peccatum originale non contrahunt: porro Christus, non naturaliter ex semine Adæ, sed operante virtute Spiritus Sancti conceptus fuit; ergo Christus non fuit in Adamo secundum seminalem rationem, nec ideo contentus in lumbis Adæ peccantis, nec proinde in ipso peccare potuit. S. Th. 1. 2, q. 81, a. 4. Vide Tract. *de Incarn.*, n. 129.

240. — Hinc 2°, *Adamo non peccante*, etsi *Eva peccasset*, posteri *non contraxissent* peccatum originale.

Alioquin generatio ex semine ipsius Adæ non esset conditio sine qua non, ad contrahendum peccatum ab ipso Adamo non patratum. Propterea, quamvis Eva primo peccaverit, S. Paulus non dicit : « *Per unam mulierem* peccatum intravit in mundum. » Et vero, congruum fuit, ut solus ille a Deo constitueretur ad conservationem justitiæ originalis, qui solus est principium activum vitæ naturalis, caput mulieris, et a quo igitur omnes dependent et generantur.

PROPOSITIO II

241. — *Omnes homines, sive fidelium, sive infidelium nati, peccatum originale contrahunt.* De fide est, contra Calvinistas, n. 135.

Hoc jam probatum manet ex omnibus argumentis, quibus demonstrata fuit peccati originalis existentia, n. 217. Et revera, S. Paulus dicit « *omnes* homines in Adamo *peccasse*, et per unius delictum in «*omnes* homines in condemnationem ;.» Rom, 5, ℣ 12, 18. Unde Conc. Trid. expresse definivit « *parvulos omnes*, etiamsi fuerint *a baptizatis parentibus orti*, ex Adam trahere peccatum originale, et in *remissionem peccatorum veraciter* baptizari, » n. 5.

« Non enim *nascuntur Christiani*, sed *fiunt*, » ait S. Hieron., *ad Lætam*. « Regeneratus non *regenerat* filios carnis, inquit S. August., sed *generat*, ac per hoc in eos non quod regeneratus, sed quod generatus est, trajecit. Sic igitur sive *reus infidelis*, sive *absolutus fidelis* non generat *absolutos* uterque, sed *reos ;* » *de Peccat. origin.* l. 2, 40.

Propterea semper fuit in Ecclesia sollicitudo fidelium, ut summopere caverent, ne filii ipsorum in quavis ætate sine baptismo decederent. Tandem nullibi legitur quod Deus primævam constitutionem iterum statuerit pro parentibus fidelibus, n. 236 ; et ideo isti generant non ut justi, sed ut homines, seu quatenus præditi natura qualis ab Adamo derivatur, seu peccato infecta.

Attamen illa lex communis exceptionem habet, et pri-

vilegium patitur. Nam de fide est B. Virginem Dei Genitricem fuisse *sine labe conceptam* ex *singulari* Dei *gratia* et *privilegio*, atque *intuitu meritorum Christi*, ut demonstratum est in Tract. *de Incarn.*, n. 303.

ARTICULUS V

De effectibus peccati originalis.

Hæc quæstio considerari potest vel relative ad vitam præsentem pro omnibus hominibus, vel relative ad vitam futuram pro parvulis cum originali peccato decedentibus.

§ I

De effectibus seu pœnis peccati originalis in hac vita.

242. — 1° *Primarius effectus* peccati originalis in hac vita, est *privatio gratiæ* et *omnium virtutum infusarum;* de fide est; eoque modo talis privatio non habet rationem culpæ, sed pœnæ; S. Th. 1. 2, q. 85, a. 5; Suarez, *de Peccato orig.*, sect. 5. Ex dictis enim, n. 2, 3, 227, Adam, peccando, amisit pro se et pro suis posteris sanctitatem et justitiam; proindeque originale peccatum in hoc æquivalet mortali, ex quo sequitur privatio gratiæ et omnium virtutum infusarum, quas secum trahit illa gratia.

243. — 2° *Secundarius effectus* peccati originalis est *ignorantia*, *concupiscentia*, *dolor*, *mors*que ipsa. Immunitas enim ab hujusmodi defectibus fuit a Deo justitiæ originali de facto adnexa, ut vidimus, n. 204 et seq. : atqui per peccatum originalis justitia amissa fuit; ergo consequenter et immunitas ab ignorantia, concupiscentia, dolore et morte.

Et vero, illi defectus, licet in se naturales sint, n. 169, de facto tamen a Scriptura et SS. Patribus semper exhibentur ut effectus et pœnæ peccati protoparentis, n. 204 et seq. Unde Conc. Trid., post Conc. Milevit. et Arausic. II, declaravit « primum hominem, per offensam prævaricationis, incurrisse... *mortem*, et cum morte captivitatem diaboli, *totumque* Adam secundum *corpus* et *animam in deterius commutatum* fuisse; sed etiam in omne genus humanum

transfudisse inobedientiæ peccatum, *mortem, pœnas corporis, concupiscentiam, liberumque arbitrium attenuatum* et *inclinatum;* » n. 2, 3, 6, 7.

Hæc autem destitutio ab ordine, quo per justitiam originalem potentiæ animæ naturaliter ordinabantur ad virtutem, dicitur *vulneratio naturæ.* Unde quatuor sunt vulnera inflicta toti naturæ humanæ ex peccato primi parentis, scilicet, vulnera *ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, concupiscentiæ,* inquantum ratio destituitur suo ordine ad verum, voluntas suo ordine ad bonum, appetitus irascibilis suo ordine ad bonum, concupiscentia suo ordine ad delectabile moderatum ratione. His accedit destitutio ab incorruptibilitate corporis, et ideo vulnus per mortem et omnes defectus corporales consequentes; ita S. Th. 1. 2, q. 85, a. 3, 5.

Itaque natura humana nunquam fuit in statu naturæ puræ, sed vel in statu naturæ integræ et supernaturalis justitiæ, vel in statu naturæ lapsæ. Quid autem facultatis ad verum et ad bonum remaneat in homine lapso, sub illis peccati originalis effectibus, et an nihilominus homo nunc sit de jure saltem, in statu supernaturali naturæ reparatæ, n. 103, in quinto capite dicetur.

§ II
De effectibus seu pœnis peccati originalis in vita futura.

PROPOSITIO

244. — *Parvulus, decedens cum originali peccato, punitur pœna damni æterna.* De fide est.

Etenim 1. dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* Joan. 3, ỳ 5; ergo, qui non recipit baptismum, quo tollitur originale peccatum, n. 5, sed in hoc peccato decedit, privatur vita æterna seu regno cœlorum.

2. Sic Conc. Flor. habet : « Definimus... illorum animas, qui in mortali peccato vel cum *solo originali* decedunt, *mox in infernum descendere : pœnis* tamen *disparibus puniendas.* » Similiter Conc. Trid. dicit anathema iis qui asserunt, « par-

vulos nihil ex Adam trahere peccati originalis, quod regenerationis lavacro necesse sit *expiari ad vitam æternam consequendam ;* » n. 5. Et revera, qui caret gratia, nullum medium, nec jus habet ad gloriam : atqui parvulus, cum originali peccato decedens, gratia caret, nec in vita futura unquam illam obtinebit ; ergo nec unquam adipisci poterit vitam gloriæ.

Circa autem alia quæ moventur de sorte illorum parvulorum in altera vita, nulla exstat Ecclesiæ declaratio. Unde SS. Patres et Theologi in diversas sententias discedunt. Scilicet,

245. — *Quæritur* 1° an *pœna damni* seu privatio visionis beatificæ, *afferat parvulis tristitiam ?*

Resp. Controvertitur. Alii affirmant illos parvulos ex illa privatione habere levissimum mitissimumque dolorem, quia cognoscunt, etiam cognitione naturali, se vita æterna privari, et a consortio piorum fratrum et parentum esse alienos, vel saltem illud cognoscent in die judicii ; ita Bellarm., S. August., Gregor. Papa, Bossuet, *Lettre* 244, t. 26. édit. Viv.

Alii vero negant. Nam 1. illi parvuli omnino ignorant se gratiam in Adamo amisisse, et vita gloriæ pœnaliter privari ; hoc enim cognosci nequit nisi lumine supernaturali. 2. Tristitia de illa carentia est in se maxima omnium pœnarum, quas sentiunt damnati in inferno : porro non verisimile est parvulos affici summa pœna, ob culpam non propria voluntate commissam, cum præsertim hæc pœna, quæ sentitur, inordinatæ delectationi voluntatis respondeat. 3. In hac vita, ad expiationem originalis peccati, nullus dolor per se necessarius est ; ergo nec in vita futura. Aliunde, in die judicii, vel non aderunt illi parvuli, vel non intelligent omnia, quæ ibi peragentur. Ita S. Th., Suarez, Billuart, etc.

246. — *Quæritur* 2° an illi parvuli in altera vita patiantur *pœnam sensus seu ignis ?*

Resp. Controvertitur. Alii affirmant, inter quos S. Aug.,

quem fere omnes posteriores Latini Patres sequuntur, ait P. Perrone, et præsertim S. Fulgentius, S. Gregorius Papa. Attamen S. August. dicit illos parvulos in *damnatione omnium levissima* futuros; ita ut anceps hæreat in definiendo, an *eis ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret;* et ideo profitetur « definire se non posse *quæ, qualis, quanta* erit hæc pœna. » Et alibi dicit : « Cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis coarctor angustiis, *nec quid respondendum, prorsus invenio;* » Epist. 131. Petavius, ex citato Conc. Flor. decreto, n. 244, censet *de fide* esse parvulos pœnis *sensus* addici; *de Deo*, lib. 9, c. 10.

Alii negant, præsertim Patres Græci, et scholarum principes, scilicet, Petrus Lomb., S. Th., S. Bonavent., Scotus, Bellarm., Suarez, Vasquez, Billuart, etc. Etenim 1. Innocentius III, in cap. *Majores*, dicit : « Pœna *originalis peccati est carentia visionis* Dei; *actualis* vero pœna peccati est *gehennæ perpetuæ cruciatus.* »

2. In his parvulis remanet ordo naturalis; ergo æquum est, ut pœna peccati originalis sit solum privatio boni supernaturalis, non autem inflictio pœnæ sensibilis, quæ naturam ipsam lædit, et respondet pravæ ad creaturas conversioni, quam non habent illi parvuli, juxta S. Th., Suarez et alios, n. 231.

3. Propter habitualem carentiam virtutum, potest quis rejici tanquam indignus ab aliqua dignitate adipiscenda; sed puniri non solet pœna sensibili et positiva, quæ soli culpæ actuali reservatur; ergo similiter parvuli, ob culpam habitualem seu privationem gratiæ, rejici possunt tanquam indigni a cœlesti beatitudine adeunda, non autem puniri debent supplicio ignis. Et revera, propter originale peccatum, non injungitur in Ecclesia adultis baptizandis ulla satisfactio pœnalis, neque jubentur hujusmodi homines propter id peccatum, ullam animi tristitiam, doloremve concipere; ergo credibile est nullam ei respondere sensibilem pœnam in seculo futuro. Ita S. Th., q. 5, *de Peccato orig.*, a. 2.

247. — *Quæritur* 3° an illi parvuli fruantur *beatitudine naturali?*

Resp. Controvertitur. Negant ii omnes, qui asserunt parvulos, de quibus agitur, aliqua tristitia affici ex carentia pœnali visionis beatificæ, n. 245; et a fortiori qui contendunt illos puniri aliqua pœna sensibili, n. 246; sed insuper ii, qui sentiunt peccatum originale, etiam in parvulis, consequenter inducere aversionem a Deo ut fine etiam *naturali*, n. 231; ita Billuart, etc.

Affirmant vero, qui tria illa rejiciunt. Juxta Suarez, « illi parvuli habent veram Dei cognitionem, et amorem ejus super omnia, atque adeo reliquas naturales virtutes, et corpora impassibilia, unde non indigebunt potu, neque patientur rebellionem carnis, neque interiorem, neque exteriorem pugnam; » *de Peccato orig.*, sect. 6, n. 6. Sat communiter Theologi sentiunt illos parvulos frui, non omnimoda quidem, sed *aliquali* beatitudine naturali, ita ut « melius sit eis sic esse, quam nullo modo esse; » S. Th. 1, 2, q. 83, a. 1.

Cæterum hæc posterior sententia non permiscenda est cum errore Pelagianorum. Illi enim Theologi hanc ipsam naturalem beatitudinem simul *cum morte peccati* aperte adstruunt, ac propterea exclusionem a vita æterna tanquam *pœnam* et *damnationem* habent. Pelagiani vero illam beatitudinem infantibus non baptizatis tribuebant *sine morte peccati*, ita ut exclusio a visione beatifica non haberet rationem *damnationis*, neque *pœnæ*, sed esset naturalis illorum puerorum conditio : quod est hæreticum.

CAPUT V

DE REDINTEGRATIONE HOMINIS LAPSI IN STATU SUPERNATURALI

248. — Deus non dereliquit hominem in statu naturæ lapsæ, de quo diximus in præcedenti capite, sed in ipsa generis humani damnatione, quæ peccatum consecuta est, ostensa fuit etiam spes redemptionis, cum statim ipse Deus promiserit mulierem seu semen ejus conteriturum esse caput serpentis; Gen. 3, ℣ 15. Unde, ut homo a peccato redimeretur, atque redintegraretur in statu gratiæ, Unige-

nitus Dei Filius nostram sibi assumpsit naturam, atque constitutus est *causa meritoria, exemplaris* et *finalis* status naturæ reparatæ, n. 8, 9, 13; sicque omnia in Christo Deus *instauravit* : hæc tradita sunt in Tract. *de Incarn.*

Illa autem redintegratio seu *instauratio*, dum fit unicuique *personalis*, potissime consistit in hominis lapsi *justificatione*, et ideo etiam in auxiliis et actibus ad justificationem conducentibus, vel eam consequentibus. Itaque agendum habemus, in triplici articulo, de gratia in homine lapso, 1° ante justificationem; 2° in ipsa justificatione; 3° post justificationem.

ARTICULUS PRIMUS

De Gratia in homine lapso ante justificationem.

Hic agitur de gratia *actuali* ordinis sive naturalis, sive supernaturalis. Dicemus de illius gratiæ 1° necessitate; 2° concessione; 3° modo, quo conceditur; 4° modo, quo libertatem sollicitat aut determinat.

§ I

De necessitate Gratiæ ante justificationem.

Illa necessitas expendetur respectu veri et boni in ordine tum naturali, tum supernaturali.

NUMERUS PRIMUS

Quid, in ordine naturali, possit vel non possit, sine speciali auxilio gratiæ, homo lapsus nondum justificatus.

249. — Juxta fideistas, homo in statu naturæ lapsæ, nihil ad mores præsertim attinens, cognoscere et ideo peragere potest sine fide aliquo modo supernaturali, n. 149. Sed etiam, juxta Lutherum et Baium, nonnisi ad peccandum valet homo lapsus sine gratia, n. 132, 139. Contra vero, juxta Judæos, Pelagianos et Rationalistas, n. 112, 115, 125, homo, in statu præsenti, potest sine interiori gratia detegere et adimplere quamlibet veritatem et legem, ad finem sive hominis, sive societatis consequendum necessariam. Inter illa duo extrema stat veritas catholica, in sequentibus tradenda, in quibus dicemus 1° quid, in or-

dine naturali, possit sine gratia homo lapsus; 2° quid non possit sine gratia; 3° quibusnam concedatur hæc gratia.

PUNCTUM PRIMUM

Quid, in ordine naturali, possit sine gratia homo lapsus.

PROPOSITIO PRIMA

280. — *Homo lapsus potest, sine speciali auxilio gratiæ, cognoscere aliquas veritates naturales, tum speculativas, tum practicas.*

1° *Speculativas*, seu speculatico-practicas, v. g., Dei existentiam, animæ spiritualitatem et libertatem, plura morum principia, etc. Constat 1. *Script*. Dicitur enim : « A magnitudine *speciei* et *creaturæ* cognoscibiliter poterit *creator* horum *videri;* » Sap. 13, ỷ 5. — « Invisibilia Dei a creatura *per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur;* sempiterna quoque ejus *virtus* et *divinitas*, ita ut sint inexcusabiles (ethnici); » Rom. 1, ỷ 20 : porro, in his textibus, cognitio Dei ita tribuitur homini, ut illam ex creaturarum inspectione hauriat; ergo et sine speciali auxilio gratiæ. Vide Tract. *de Deo*, n. 32-34.

2. *Traditione*. Nam, ex decreto S. C. Indicis, a Pio IX approbato, an. 1855, « *ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest;* atque *rationis usus fidem præcedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit.* » — Præterea Conc. Vaticanum declaravit, sess. 3, cap. 4, *rationem fidei fundamenta demonstrare*, atque definivit, *ibid.*, cap. 2, can. 1. *Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci posse;* n. 151. Vide Tract. *de Deo*, n. 32.

3. *Ratione*. Homo etiam lapsus remanet nihilominus ens rationale : porro ens aliquod non est vere rationale, nisi quatenus expedita facultate gaudet verum præsertim morale a falso, saltem in pluribus, discernendi; ergo ratio in homine lapso de se sufficiens est ad quædam speculativo-practica cognoscenda.

2° *Practicas* simpliciter, seu judicia ex dictamine cons-

cientiæ prolata, de licitate vel illicitate actionis hic et nunc ponendæ. Namque 1., ex Scriptura, « Gentes sunt inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, *non sicut Deum glorificaverunt*... Gentes, quæ legem (scriptam) non habent, *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt;* ejusmodi legem non habentes, *ipsi sibi sunt lex,* qui ostendunt opus legis scriptum *in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia* ipsorum; » Rom. 1, ℣ 21; 2, ℣ 14; ergo inspectio creaturarum et conscientiæ testimonium sufficiunt, ut homo possit plura saltem officia hic et nunc servanda cognoscere.

2. Posito quod homo sine gratia non posset habere unam vel alteram, atque adeo singulas cogitationes honestas et sufficientes ad quosdam actus moraliter bonos, tunc, nisi præveniretur a gratia Dei, nec ullum haberet conscientiæ dictamen, nec esset morum capax, nec ideo ens vere rationale : porro hæc omnia sensui communi, cujusque conscientiæ, et experientiæ repugnant; ergo, etc.

251. — Dixi : *sine speciali auxilio gratiæ,* id est, 1. sine actuali gratia ordinis *supernaturalis,* et hoc certum est, atque directe probatur in thesi præcedenti; 2. sine actuali auxilio ordinis etiam *naturalis,* sed *indebito,* et hoc communiter asseritur contra quosdam antiquos et Vasquez, qui senserunt hominem, ad præfatam cognitionem, indigere aliquo auxilio, non quidem supernaturali, sed indebito. Quæ sententia falsa est, juxta Billuart et alios, si agatur de auxilio mere sufficienti; vera est autem, si quæstio sit de auxilio *efficaci,* ut dictum est, n. 166. Et vero, ex argumentis in thesi præcedenti allatis, infertur hominem etiam lapsum propriis viribus cognoscere posse veritates, de quibus agitur.

PROPOSITIO II

252. — *Homo lapsus potest, sine speciali auxilio gratiæ, aliquod bonum ordinis naturalis perficere.*

Huic propositioni conveniunt distinctio et certitudinis gradus thesi præcedenti jam appositi, n. 251.

Prob. 1° *Script.* Juxta S. Paulum, Gentes sunt inexcu-

sabiles, quia, cum *per creaturas* cognovissent Deum, *non sicut Deum glorificaverunt;* ergo illa cognitio naturalis sufficit, ut homo possit aliquo modo Deum glorificare, et ideo bonum aliquod perficere.

Sed etiam verba : « Gentes *naturaliter* ea, quæ legis sunt, *faciunt,* » intelligenda sunt simpliciter et ut sonant, id est, ductu naturæ et per vires ejus, juxta fere omnes SS. Patres et Scholasticos, ait Suarez. Et revera, S. Paulus hic loquitur de gentibus secundum se et absque fide Christi, ut patet ex contextu.

2° Idem affirmant SS. Patres. « Non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut *nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint,* unde merito dici possit *infideles,* etiam in ipsa impietate vitæ, *jure facere aliqua legis vel sapere*... Et ipsi *Judæi homines* erant, et *vis illa naturæ* inerat eis, *qua legitimum* aliquid anima rationalis et *sentit et facit.* » S. Aug., *de Spir. et Litt.*, c. 28.

3° *Ration. theol.* Posito quod homo lapsus, ex solis viribus naturæ, nullum opus moraliter bonum exsequi possit, tunc libero arbitrio caret, atque per se nonnisi concupiscentiam sequi potest : atqui hoc damnatum est contra Lutherum et Baium, n. 7, 27, 139; ergo, etc.

Et vero, natura humana per peccatum originale non est *totaliter* corrupta, ut scilicet *toto bono naturali* privetur. Unde « potest homo in statu naturæ corruptæ, *per virtutem suæ naturæ* aliquod *bonum particulare* agere, sicut homo infirmus potest *per seipsum aliquem motum* habere. » S. Th. 1, 2, q. 109, a. 2.

253. — Hinc 1° *fides* non est homini lapso *necessaria* ad *quodlibet* opus bonum ordinis naturalis perficiendum. Certum est.

Constat ex damnatione propositionis, qua Baius affirmat, « omnium *infidelium* opera esse peccata et *philosophorum* virtutes esse vitia, » scilicet, ob fidei per charitatem operantis defectum, n. 140.

Et vero, ex thesi præcedenti, homo propriis viribus po-

test aliquod bonum naturale perficere : porro fides, de qua agitur, non est intra, sed supra vires homini proprias; ergo non est necessaria ad omne bonum naturale ab homine lapso perficiendum.

An autem *de facto* omnia *infidelium* opera non sint peccata, non consentiunt omnes. Scilicet, idololatræ in omnibus suis operibus peccant, vel quia actus suos ad Deum ut auctorem naturæ explicite non referunt, juxta quosdam Lovanienses; vel quia eorum opera semper aliquo modo ad falsa numina referuntur, juxta Tricacinum.

At contrarium communiter propugnatur. Nam. 1. in Scriptura, quædam infidelium opera laudantur, ac donantur temporali quadam mercede. Exod. 1, ℣ 19, 20; Ezech. 29, ℣ 18-20; ergo omnia infidelium opera de facto non sunt peccata.

2. Homo non semper agit ex habitu prædominante : sic avarus aliquando liberalis est; ergo infidelitas concomitans non eo ipso semper influit in actum.

3. Ut actio sit moraliter bona, sufficit quod ejus objectum sit bonum, et fiat ex honesto fine, nulloque sit perverso motivo vitiata : porro talis actio inveniri potest in infideli, etiam absque vera Dei cognitione.

234. — Hinc 2° *charitas*, sive *actualis*, sive *habitualis*, non est necessaria ad *omne opus bonum naturale*. Certum est.

Namque, ex dictis, homo lapsus aliquod bonum naturale, sine speciali auxilio gratiæ, et ideo sine fide, agere potest; ergo a fortiori sine charitate, quæ fidem supernaturalem essentialiter præsupponit. Contrarium damnatum est in hac Baii propositione . *Non est vera legis obedientia sine charitate*, n. 140.

Et vero, ex dicendis, n. 275, 280, gratia charitatis, sive actualis, sive habitualis, non est necessaria ad quædam opera vere supernaturalia; ergo a fortiori nec ad quædam saltem naturalia.

Hæc vera sunt de gratia charitatis, quatenus est *principium* actus. Idem communiter asserunt Theologi de *motivo*

charitatis, contra quosdam Lovanienses, qui contendunt peccatum omissionis committere Christianum, quoties non elicit actus suos ex charitatis motivo actuali aut saltem virtuali, eo quod tunc non servat præceptum positivum primi mandati. De hoc agitur in Tract. *de Act. hum.*, n. 82, 84.

255. — *Quæritur* 1° an omnia opera *peccatoris* sint totidem peccata?

Resp. negative, et de fide est, quatenus negatur omnia opera, quæ ante justificationem perficiuntur, *quacunque ratione* fiant, vere esse peccata. Hoc enim damnatum est a Conc. Trid., n. 29.

Et revera, ut infra dicitur, n. 272, 275, necesse est peccatorem plures actus supernaturales perficere, ut ad justificationem se disponat; ergo omnia opera peccatoris non sunt de jure, nec de facto, sicut asserebant Lutherus et Baius, n. 132, 139, totidem peccata.

256. — *Quæritur* 2° an homo lapsus possit, sine speciali auxilio gratiæ, *levibus tentationibus singulatim sumptis resistere?*

Resp. affirmative, et certum est, si agatur de gratia charitatis, ex damnatione propositionis a Baio assertæ : « Fures sunt et latrones, qui dicunt *ulli tentationi* sine gratiæ (charitatis) Dei adjutorio, hominem posse resistere ; » n. 139, 140.

Communiter idem asseritur, si agatur de auxilio etiam naturali, sed naturæ indebito. Etenim, ex dictis n. 252, homo lapsus potest, sine auxilio gratiæ bonum aliquod naturale perficere : atqui homo lapsus nullum aggredi potest bonum opus, quin statim experiatur plus minusve renitentem concupiscentiam; ergo, eo ipso quod potest propriis viribus aliquod bonum naturale agere, potest etiam levibus tentationibus, saltem sigillatim sumptis, resistere. Aliunde difficultas potest esse tam levis, ut non possit vincere naturalem inclinationem ad bonum opus.

257. — *Quæritur* 3° an homo lapsus possit, sine speciali auxilio gratiæ, *diligere Deum* ut auctorem naturæ, *amore* saltem *imperfecto* et *inchoato?*

Resp. affirmative, et ita communiter doctores. Nam, ex dictis, n. 250, 252, homo viribus naturæ potest Deum cognoscere et glorificare : porro Deus glorificatur per amorem ; ergo, etc. Insuper, homo lapsus per vires naturæ potest aliquod bonum peragere : atqui omne opus bonum ad Deum proprio pondere tendit, atque est actus quidam amoris erga Deum ; ergo, etc. Qualis sit autem imperfectus ille amor Dei, dicemus n. 266.

PUNCTUM II

Quid, in ordine naturali, non possit sine aliqua gratia homo lapsus.

Impotentia, de qua agendum est, præcipue oritur ex tentationibus. Unde

258. — *Quæritur* quid sit tentatio, quænam ejus species, causæ, et modus quo vincitur?

Resp. 1° Tentatio est *motivum aliquod humanum*, avertens animum a bono hic et nunc faciendo, vel inducens ad malum hic et nunc vitandum. Quia vero illud motivum contingenter et accidentarie occurrit, ideo dicitur motivum aut difficultas *accidentalis.*

2° Tentatio est *levis*, vel *gravis*. 1. *Levis* est, quando, ex parte *intellectus*, *parva* adest *suasio*, vel *debilis inclinatio* ex parte *appetitus;* vel quando, etsi *in se vehemens* et intensa, *brevissimo tempore* seu ad momentum durat. Unde nomen tentationis proprie non meretur, sed potius dicitur *titillatio*. 2. *Gravis* est autem, quando *pertinaciter suadet multo tempore, constanter* ac *moleste*, etiam si singulis instantibus non sit admodum vehemens, dum suasio sit per se magna, aut cum passione aliqua et inclinatione sit conjuncta. Unde, quo magis vehemens est tentatio, eo brevius requiritur tempus, ut tentatio æstimari possit simpliciter gravis ; et vice versa.

Cæterum, illi tentationum gradus non possunt certa re-

gula definiri, sed prudenti judicio pensandi sunt, et in primis considerandi per comparationem ad eum, qui tentatur. Aliqua enim tentatio uni levis erit, quæ alteri gravis esset, propter varias complexiones, mores, doctrinam, etc.

3° Triplex est origo seu causa tentationis, scilicet, una intrinseca seu *concupiscentia*, et duæ extrinsecæ, scilicet, *mundus* et *dæmon*, Vide Tract. *de Peccat.*, n. 35, 39, 40.

4° Triplici modo vinci potest tentatio : vel resistendo uni tentationi per consensum in aliam; vel perficiendo opus in ordine ad salutem, et ideo supernaturale; vel resistendo simpliciter tentationi sive per suspensionem consensus, sive eliciendo actum moraliter bonum. Secundus modus dicitur proprie *victoria;* tertius autem est simplex *resistentia*, licet sæpe uterque modus victoria nuncupetur. Porro, in sequentibus, agetur tantum de simplici *resistentia*, ut patet. Quibus positis, sit

PROPOSITIO PRIMA

259. — *Homo lapsus non potest moraliter, sine aliqua gratia, cognoscere, præsertim sine admixtione erroris, summam veritatum naturalium necessariam ad vitam recte instituendam*. Certum est.

Prob. 1° *Ex doctrina Ecclesiæ*. Conc. Vaticanum, sess. 3, c. 2, sic habet : « *Divinæ revelationi* tribuendum quidem est, ut ea quæ in rebus *divinis* humanæ rationi *per se impervia* non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione, *ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore* cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio *absolute* necessaria dicenda est. »

2° *Ration. theol.* Ex Conc. Trid., liberum arbitrium per originale peccatum fuit *attenuatum* et *inclinatum*, n. 7; ergo idem dicendum est de ratione : atqui potentia infirma et læsa producere nequit actum excellentissimum potentiæ sanæ et integræ, qualis est cognitio de qua agitur; ergo homo lapsus jam impar est ad illam propriis viribus cognitionem comparandam.

3° *Experientia constanti et universali.* 1. Quoad veritates *speculativas* circa mores. Nullus est philosophus, et a for-

tiori nullus inter alios non adeo edoctos, qui, extra revelationem et fidem positus, in perniciosissimos errores non delapsus sit, circa naturam Dei et ejus actionem creatricem, circa hominis naturam, originem et finem; nullus qui tradiderit codicem legis naturalis *completum*, *clarum* et præsertim *certum* sive in ipsis regulis, sive in sanctione, ac proinde vere et sufficienter ex se *efficacem*. Quin imo, moderni increduli, qui, Revelatione comtempta, novam sibi ethnicem delineare conati sunt, infandos errores ipsis ethnicis ignotos excogitaverunt, stultaque temeritate asseruerunt. Porro, ex tali impotentia de facto, nonne ad impotentiam de jure concludere fas est? Vide Tract. *de Revelat.*, n. 61; Bossuet, *Hist. univ.*, 2 p., c. 16.

2. Quoad *veritates practicas*. Cognitio speculativa legis prærequiritur ad ejus applicationem unicuique actioni per dictamen conscientiæ : atqui, ex jam dictis, homo non potest, sine aliquo auxilio gratiæ, cognoscere, absque admixtione erroris, collectionem necessariam veritatum speculativo-praticarum; ergo eodem modo nec potest cognoscere collectionem necessariam veritatum practicarum.

Et vero, affectus seu passiones sæpe sæpius obscurant intellectus judicium, atque determinant conscientiæ dictamen; qualis enim unusquisque est, seu qualem affectum habet, talis finis ipsi videtur; ergo vulnus ignorantiæ plus læsit intellectum practicum, quam speculativum.

4° *Ratione*. Homo, in discursu suo naturali, pauca cognoscit evidenter, et quamplurima probabiliter seu verisimiliter, ita ut sæpe sæpius per solam rationem probabilem, præsertim in rebus moralibus, et per auctoritatem humanam, proferat definitum judicium; ergo tale judicium est de se expositum falsitati; ac proinde fieri nequit quod, in tanta multitudine judiciorum, sæpe non erret, maxime quia, ob præjudicia et cupiditates, sæpe falsa veris probabiliora videntur.

Nec dicatur hominem posse illas veritates cognoscere *sigillatim*, et ideo *collective*. Namque in singulis non occurrunt impedimenta, quæ in tota collectione semper plus minusve vim rationis elidunt, ut per se constat, et mox evolvetur.

260. — Ad præfatam autem cognitionem sufficit auxilium *in se naturale*, sed *indebitum*, atque ideo concessum ex *speciali* Dei *concursu* et providentia, n. 151. Attamen cum homo lapsus ad finem supernaturalem remaneat destinatus, quidquid Deus homini concedit, de facto non datur sine aliquo respectu ad spiritualem salutem, ac proinde nisi per Christum, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 223, 224.

PROPOSITIO II

261. — *Homo lapsus non potest moraliter, solis viribus naturæ, ullam tentationem relative gravem superare.* Ita communiter, ait Suarez.

Prob. 1° *Script.* Etenim dicitur : *In te eripiar a tentatione;* Ps. 17. — *Et ne nos inducas in tentationem :* seu non destituamur gratia necessaria, ut a tentatione non superemur. *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem;* Matth. 26, ℣ 41 : porro, « si libertas arbitrii satis esset ad vincendam tentationem, non Christus fuisset dicturus : *Vigilate et orate*, etc., » ait S. Hieron. *Contra Pelag.* Dialog. 2.

2° *Ex SS. Patribus et Conciliis.* « *Quævis* tentatio *vires nostras superat*, nisi Deus auxilietur nobis, » inquit Theophyl.; et idem affirmat S. Chrys. Homil. 62. — « Quis es tam fortis ut *nequaquam in tentationem moveatur*, nisi Dominus adjutor ei assistat, » ait S. Ambr., in Ps. 43. — « Ad *vitandum peccatum nihil valet* voluntatis arbitrium sine gratia, » juxta S. August. Epist. 106.

Eodem modo loquuntur SS. Pontifices et Concilia : « Pares nos *ad resistendum*, non *liberum arbitrium, sed Dei solum* facere potest *auxilium;* » ita Innoc. ad Conc. Carth. — « *Divini est muneris, quoties* pedes nostros a *falsitate* et *injustitia* tenemus; ita ut nullus miser de *quacunque miseria* liberatur, nisi qui Dei *misericordia* prævenitur; » ita Conc. Araus. c. 4. Porro, si homo gravi tentationi resistere posset, illæ locutiones neque in rigore, neque moraliter absolutam veritatem continerent.

3° *Experientia.* Quis est enim qui in seipso non experiatur, quam facile tentationibus præsertim gravibus succumbat, si suis viribus relinquatur? aut quis adeo de se præ-

sumit, ut in tentatione gravi, si huic resistere cupiat, non statim ad Deum recurrat, et auxilium tanquam sibi necessarium ad resistendum non postulet?

4° *Ratione*. Ex dictis, n. 258, tentatio levis est, etsi vehemens, quando ad momentum durat; ad gravem autem tentationem requiritur quod sit vehemens, et multo tempore, constanter ac moleste suadeat; ergo gravis tentatio componitur pluribus instantibus, quorum unumquodque æquivalet tentationi levi.

Porro 1. consensus tentationi gravi fit in uno instanti; ergo in hoc instanti homo potest moraliter resistere, sicut et tentationi levi, n. 256, et ideo consensus est liber et culpabilis. 2. Resistentia autem per totam collectionem instantium tentationis, pendet præcipue ex prompta, constanti altaque consideratione alicujus superioris rationis: porro, ad hanc considerationem, voluntas pugnans contra reluctantem atque vehementem concupiscentiam, eo magis defatigatur ac debilis fit, quo magis multiplicantur instantia tentationis gravis; ergo, ex collectione instantium tentationis gravis, exsurgit specialis difficultas, qua consensus moraliter fit infallibilis in uno vel altero instantium numero plurimorum, quibus componitur gravis tentatio.

Cæterum, circa naturam auxilii ad illud necessarii, idem dicendum est ac supra, n. 251, 260.

PROPOSITIO III

262. — *Homo lapsus non potest propriis viribus longo tempore gravibus omnibus tentationibus resistere, nec vitare omnia peccata mortalia contra legem naturalem*. Certum est.

Sequitur ex præcedenti propositione. Hic enim a fortiori valent omnia ibi jam allata argumenta. Sed etiam constat

1° *Script*. « Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in legem peccati... *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum;* » Rom. 7, ℣ 23, 25; ergo, sine gratia Christi, superare non possumus concupiscentiam, ut exinde infert S. August., *de Spirit. et Litt.*, c. 14. Et revera, S. Paulus, in Epist. ad Rom., ostendere voluit sive Judæis, sive Gen-

tilibus gratiam Christi esse necessariam; et ideo utrosque convincit, quod suam legem observare non valuerint, sed peccatis corruptissimi fuerint, n. 112; ergo docet hominem, sine speciali gratia, vitare non posse omnia peccata, nec omnibus gravibus tentationibus resistere.

2° *Ex SS. PP. et Conciliis*, qui in testimoniis supra relatis, n. 261, et adeo expressis, saltem docent hominem non posse inter tot peccandi occasiones, quæ in hac vita occurrunt, se immunem a peccato servare in his etiam, quæ ad legem naturalem spectant. Colligunt enim necessitatem gratiæ ex infirmitate a peccato derivata; loquuntur etiam de simplici resistentia ad non peccandum; et hoc dicunt de infidelibus, qui ordinarie non peccant nisi contra legem naturalem.

3° *Ex consensu Theolog.*, qui omnes, moderni præsertim, docent propositionem esse certam, atque contrarium multum decidere in errorem Pelagii. « Antequam hominis ratio reparetur per gratiam, potest singula peccata vitare, et secundum aliquod tempus : sed quod *diu permaneat absque peccato mortali, esse non potest.* » S. Th. 1. 2, q. 109, a. 8.

4° *Experientia.* Apud populos sive antiquos, sive recentes, extra Revelationem positos, nullus citari potest sub omni respectu innocens; nullus de quo grave aliquod peccatum non fiat mentio; ita ut « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, *non est usque ad unum;* » Rom. 3, ℣ 14. Vide Tract. *de Revelat.*, n. 61.

5° *Ratione.* Homo, in repentinis, operatur secundum finem præconceptum et habitum præexistentem : atqui homo lapsus, nondum justificatus, in peccato jacet, et ideo aliquatenus perseverat in habitu peccaminoso; ergo, pondere hujusmodi habitus recedit a Deo, cum occurrunt multa bona terrestria consequenda, aut vitanda mala; sicque « peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit, » ut ait S. Greg. Papa.

Et vero, homo non nisi ex præmeditatione rationis agere potest præter inclinationem habitus : porro, ex una parte,

dum uni tentationi resistere nititur, fortasse alia insurgit, et ex alia vero parte, ratio non potest semper esse in tali præmeditatione ad motus tentationum vitandos; ergo non potest contingere, ut, semota gratia, diu permaneat, quin operetur secundum convenientiam voluntatis inordinatæ a Deo. S. Th. 1. 2, q. 109, a. 8.

263. — Hinc 1° homo lapsus moraliter non potest superare *omnes mediocres tentationes*, si *per longum tempus urgeant*. Ita communiter.

Diuturna enim perseverantia et circumspectio in multitudine et varietate tentationum mediocrium, quæ longo tempore occurrunt, magis repugnant mutabilitati et infirmitati liberi arbitrii, quam unius et ejusdem tentationis acerbitas; per aliquod mediocre tempus : atqui tamen uni tentationi gravi homo moraliter non potest resistere, n. 261; ergo nec omnibus mediocribus, quæ per longum tempus occurrunt.

264. — Hinc 2° homo lapsus non potest resistere *collectioni tentationum levium*, nec ideo vitare *omnia peccata venialia*. De fide est.

Hujusmodi enim tentationes insurgunt in omni fere instanti : atqui ratio, ut dictum est, n. 262, non potest esse semper pervigil ad vitandos omnes concupiscentiæ motus; ergo non potest homo omnibus tentationibus levibus resistere, nec vitare omnia peccata venialia; S. Th. 1. 2, q. 109, a. 8. Aliunde hoc de fide est de homine justificato, ut infra dicetur, n. 347; ergo a fortiori de homine in peccato jacente.

265. — *Quæritur* 1° an homo lapsus possit, sine gratia, *diu servare omnia præcepta legis naturalis?*

Resp. negative, et certum est. Etenim, ex dictis n. 261, 262, homo lapsus moraliter non potest, sine auxilio gratiæ, resistere gravibus tentationibus, sive sigillatim, sive collective sumptis : atqui, nisi peculiari Dei auxilio protegatur, graves tentationes contra præcepta naturalia homini non

possunt longo tempore in hac vita deesse, ut ex dictis, et experientia constat; ergo homo lapsus non potest suis viribus diu servare omnia præcepta legis naturalis.

Et vero, hoc expresse docet Scriptura, dum testatur nonnulla esse præcepta, quæ sine Dei gratia impleri non possunt. *Linguam nullus hominum domare potest;* Jacob. 3, ỷ 8. — « Scivi quoniam aliter *non possem esse continens, nisi Deus det;* et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset *hoc donum;* » Sap. 8, ỷ 21. — *Continentiam jubes,* inquit S. August., Deum alloquens, *da quod jubes, et jube quod vis;* Confess. l. 10, c. 29.

266. — *Quæritur* 2° an homo lapsus possit, sine gratia, *Deus super omnia effective diligere?*

Resp. negative, et ita saltem probabilius, juxta S. Th., Scotum, Bellarm., Suarez, etc. Scilicet, amor Dei ut auctoris naturæ, est vel *super omnia* seu *appretiative summus,* vel *non super omnia :* si prius, Deus cuilibet rei anteponitur; si posterius, abstrahitur ab omni comparatione Dei cum creaturis, et Deus nondum quidem omni creaturæ præponitur, sed nec etiam ulli postponitur creaturæ.

Idem uterque Dei amor est *effectivus,* vel *affectivus :* si prius, homo Deum diligit per *realem adimpletionem* omnium præceptorum legis naturalis : si posterius, homo vere et sincere *disponitur* ad præcepta legis naturalis adimplenda. Porro hic asseritur hominem lapsum ne in uno quidem actu posse Deum effective, nec affective diligere super omnia.

1. Non *effective.* Namque, ex dictis, n. 262, 265, homo lapsus non potest, sine speciali gratia, vitare omnia peccata mortalia, nec adimplere omnia præcepta legis naturalis; ergo eo ipso non potest Deum diligere effective super omnia.

2. Nec *affective.* Homo enim non potest id *efficaciter* et *naturaliter* velle, quod non potest naturaliter assequi; S. Th. 1. 2, q. 13, a. 5 : porro, ex dictis, homo lapsus non potest suis viribus adimplere omnia præcepta legis naturalis; ergo nec etiam potest vere et sincere, ac ideo effica-

citer et naturaliter *disponi* ad illam totius legis naturalis adimpletionem. Unde ex impotentia effectiva oritur impotentia affectiva seu propositi absoluti, et ex se efficacis. S. Th. 1. 2, q. 109, a. 3.

PUNCTUM III

De iis, quibus conceditur auxilium ad resistendum omnibus tentationibus gravibus.

267. — Quæstio est, scilicet, an auxilium ex dictis, n. 261, 262, 265, necessarium ad resistendum *omnibus tentationibus gravibus*, et ad vitanda *omnia peccata mortalia*, de *facto* detur *solis fidelibus*, vel etiam *solis justificatis*. Porro

1° Valde probabile est, ait Suarez, *illud proxime sufficiens auxilium de facto* seu ex lege Dei non dari nisi *solis credentibus* seu *fidelibus*.

Nam 1. ex S. Paulo, n. 262, non possumus superare concupiscentiam, nisi *per gratiam Christi;* et addit : « Conclusit Scriptura *omnia sub peccato esse*, ut *promissio ex fide* Jesu Christi daretur credentibus; » Galat. 3, ỳ 22 ; ergo peccatum vitare non possumus, nisi cum gratia quæ fit per fidem Jesu Christi.

2. Similiter Patres Africani et Concilia contra Pelagium habita, docent « liberum arbitrium a *concupiscentiarum dominatione* liberari per gratiam, *qua christiani efficimur* : » atqui prima gratia, qua christiani efficimur, est fides, ex dicendis. Juxta Conc. Araus. c. 4, « *gratia* auxilians ad *cavenda peccata*, *incipit* a vocatione *ad fidem.* » Idem affirmant SS. August., Prosper, etc. Et vero, motiva fidei sunt fortiora ad continendum hominem a peccatis. Unde dicitur : *Cui resistite fortes in fide*, I Petr. 5, ỳ 9. Insuper sine fide, oratio conveniens non fit ad impetrandum a Deo illud auxilium.

2° *Probabilius est* etiam *de facto* illud auxilium *proxime* sufficiens, non dari nisi *solis justificatis.*

Namque 1. hoc insinuare videtur Scriptura dum dicit, nos superare concupiscentiam, et a peccato servari, per *gratiam Dei in Christo Jesu*; Rom. 7, ỳ 25 : per *gratiam*

autem simpliciter intelligitur ea, quæ per justificationem hominis consummatur.

2. « *Ad non peccandum*, necesse est ut juvemur per gratiam, qua *justificamur* ab iniquitate, et salvamur ab *infirmitate*, » ait S. August., *Epist.* 95. — Conc. Milevit. definivit « gratiam Dei, *in qua justificamur*, dari non solum in remissionem peccatorum, sed etiam *in adjutorium, ut non committantur*; » can. 3, 4, 5. — Juxta Conc. Arausic., « arbitrium voluntatis in primo homine *infirmatum*, nisi per gratiam Baptismi non potest reparari; » can. 13. Tandem sic rem expresse docet S. Th.: « *Antequam* hominis ratio reparetur per *gratiam justificantem*, non potest diu manere absque peccato mortali; » 1. 2, q. 109, a. 8. Ita etiam Suarez.

Aliunde, qui non est in firmo proposito nunquam peccandi mortaliter, non diu permanebit absque peccato mortali, ex dictis n. 262: porro illud propositum ordinarie in nonnisi justificatis reperitur; ergo hi soli habent gratiam proxime sufficientem, qua longo tempore præservantur a peccato mortali.

268. — Hinc fidelis in peccato jacens, *multo frequentius* et *facilius* quam infidelis, potest habere auxilium necessarium ad vincendam gravem tentationem in particulari.

Proinde aliquo longiori tempore ac infidelis, potest sine novo peccato perseverare, si recte velit sua fide uti, tum considerando altiores ex fide rationes ad non peccandum, tum orando et petendo auxilium per fidem. Hoc autem tempus in se breve est aut mediocre; multo longius tempore, quo perseverare potest infidelis; breve tandem relative ad tempus, quo omnia peccata mortalia vitare potest justus. Ipsemet enim justus non potest diu perseverare sine peccato cum solis ordinariis auxiliis gratiæ, ut infra dicetur, n. 329.

269. — *Quæritur* an fideles possint, saltem cum auxilio indebito, sed *in se naturali*, resistere *unicuique tentationi* *gravi?*

Resp. affirmative. SS. Patres enim numquam requirunt auxilium *ex fide* ad vicendas tentationes *in particulari*, sed solum *collective* sumptas. Imo credi potest Deum juvare interdum infidelem ad aliquam gravem tentationem vincendam, tum ut infidelis sit minus indispositus ad fidem, tum ob aliquod bonum commune Ecclesiæ, v. g., quando convertit voluntatem Assueri in favorem Esther et filiorum Israel. An autem et quomodo detur gratia, ut ad fidem et justificationem perveniamus, nunc dicendum est.

NUMERUS II

De necessitate Gratiæ ad opera supernaturalia, ante justificationem.

270. — Hic agitur de gratia *actuali* ordinis vere supernaturalis, cujus notionem et species exposuimus, n. 97, 98, et essentiam ubi de gratiæ supernaturalitate, n. 179 et seq. Nunc igitur inquirendum est, 1° an homo lapsus possit, sine actuali gratia ordinis supernaturalis, aliquid agere ad justificationem vere disponens; 2° an saltem cum illa actuali gratia possit et debeat se disponere; 3° per quosnam actus; 4° quomodo hujusmodi actus ad justificationem concurrant.

PROPOSITIO PRIMA

271. — *Homo lapsus, sine excitante et adjuvante gratia ordinis supernaturalis, nihil agere potest vere illum disponens ad justificationem.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Nemo *potest* venire *ad me*, nisi Pater *traxerit* eum... *sine me nihil potestis facere;* » Joan. 6, ℣ 44; 15, ℣ 5. — « *Deus* est qui operatur in vobis et *velle* et *perficere;* » Philipp. 2, ℣ 13. — « *Converte nos*, Domine, ad te, et convertemur; » Thren. c. 5, ℣ 21. Unde sic : in illis textibus agitur de motu ad Christum, de actione, volitione, conversione ad Deum, qualem Deus exspectat ex parte hominis lapsi, seu in ordine ad justificationem supernaturalem : porro, ex iisdem textibus, hujusmodi motus, actio, volitio, conversio nec incipi, nec perfici potest absque gratia Christi, sine speciali auxilio Dei; ergo, sine gratia

excitante et adjuvante ordinis supernaturalis, nihil agere potest homo lapsus in ordine ad justificationem.

2° *Traditione*. Semipelagiani asserebant hominem, sine gratia *excitante* ordinis supernaturalis, posse aliquid agere in ordine ad salutem, ideoque vocationem et initium salutis esse non a Deo, sed ab homine, n. 121 : porro in hoc ut hæretici damnati sunt a Conc. Arausic. II, can. 3, 4, 6, 7; ergo, sine gratia excitante ordinis supernaturalis, nihil agere potest homo lapsus in ordine ad justificationem.

Pelagiani autem contendebant gratiam non esse requisitam, nisi ut *facilius perficiatur* actus ad salutem, n. 116 : porro in hoc ut hæretici damnati sunt a Conc. Araus. II, can. 7, et Trid. n. 23, 24; ergo, sine gratia non solum excitante, sed et *adjuvante* ordinis supernaturalis, nihil agere potest homo in ordine ad justificationem.

Utrumque sic definivit Conc. Trid., n. 25 : « Si quis dixerit *sine præveniente* Spiritus Sancti *inspiratione*, atque ejus *adjutorio*, hominem *credere*, *sperare*, *diligere*, aut *pœnitere posse sicut oportet*, ut ei *justificationis gratia conferatur* : anathema sit. »

3° *Ration. theol.* Ex dictis, n. 179, 181, status gratiæ seu justificatio per gratiam, excedit *exigentias* et *vires* naturæ angelicæ et humanæ ante lapsum, et a fortiori post lapsum : atqui omnis dispositio debet esse proportionata formæ, ad quam disponit; ergo quælibet vera dispositio ad justificationem excedit exigentias et vires hominis lapsi.

Et vero, omnis dispositio in rigore significat veram causam et positivam rationem, ob quam justificatio confertur, quatenus includit aliquam vim *impetrandi* seu movendi Deum ad illud donum concedendum : atqui repugnat rem mere naturalem esse causam rei omnino supernaturalis; ergo nulla esse potest vera dispositio ad justificationem, sine præveniente et adjuvante gratia ordinis supernaturalis.

Attamen homo lapsus potest, per opera naturalia, ponere gratiæ et divinæ vocationi impedimentum, si sint mala, impedimentum autem removere, si bona sint, ut infra dicetur, n. 294.

PROPOSITIO II

272. — *Homo lapsus, cum gratia excitante et adjuvante, potest et debet ad justificationem se disponere.* De fide est.

Prob. 1° *Scrip.* « *Si* impius *egerit pœnitentiam, vita vivet;* Ezech. 18, ỳ 21. — *Convertimini,* et *convertar* ad vos; Zach. 1, ỳ 3. — « *Si quis aperuerit mihi* januam, *intrabo* ad illum; » Apoc. 3, ỳ 20. — « *Si quis diligit me,* et Pater meus *diliget* eum, et ad eum veniemus, et *mansionem apud eum faciemus;* » Joan. 14, ỳ 23. Porro, in his et similibus locis, remissio peccatorum, et conversio Dei ad hominem per gratiam justificationis, non promittitur, nec offertur, nisi sub conditione quorumdam actuum ex parte hominis; ergo homo lapsus et potest et debet sese disponere ad justificationem.

2° *Ex Conc. Trid.*, quod dicit anathema eis, qui asserunt « nulla ex parte necesse esse impium suæ *voluntatis motu præparari* atque *disponi* ad justificationis gratiam consequendam; » n. 31. — « Qui te fecit sine te, ait S. August., *non te justificat sine te. Fecit nescientem, justificat volentem;* » Serm. 15, *de Verb. Apost.*

3° *Ratione theol.* Liberum arbitrium non fuit extinctum in homine lapso; imo potest per se aliquod bonum naturale perficere; ergo, præveniente et adjuvante gratia non repugnat illud supernaturaliter operari. Sed etiam, in unoquoque susceptibili, requiritur dispositio accommodata conditioni et naturæ ejus; ergo valde consentaneum fuit gratiam in homine jam utente libero arbitrio non infundi, nisi homo se disponat per actum aliquem liberum, quo talem gratiam acceptat.

273. — Hinc actus, quo homo lapsus ad justificationem se disponit, *non* est *solius gratiæ*, sed *etiam liberi arbitrii.* De fide est.

Etenim 1., in textibus jam allatis, Scriptura postulat illam dispositionem tanquam ab hominis arbitrio pendentem. 2. Conc. Trid. definivit « *liberum* hominis *arbitrium* a Deo motum et excitatum, *cooperari,* assentiendo Deo exci-

tanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam *se disponit* ac *præparat ;* atque *posse dissentire si velit*, nec *mere passive se habere ;* » n, 26. « Itaque, ait S. August., nec gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia. » *Hypognost.*, l. 3, c. 11.

Et vero, peccatum libere ab homine committitur; ergo, ut ei remittatur, merito libera voluntatis mutatio atque conversio postulatur, ut per eam aliquo modo, inquantum potest, divinæ justitiæ satisfacere conetur.

Insuper homo, dum peccati remissionem obtinet, ad divinam amicitiam admittitur, ex dicendis : porro inter eos, qui libero arbitrio uti possunt, amicitia per spontaneam ac liberam voluntatem contrahi et acceptari solet; ergo, etc.

Proinde unio supernaturalis cum Deo, non perficitur a Deo *solo agente* in nobis *sine nobis*, ut asserunt Falsi-Mystici, n. 155.

274. — *Quæritur* an requiratur *prævia dispositio in infantibus* ad justificationem?

Resp. negative, et talis est communis sensus Theologorum et Ecclesiæ. Namque, ex dictis, n. 273, dispositio ad justificationem est opus gratiæ simul ac liberi arbitrii : atqui infantes nondum libertate utuntur; ergo dispositionis sunt incapaces. Aliunde « convenit ut in illis, qui *non per propriam voluntatem culpam incurrunt*, et *usum voluntatis non habent*, non exigatur ex parte eorum aliqua præparatio, sicut de parvulis in Baptismo patet. » S. Th. in 4, Dist. 17, q, 1, a. 2.

PROPOSITIO III

275. — *Actus ad justificationem disponentes, sunt fides, timor Dei, spes in Deum, amor Dei, odium peccati, propositum novæ vitæ, votum Baptismi vel Pœnitentiæ.*

De fide est ex declaratione et definitione Conc. Trid., n. 12, 25.

1° *Fides*, qua, scilicet, quis excitatus divina gratia et adjutus, *credit* quæ *divinitus revelata*, et *promissa* sunt.

Nam in Scriptura dicitur : « *Sine fide impossibile* est *placere Deo. Credere* enim oportet accedentem ad Deum *quia est*, et inquirentibus se *remunerator sit*; » Hebr. 11, ℣ 6. — « *Prædicate Evangelium* omni creaturæ. Qui *crediderit* et baptizatus fuerit, *salvus* erit; » Marc. 16, ℣ 16. — Eunucho Baptismum postulanti respondet Philippus : *Si credis ex toto corde, licet* (te Baptizari). Reponit Eunuchus : *Credo Filium Dei esse Jesum Christum;* Act, 8, ℣ 37. Porro fides, de qua in illis locis agitur, dubio procul est ad justificationem necessaria, atque consistit in assensu supernaturali veritatibus revelatis; ergo, etc.

Idem declarat tum Conc. Trid., n. 12, tum Conc. Vaticanum, sess. 3, cap. 3, ubi dicitur, « fidem, *quæ humanæ salutis initium est*, virtutem esse *supernaturalem*, qua, *Dei aspirante et adjuvante gratia*, ab eo revelata vera esse credimus propter auctoritatem ipsius Dei revelantis; atque *actum illius fidei esse opus ad salutem pertinens*. » Et vero, ut voluntas Deo supernaturaliter conjungatur per gratiam justificantem, in primis necesse est Deum jam eodem modo per intellectum seu per fidem cognosci : ignoti enim nulla cupido.

2° *Timor* Dei. Etenim, « qui sine *timore* est, non poterit *justificari;* timor Domini *expellit peccatum;* » Eccli. 1, ℣ 28. Revera timor pœnæ a Deo infligendæ, de se multum confert ad vitandum peccatum. Unde « *rarissime* accedit, imo vero *nunquam*, ut quispiam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo modo *Dei timore* perculsus, » ait S. August. *de Catech. rudib.* c. 5.

3° *Spes* in Deum. Quippe « qui *sperat* in Domino, *sanabitur* ; » Prov. 28, ℣ 25. — « *Quoniam* in me *speravit, liberabo* eum; » Ps, 90, ℣ 14. Et vero, sine spe divini auxilii, veniæ atque præmii, non potest homo conari sicut oportet, ut se ad justificationem disponat; ergo necesse est ut firmiter speret auxilium, veniam et præmium ex parte Dei non defecturum, si per seipsum non steterit; n. 17, 48.

4° *Amor* Dei. Nam, « *qui diligit me, diligetur* a Patre meo; » Joan. 14, ℣ 21. — « Remittuntur ei *peccata* multa, *quoniam dilexit* multum : » Luc, 7, ℣ 47. Et vero, per

justificationem, homo admittitur ad amicitiam divinam : porro amor est per se causa amoris; ergo dilectio erga Deum per se maxime disponit ad amicitiam Dei recuperandam. Unde S. August, ait : « *A fide* domus Dei *credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur;* » Serm. 22.

5° *Odium* seu detestatio peccati. « Nisi *pœnitentiam* habueritis, omnes similiter *peritibis;* » Luc. 13, ℣ 3. Deum enim condonare nequit peccatum ei, qui adhuc retinet voluntatem illius peccati; nec ideo cum tali inire amicitiam per justificationem.

6° *Propositum novæ vitæ.* Etenim « qui dicit se *nosse* eum (Christum), et *mandata* ejus non custodit, mendax est; » I Joan. 2, ℣ 4. Et quidem non est efficax Dei amor, nec odium peccati absolutum, sine proposito servandi mandata Dei per novam vitam.

7° *Votum Baptismi* in non baptizatis, vel *Sacramenti Pœnitentiæ* in baptizatis. Tale votum esse de necessitate medii, declarat Conc. Trid., n. 10, 12, et demonstratur ubi agitur de illis sacramentis. Itaque illud votum non requiritur ad justificationem, nisi a tempore institutionis illorum sacramentorum; dum cæteri disponentes actus in omni tempore necessarii fuere, ut ex eorum natura, et ex probationibus factis patet. Præfata thesis iterum evolvetur in Tract. *de Bapt.*. n. 24, et *de Pœnit.*, n. 65.

276. — Hinc 1° *Fides* ad justificationem necessaria, non consistit *in fiducia, qua peccator certo confidit peccata omnia sibi per Christum esse de facto remissa;* nec talis fiducia ad justificationem *requiritur.*

Hoc contra Lutherum, n. 134, definivit. Conc. Trid., n. 34, 35. Et vero, non solum talis fiducia in re justificationis est inaudita, sed evidenter supponit remissionem peccatorum et justificationem, ac proinde ad hanc consequendam nihil conferre potest. Cæterum, ex dicendis, nemini, sine speciali revelatione seu miraculo, inesse potest vera certitudo de remissione peccatorum sibi per Christum concessa.

277. — Hinc 2° Fides ad justificationem requisita, ad hanc concurrit per modum *veræ et propriæ dispositionis*, non autem per modum *instrumenti*, sicut fiducia a Luthero excogitata, n. 134.

Namque, ut vidimus, n. 275, fides de qua agitur, est actus virtutis theologicæ, et ideo vere et interne ad Deum supernaturaliter movens : porro hæc sufficiunt ad dispositionem proprie dictam; Conc. Trid., n. 12, 31.

278. — Hinc 3° *Fides* non est *prima gratia* ad justificationem. De fide est.

Ita contra Semipelagianos, n. 121. Fides enim præsupponit gratiam excitantem, seu Spiritus Sancti illuminationem, qua Deus tangit cor hominis ad fidem ex auditu concipiendam, n. 11, 12, 27.

279. — Hinc 4° *Fides sola* non *sufficit* ad justificationem. De fide est.

Hoc contra Lutherum, n. 134, definivit Conc. Trid., n. 34; et patet ex diversis actibus ad justitiam requisitis. Aliunde, fides, de qua loquitur Lutherus, est inaudita fiducia per modum instrumenti justificans, et prorsus rejicienda, ex probatis.

Itaque Apostolus non dicit « justificari hominem *per fidem*, » nisi eo quod fides sit humanæ salutis initium, fundamentum, radix omnis justificationis, ut ait Conc. Trid., n. 14. Cum enim ad unum effectum plures concurrunt causæ, modo uni, modo alteri tribuitur effectus, nec propterea unaquæque sine aliis sufficere dicitur.

Similiter cum Apostolus docet « justificari hominem *per fidem sine operibus* » hoc est, sine operibus legis Mosaicæ, vel naturalibus, ut ex contextu patet. Dicit enim : « In Christo Jesu neque *circumcisio* aliquid valet, neque *præputium*, sed *fides* quæ *per charitatem operatur;* » Galat. 5, ℣ 6.

280. — Hinc 5° *omnis gratia interior voluntatis* non consistit *in charitate*. Certum est.

Ita contra Baium et Jansenium, n. 140, 143. Patet ex di-

versis actibus ad justificationem disponentibus, et ex damnatione propositionis Baii, n. 140; atque ideo contraria sententia est erronea.

281. — *Quæritur* 1° an actus ad justitiam disponentes, *cum successione temporis producantur?*

Resp. 1. Ordinarie et quasi ex lege communi, fiunt cum temporis successione, ut indicat Conc. Trid., n. 11, 12, 13. Divina enim motio ordinarie accommodatur conditioni hominis, quæ est indigere tempore ad recogitandum et deliberandum in rebus arduis et difficilibus, sicut sunt res fidei. 2. Potest tamen Deus totam hominis justificationem a prima vocatione usque ad infusionem gratiæ habitualis, in uno instanti consummare, ut in conversione S. Pauli. S. Th. 1. 2, q. 113, a. 10.

282. — *Quæritur* 2° an, ad justitiam consequendam, necesse sit *quemque* illorum actuum *distincte et specialiter produci?*

Resp. 1. Quisque illorum actuum per se necessarius est, si memoriæ objectum ejus occurrat, alioquin jam vere et proprie ad justificationem non requireretur. Ita Suarez de *Grat.* lib. 8, c. 20.

2. Casu autem et *per accidens* fieri potest, ut aliquis illorum implicite sit contentus in aliis, et nihilominus sufficiat. Sic, per accidens, sufficere potest solus amor formalis Dei super omnia, virtute includens odium peccati. Similiter odium peccati, si sit super omnia et ex charitate, sufficere potest, sine formali actu amoris. Idem dicendum est de proposito servandi mandata seu novæ vitæ, implicite contento in efficaci amore Dei, vel in odio peccati absoluto. Ita S. Th., Suarez, Soto et alii, contra quosdam.

Tandem multo certius est sufficere votum Baptismi vel Pœnitentiæ implicite contentum in generali proposito servandi mandata Dei, quando Baptismus ignoratur, vel non actu cogitatur, nec obligatio confitendi practice memoriæ occurrit.

Attamen, ad justificationem per Sacramentum Pœniten-

tiæ consequendam, *formalis* actus *contritionis* requiritur, juxta communem Theologorum sententiam; et controvertitur an sufficiat *virtuale* propositum *non peccandi de cætero*. Vide Tract. *de Pœnit.* n. 182, 183.

283. — *Quæritur* 3° an, præter præfatas dispositiones a Conc. Trid. enumeratas, *aliæ* sint?

Resp. 1. Ad dispositionem *ultimam*, seu quam consequitur justificatio, ex statim dicendis, quatuor *tantum* requiruntur, nempe, *credere*, *sperare*, *diligere*, *pœnitere*, ex Conc. Trid. n. 25. Si enim alia essent necessaria, certe Concilium non omitteret. Revera illi quatuor actus per se habent ordinem ad gratiam sanctificantem, cujus sunt fundamenta seu inchoationes quædam; et ideo per se et simpliciter necessarii sunt. Sub dilectione autem et pœnitentia, propositum novæ vitæ subintelligendum est, ut explicat. Conc. Trid. n. 12.

2. Dispositiones *remotæ* possunt fortasse multiplicari. Concilium vero numeravit illas, quæ magis directe et frequentius ad ultimam dispositionem conducunt. Unde alii actus moralium virtutum dici possunt dispositiones *remotissimæ*, ut oratio, humilitas, eleemosyna, etc.

PROPOSITIO IV

284. — *Actus ad justificationem disponentes, ad illam præparant proxime, vel remote tantum.* Certum est.

Scilicet, dispositio ad justitiam duplex est, *proxima* seu *perfecta*, *ultima*; et *remota* seu *imperfecta*, non *ultima*. Prior dicitur ea, quæ ita conjuncta est cum gratia justificante, ut simul ac existit, gratia habitualis infundatur. Posterior autem tempore justitiam antecedit, atque non immediate illi conjungitur, sed mediante alia dispositione, vel aliqua additione.

Cum vero illa diversitas proveniat ex diversitate perfectionis in ipsis actibus, dispositio remota dicitur *imperfecta*, proxima autem *perfecta*; et similiter proxima vocatur *ultima*, quia ultra illam non requiritur major; remota vero, contraria ratione, *non ultima* vocatur. Præterea dispositio

est *proxima simpliciter* seu extra sacramentum; vel *secundum quid* tantum, seu cum reali susceptione sacramenti Baptismi aut Pœnitentiæ. His positis, probatur propositio.

1° Datur actus *proxime disponens*, sine sacramento. 1. Dicitur enim; « *Convertimini* ad me, et *salvi eritis;* » Isa. 45. ℣ 21. — « *Si* quis *diligit* me, *diligetur* a Patre meo: » Joan. 14, ℣ 21. — *Ego diligentes me, diligo;* Prov. 8, ℣ 17. Porro, in his verbis, nihil aliud exigitur ab homine, nisi ut perfecte se disponat; atque huic dispositioni promittitur remissio peccati tanquam infallibiliter et statim tribuenda; ergo adest dispositio proxima simpliciter.

2. Conc. Trid. describit dispositionem ad justitiam *sufficientem* cum voto tantum sacramenti, et addit: « *Hanc dispositionem* seu præparationem *justificatio* ipsa *consequitur*, » n. 12, 13. Insuper, sess. 14, c. 4, declararat « *contritionem charitate perfectam, hominem Deo reconciliare*, priusquam sacramentum Pœnitentiæ suscipiatur; » ergo adest dispositio proxima simpliciter.

2° Datur actus *remote* solum disponens, 1. *extra sacramentum*. Namque, ex Conc. Trid., ut obtineatur justitia, requiritur fides, spes, amor, pœnitentia; ergo fides, vel spes, aut contritio imperfecta per se non sufficiunt, ut conferatur gratia justificans. 2. *Cum sacramento*. Ex dicendis enim in Tract. *de Bapt.*, et *de Pœnit.*, fides, timor, spes, attritio imperfecta non sufficiunt etiam cum reali susceptione sacramenti, ad justificationem consequendam, sed insuper requiritur dilectio quædam *initialis*, n. 12, 25; ergo illi actus sunt dispositiones tantum *remotæ*.

285. — Hinc 1° dispositio *per se proxima, perfecta* et *ultima* ad justificationem, est *contritio* seu *charitas perfecta*.

Patet ex jam dictis. Aliunde esse non potest in homine dispositio ex se perfectior et ideo efficacior charitate perfecta. Hæc autem dispositio semper præsupponit aut includit *fidem, spem* et *pœnitentiam;* n. 12, 275, 286.

Dispositio *proxima* justificationem obtinet non necessario quidem, sed infallibiliter, per modum *impetrationis*, ut ait

Conc. Trid., sess. 14, c. 4; quatenus, scilicet determinat, et quasi movet et inclinat Deum ad concedendam gratiam habitualem homini sic perfecte disposito. Et in hoc sensu verum est effatum : *Facienti quod in se est* (ad dispositionem proximam), *Deus non denegat gratiam* (justificantem.) S. Th. 1. 2, q. 112, a. 3.

286. — Hinc 2º dispositio *remota* ad justitiam, est causa *proxima* subsequentis dispositionis.

Fides enim non datur nisi ad timorem, timor ad spem, spes ad dilectionem et pœnitentiam, dilectio ad justificationem; ergo, qui assentit gratiæ fidei, impetrat auxilium ad timorem, et sic de aliis. Et in hoc sensu etiam verum est effatum : *Facienti quod in se est* (ad unam dispositionem) *Deus non denegat gratiam* actualem (ad dispositionem subsequentem), ut ex sequentibus constabit.

§ II

De gratiæ concessione homini lapso ad justificationem consequendam.

287. — *Quæritur*, scilicet, an pro iis, qui *de facto* non perveniunt ad justificationem, præsto sint media et auxilia necessaria, ut justitiam consequantur?

Resp. Deus potest vel *dare*, vel solum *offerre* illa media. *Dat* quidem, quando revera homo *vocatur* et excitatur ad fidem aut pœnitentiam, vel aliquo modo prævenitur simili auxilio in ipso recepto.

Offert autem, quando ex se paratus est ad vocandum et excitandum, et tamen de facto non vocat, eo quod homo impedimentum vocationi ponit. In utroque casu patet per hominem stare quominus vocetur. His intellectis, sit

PROPOSITIO

288. — *Deus, quantum est de se, omnibus qui non justificantur, dat, vel offert auxilia necessaria ad justificationem consequendam*. Ita communiter.

Prob. 1º *Script.* S. Paulus obsecrat orari pro *omnibus* hominibus, et subdit : « Hoc enim bonum est acceptum

coram Salvatore nostro Deo, *qui omnes homines vult salvos fieri*, et *ad agnitionem veritatis venire;* » I Tim. 2, ℣ 4. Porro constat mentem S. Pauli esse, ut oremus pro *omnibus* hominibus simpliciter et sine limitatione ; ergo cum eadem universalitate loquitur, quando pro ratione subjungit, Deum velle *omnes* salvos fieri; atque verba, *ad agnitionem veritatis*, etc., ostendunt in illo textu agi etiam de infidelibus. Atqui illa voluntas Dei vera et sincera non esset, nisi omnibus saltem offerret auxilium ad justitiam consequendam necessarium ; ergo, etc.

Insuper dicitur : « *Sicut in Adam omnes* moriuntur, *ita* et in Christo *omnes vivificabuntur ;* » I Cor. 15, ℣ 22. — « Sicut per unius delictum in *omnes homines in condemnationem*, sic et per unius justitiam in *omnes homines in justificationem ;* » Rom. 5, ℣ 18 : atqui per Adam omnes omnino homines lapsi sunt, ut vidimus, n. 217 ; ergo et omnes omnino per Christum possunt justificari, saltem quantum est ex parte Dei ; ac proinde omnibus parata sunt propter Christum auxilia necessaria, ut fiant justi. Vide Tract. *de Incarn.*, n. 198, 199.

2° *Ex SS. Patribus*. Præfatos Scripturæ textus in sensu jam exposito intelligunt SS. Damasc., Chrys., Athan., Ambr., Iren., Hieron., August., et S. Th. 1 p., q. 19, a. 6. Sed etiam : « Deo placuit efficacem gratiam multis tribuere, et *sufficientem nemini denegare*, » ait S. Prosper, *de vocat. Gent.* c. 10, 25, 31. Ita etiam communiter Theologi.

3° *Congruentiis*. 1. Valde consentaneum est divinæ bonitati, nullum a participatione suæ gratiæ expelli, et neminem deseri, nisi prius, deseratur a seipso. 2. Divinam misericordiam maxime etiam decet neminem a participatione redemptionis et a remissione peccati ex parte sua excludi. 3. Valde quoque convenit providentiæ generali, et quasi legali et distributivæ justitiæ, a participatione præmii generaliter omnibus propositi, et medicinæ omnibus sufficientis et superabundantis, neminem ex se repelli, sed potius eam omnibus sufficienter præparari.

289. — Hinc 1° *omnibus adultis* Deus *dat*, vel *offert* auxilia vere et proprie *sufficientia*, ut justificationem consequantur. Certum est, et fidei proximum.

Nisi enim unicuique saltem offerret auxilia, quæ veram et expeditam darent potestatem, ut quisque adultus proxime, vel remote sese disponat ad justitiam, jam Deus vere et sufficienter non vellet salutem omnium adultorum; nec vere et sufficienter pro omnibus mortuus esset Christus; nec omnes adulti, qui non justificantur, in causa essent, sicut sæpius declarat Scriptura. Aliunde contrarium damnatum est in quinta Jansenii propositione, n. 146.

290. — Hinc 2° Deus aliquo modo præparat media ad justificationem vere sufficientia *infantibus*, etiam *morientibus* antequam *ulla humana diligentia* Baptismus illis conferri potuerit.

Ita fere omnes Theologi contra Vasquez, qui hoc negat pro illis solum infantibus, quibus conferri non potuerit Baptismus. Et vero, nisi Deus sufficienter providerit saluti illorum etiam infantium, tunc Deus non vult salvare omnes omnino homines, nec pro omnibus mortuus est Christus, sicut et pro omnibus peccavit Adam : hoc autem est contra communem sensum Theologorum et Ecclesiæ. « Nunquid *parvuli* homines non sunt, ut non pertineat ad eos quod dictum est, *vult omnes homines salvos fieri?* » S. August. *contra Jul.* l. 4. Idem affirmat S. Prosper, *de vocat Gent.* l. 2, c. 23. Vide Tract. *de Incarn.*, n. 199.

§ III

De modo, quo auxilium necessarium ad justitiam consequendam omnibus datur, vel offertur.

291. — Hic agitur 1° de gratia remote, vel proxime excitante ad *pœnitentiam*, pro peccatoribus jam credentibus; 2° de gratia remote, vel proxime excitante ad *fidem* pro infidelibus; 3° de mediis proxime, vel remote sufficientibus ad *realem Baptismi susceptionem*, pro infantibus sine illo sacramento morientibus, non obstante quacunque diligentia parentum.

NUMERUS PRIMUS.

De modo, quo fidelibus peccatoribus datur, vel offertur Gratia excitans ad pœnitentiam.

PROPOSITIO.

292. — *Fidelibus peccatoribus gratia ad pœnitentiam excitans non conceditur omnibus horis, sed solum tempore opportuno.* Ita communiter.

1° *Non omnibus horis* et *momentis. Prob.* 1. *Script.* « *Hodie si vocem ejus audieritis,* nolite obdurare corda vestra; » Ps. 94, ỳ 8 : porro ille modus loquendi sub conditione, indicat vocem Domini non semper sonare. Idem declarant verba : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis;* II Cor. 6, ỳ 2.

2. *Ex natura gratiæ excitantis.* Nam vocatio, pulsus, tactus, excitatio illa Dei, est actio nostra, quamvis non libera; consistit enim in bona cogitatione, in desiderio repente ac divinitus immisso, n. 97 : porro talis gratia continue excitans nec est debita, nec humano operandi modo accommodata, cum vix sine miraculo exercere possemus illos actus gratiæ excitantis, et simul rebus humanis attendere. Et revera non sentimus assidue nos illuminari a Deo, immitti bona desideria ad pœnitentiam excitantia. Aliunde, Deo non convenit actu excitare, deficiente opportunitate ex parte hominis.

2° *Sed solum in tempore opportuno.* Etenim, ex dictis, Deus de facto non semper *dat* gratiam, et aliunde semper de se paratus est ad illam concedendam; ergo illam dat saltem in tempore opportuno, juxta illud : *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione;* Ps. 9, ỳ 10. Unde verba : *Ecce sto ad ostium, et pulso*, Apoc. 3, ỳ 20, significant Deum semper ad ostium cordis stare, paratumque esse ad pulsandum; pulsare vero temporibus opportunis, ut homo prudens facere solet.

293. — *Quæritur quænam sint illa tempora opportuna?*
Resp. 1° Deus, *ex lege ordinaria* et *communi*, dat excita-

tionem internam *occasione excitationis cujusdam externæ*, v. g., prædicationis verbi divini, lectionis Scripturæ, miraculi, etc.

Namque Deus vel Christus hujusmodi externa media ordinavit velut ordinaria organa excitationis interioris, ut patet ex verbis : « *Docete* omnes gentes, qui *crediderit*, *salvus* erit : *fides* ex *auditu*; » ergo, posita illa exteriori excitatione, Deus non denegat internæ gratiæ influxum.

Et vero, eo ipso quod exterius quis sufficienter vocatus fuerit, Scriptura docet graviter peccasse, resistendo vocationi : *Si opera non fecissem in eis, peccatum non haberent;* Joan. 15, ℣ 24. *Nunquid non audierunt?* Rom. 10, ℣ 18; ergo, ex lege ordinaria et communi, interior excitatio exteriori alligata est. Revera ea nativa est conditio hominis, ut per sensibilia in intelligibilia deducatur.

Præcipua autem excitantia externa sunt, pro *auditu*, prædicatio verbi divini, in qua nititur principale excitans externum; confessio, directio, confabulationes piæ, narratio bonorum exemplorum, cantus religiosi, musica animæ devotæ sensus fideliter tradens, atque spirans, etc. Pro *visu*, cæremoniæ sacræ, lectiones piæ, et in primis Scripturæ sacræ, miracula, bona exempla, consideratio cujusdam miseriæ, naturæ spectaculum, etc. Pro *tactu*, dolores et infirmitates corporis; hic addi possunt infortunia, paupertas, mors propinquorum aut amicorum, mentis ærumnæ, etc.

2° Deus excitare potest etiam *mere interius*, ut patet. Cum vero ille modus sit peculiaris et extraordinarius atque omnino pendens a Dei arbitrio, nulla certa regula statui potest. Attamen tria probabiliter dicere possumus, juxta Suarez. 1. Interna excitatio est homini peccatori in articulo mortis absolute necessaria; ergo valde credibile est dari in illo tempore, etsi deficiat excitatio exterior : Deus enim in rebus adeo necessariis non deest.

2. Similiter credibile est in omni opportunitate bene ac pie operandi, non deesse homini illud auxilium : « Deus ita condidit hominem liberi arbitrii, ut suam *per singula opera* gratiam non denegaret, » ait S. Hieron. *Epist.* 138.

3. Deus sæpe respicit ad opera per priorem gratiam facta : scilicet, frequentius per internas inspirationes ad pœnitentiam excitat illum, qui vel orat, vel facit eleemosynam, vel condonat injurias, vel alia similia per gratiam operatur ; et in hoc sensu dicitur eleemosynam redimere peccata. Non autem necesse est interiorem excitationem ad pœnitentiam conferri statim ac oratio aut eleemosyna patratur.

3° Tandem, ex *diuturna peccandi* et *gratiæ resistendi consuetudine* adeo augeri potest difficultas, ut auxilium commune, licet in rigore sufficiat, tamen moralem non auferat difficultatem, quæ interdum vocatur *impossibilitas moralis*. Quia vero in illa difficultate vel impossibilitate sæpe a Deo derelinquuntur hujusmodi peccatores, ideo in Scriptura dicuntur *excæcati, obdurati, derelicti*.

NUMERUS II

De modo, quo infidelibus Gratia excitans ad fidem, datur vel offertur.

294. — Infideles sunt, vel qui fidem habuerunt et amiserunt, ut apostatæ, hæretici; vel qui audierunt sufficienter verbum Dei, et non crediderunt; vel qui illud verbum non audierunt.

I. *Qui fidem habuerunt*, eam non amiserunt nisi per peccatum contra fidem, et ideo sua culpa. Credendum est tamen illos iterum excitationem internam ad fidem recipere temporibus opportunis supra indicatis, n. **293** ; et etiam ex memoria antiquæ fidei, prioris lapsus, vel quando urget necessitas confitendi aut exercendi fidem.

II. *Qui sufficienter audierunt* et *non crediderunt*, in causa sunt, ut patet. Si enim primæ excitationi verbo divino alligatæ consensissent, Deus tribuisset gratiam melius audiendi, considerandi, perveniendi ad voluntatem credendi, et tandem actu credendi. Possunt tamen vel per recordationem primæ prædicationis interdum excitari ; vel, si illius nulla memoria supersit, iterum fere in eodem statu jacere ac illi, qui non audierunt.

III. *Qui non audierunt verbum Dei*, nec habuerunt ullam excitationem *externam* ad fidem concipiendam, hi vel non

consenserunt excitationi *mere internæ* eis de facto *datæ*, vel impedimentum posuerunt huic excitationi ideo illis solum *oblatæ*, ac proinde per eos stat, quominus ad fidem perveniant.

Etenim 1., ex dictis, n. 288, Deus omnibus hominibus dat, vel offert auxilia ad fidem et salutem necessaria; ergo infidelibus, de quibus agitur, Deus dedit, vel obtulit internam saltem excitationem. 2. Propria damnatio imputatur illis infidelibus a S. Paulo, dicente, *Gentes fuisse inexcusabiles*, Rom. 1, ỳ 20; Eph. 4, ỳ 17, 18; ergo cujusque infidelis saluti Deus sufficienter providit saltem per interiorem excitationem; cui proinde quisque infidelis vel non consentit, vel ponit impedimentum. Unde « *soli* illi gratia privantur, qui *in seipsis* gratiæ *impedimentum* præstant; » S. Th. *Cont. Gent.* l. 3, c, 159; 1. 2, q. 89, a. 6.

Impedimentum autem ponunt infideles, dum non vitant, inquantum ductu rationis possunt, peccata contra legem naturalem. Et in hoc sensu verum est effatum : *Facienti quod in se est* (per vires naturæ), *Deus non denegat gratiam* (remote, vel proxime excitantem ad fidem); non quidem quod, dum faciunt inquantum naturaliter possunt, *mereantur* vocationem supernaturalem, vel ad eam se disponant, n. 271 ; sed quod tunc non ponant obicem, atque ideo tempore opportuno detur eis auxilium ad fidem sufficiens. Itaque, « si quis nutritus in sylvis, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, et fuga mali, *certissime* est tenendum, quod ei Deus vel per *internam* inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium; » S. Th. q. 14, *de Fide*, a. 11. Ita etiam SS. August., Prosper, Chrysost., Cyril., Suarez, etc.

Proinde illi infideles rei sunt perpetuæ damnationis etiam in ordine supernaturali ob actuale peccatum, eo quod in illo ordine sua propria culpa non fuerunt redintegrati. Aliunde, cognitio pœnæ æternæ in ordine supernaturali non requiritur, ut quis illius pœnæ reatum incurrat, atque contrarium uti erroneum ab Alex. VIII damnatum est, an. 1690. Vide Bossuet, *Lettre* 244, t. 26.

Nec altius absque tremore scrutari audemus : *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Rom. 11, ℣ 32, 33.

NUMERUS III

De modo, quo medium sufficiens, ad realem Baptismi susceptionem, Deus præparat infantibus sine Baptismo morientibus, non obstante quacunque diligentia parentum.

293. — Hic supra modum crescit difficultas, atque mysterio mens quasi opprimitur. Quædam igitur exponere sufficiat.

Certum est, a tempore legis Christianæ, infantes sive fidelium sive infidelium positivorum, ante usum rationis decedentes, non posse salvari, nisi reipsa eis applicetur verum ac validum Baptismi sacramentum; et idem probabilius est de infantibus infidelium negativorum, ut probatur in Tract. *de Bapt.*, n. 30, 34 : porro, ex dictis, n. 290, Deus vult omnium infantium salutem, et ideo præparat ex parte sua sufficientia media, ut omnes parvuli Baptismum in re suscipiant; ergo quotiescunque infans sine Baptismo decedit, hoc provenit ex defectu concursus sufficientis causarum secundarum, et præsertim adultorum. « *Parvuli paucorum dierum* ad illam pertinent gratiæ partem, quæ super universis est impensa nationibus; qua utique *si bene eorum uterentur parentes,* etiam ipsi per eosdem juvarentur, » ait S. Prosper, *de Vocat. Gent.*, lib. 2, c. 20.

Miris autem et inenarrabilibus modis adulti ab illo officio deficere possunt. Sic parvuli plurimi in sinu materno moriuntur, ex corruptione jam à pluribus defluente generationibus. Sunt enim peccata quasi *secundarie originalia,* quorum infanda consectaria ad plurimas descendunt generationes. Unde sic : posito quod omnes adulti per totam vitam, et per successivas omnes generationes, starent, sicut possunt ac debent, legi naturali fideles, et gratiæ supernaturali assentirent, simulque in viis semper ambularent prudentiæ, posset-ne affirmari parvulum etiam unum sine Baptismo unquam decessurum...?

§ IV

De modo, quo Gratia actualis libertatem sollicitat aut determinat.

296. — *Quæritur* utrum gratia actualis sit *efficax* seu sortiatur effectum, vel *sufficiens* seu effectu careat ex *ipsa gratiæ* efficacis aut sufficientis *natura*, aut ex *ipso voluntatis consensu* vel *dissensu*?

Resp. Circa hujusmodi arduam quæstionem, duo exstant inter catholicos systemata, Molinistarum scilicet, qui in ipso voluntatis consensu reponunt gratiæ efficaciam, et Thomistarum, qui ex ipsa gratiæ natura consensum voluntatis desumunt. Non datur enim medium.

Equidem Thomassinus, ut mediam inveniret viam, efficaciam auxiliorum in horum varietate et multitudine reposuit. At, quæcunque sit illa varietas et multitudo gratiarum, semper redit quæstio, utrum efficacia et consensus repetendus sit ex voluntate, an ex ipso auxilio.

Jam vero, systemata Molinistarum et Thomistarum versus finem seculi XVI, magno animorum æstu agitata fuere inter Patres Societatis Jesu et Fratres Prædicatores, præsertim occasione libri Molinæ, *de Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis*, editi anno 1588.

Clemens VIII, ut ea sedaret, anno 1598, celebrem instituit congregationem Cardinalium et Consultorum, *de Auxiliis* dictam, quia de auxiliis gratiæ tractandum erat.

Post septem et septuaginta consessiones intra novem annos habitas, S. Pontifex nihil pronuntiare voluit, quin prius Theologos utriusque opinionis coram se disputantes audiisset. In quinque igitur et octoginta hujusmodi concertationibus multum disputatum est, tam coram se quam coram antecessore suo, et nihilominus nullum pronuntiavit judicium Paulus V; sed congregationem solvit, et in rescripto dato, an. 1607, utrique parti permisit propriam tueri sententiam, ac simul utrique vetuit partem oppositam ulla notare censura, vel probrosis afficere nominibus. Unde adhuc sub judice lis est; et ideo utrumque systema luculenter exponere sufficiet.

297. — I. *Systema Molinistarum circa efficaciam, aut sufficientiam gratiæ actualis.*

1° Gratia est efficax, vel sufficiens, non *ex se* seu *natura sua* et ab *intrinseco,* sed ab *extrinseco* seu ex *consensu* vel *dissensu* ipsius *voluntatis.*

Hoc autem duplici modo explicari aut fieri potest. 1. Deus, scientiæ suæ ope, certo videt ab æterno ex innumeris gratiis, quas in suæ misericordiæ thesauris conditas habet, alias esse, quibus certo consentiet Petri voluntas, cujus intimam naturam perfecte cognoscit; alias vero quibus certo dissentiet, si eidem conferantur; ergo, si Deus ab æterno decreverit dare Petro gratiam primi generis, huic gratiæ Petrus certo consentiet, et gratia erit efficax; si secundi generis, illi Petrus certo dissentiet, et gratia erit mere sufficiens. Ita Molina, et *Molinismus.*

2. Deus ab æterno videt talem gratiam futuram esse efficacem propter ejus *congruitatem* cum omnibus circumstantiis, in quibus dari potest; ergo, si decreverit illam dare in his circumstantiis, gratia erit efficax; ita Vasquez, Suarez, et *Congruismus.* Hæc autem explicatio in priorem recidere videtur. Deus enim determinare nequit, in sensu Molinæ, quandonam gratia erit efficax, vel non, ex consensu, vel dissensu voluntatis, nisi præviderit omnes circumstantias, quæ influxum aliquem in voluntatem exercere possunt.

Unde, quæcunque admittatur explicatio, eadem gratia potest esse efficax in una voluntate, non in altera, in uno instanti in eodem homine, et non in instanti sequenti. Nec tamen gratia vim mutuatur ab humana voluntate; sed hujus assensum requirit tanquam dispositionem, sine qua effectum non produceret.

2° Nunc vero, illud systema, aiunt Thomistæ, nimis favet actioni creaturæ et naturalismo, divinique auxilii realitatem tollit.

Etenim 1. voluntatis adhæsio, qua gratia fit efficax, est sine dubio actus in se supernaturalis, aut saltem melior pars hujusmodi actus : atqui adhæsio illa tribuitur voluntati tantum, in systemate Molinæ et Congruistarum; ergo,

in hoc systemate, tollitur actus supernaturalitas, seu divinæ gratiæ realitas.

Et vero, ex dictis n. 272, actus debet esse supernaturalis non solum ex parte gratiæ excitantis, sed et adjuvantis seu cooperantis, ita ut sit totus liberi arbitrii simul et gratiæ : atqui, in præfato systemate, ipsamet electio seu quod ipsam actus essentiam constituit, divinæ gratiæ subtrahitur; ergo hujusmodi actus non elicitur ex gratia cooperante, sed est in se mere naturalis.

2. Plus adest entis in *actu* consentiendi, quam in *potentia* tantum consentiendi : porro voluntas, antequam consensum gratiæ præstet, est solum in potentia ad illum consensum; ergo in se non habet positivum illud et supernaturale, quo fit ille consensus seu gratiæ efficacia; ac proinde gratia non est efficax, quia voluntas ei consentit, sed voluntas consentit ob ipsam gratiam.

298. — II. *Systema Thomistarum circa efficaciam, aut sufficientiam gratiæ.*

Gratia est efficax, aut sufficiens tantum non ab extrinseco et ex consensu aut dissensu voluntatis, sed ab *intrinseco* seu ex *natura sua*. Scilicet,

1° In *efficaci* gratia triplex elementum positivum distingui potest, *actio*, hujus *libertas* et *supernaturalitas* : atqui omne positivum a Deo oritur; ergo homo est *agens* et quidem *libere* et etiam *supernaturaliter*, quia Deus, per suam gratiam, hic et nunc facit hominem et agentem, et agentem libere et supernaturaliter.

Unde 1. physica entitas actus supernaturalis tota nobis ut agentibus tribuenda est, ac simul tota ipsi gratiæ, ut hic et nunc constituenti nos agentes libere et supernaturaliter.

Proinde 2. gratia est efficax ab intrinseco seu ex natura sua, non eo sensu quod ipsa faciat actus nostros supernaturales, qui tunc *nostri* immerito dicerentur; sed tantum eo sensu, quod *per se nos ipsos constituit agentes* et quidem libere et *supernaturaliter;* sicque salvantur et actio, et libertas hominis, et gratiæ influxus atque supernaturalitas

actionis. In hoc consistit Thomistarum *præmotio physica*. « Tel est le sentiment de ceux qu'on appelle Thomistes : voilà ce que veulent dire les plus habiles d'entre eux par ces termes de *prémotion*, de *prédétermination physique*, qui semblent si rudes à quelques-uns, mais qui, *étant entendus, ont un si bon sens.* » Bossuet, *Traité du libre arbitre*, c. 8. Hæc verba dicta sunt de concursu efficaci ad actus naturales ; sed ad actus etiam supernaturales applicationem habent, ut paululum attendenti patet.

2° In gratia proxime *sufficienti*, seu cui de facto resistit voluntas, tria sunt elementa positiva et unum negativum, nempe, vera *potentia* agendi, et quidem *libere*, et etiam *supernaturaliter*, et voluntatis *resistentia*. Porro 1. omne positivum a Deo oritur ; ergo homo est hic et nunc *capax* agendi, et quidem libere, et supernaturaliter, quia Deus, per suam gratiam, talem hic et nunc facit hominem.

2. *Resistentia* autem seu *defectus* consensus gratiæ, quatenus peccatum constituit, est quid negativum, seu privatio quædam ordinis debiti : atqui nulla privatio seu defectus esse potest divini auxilii terminus ; ergo non a Deo procedit illa resistentia, sed a sola creatura rationali, quæ hoc habet *ex seipsa* tendere in nihilum seu malum, in quantum est de nihilo. Vide Tract. *de Deo*, n. 107, 120-123. Unde intelligitur quomodo, cum gratia sufficienti in sensu Thomistarum, salvetur Dei sanctitas.

Itaque, in hoc systemate, modus, juxta quem divinus concursus explicari debet, nihil aliud esse videtur, quam ipsemet creationis et sanctificationis actus, quo, nempe, Deus producit quidquid in creaturis invenitur positivi, id est, non solum earum substantiam, sed et earum actus in ordine sive naturali, sive supernaturali ; ac proinde difficultas conciliandi actio propria et libera cum divina gratia, a creationis et sanctificationis mysterio non discrepat.

Hoc quidem mysterium ab hypothesi thomistica non tollitur ; sed tamen hæc hypothesis sub duplici respectu Molinismo præstare videtur : nimirum, 1. melius exponit difficultatem solvendam, quatenus nec libertatem humanam destruit ad statuendum gratiæ concursum, nec concursum

gratiæ tollit ad libertatem salvandam; 2. licet non ostendat, quo modo hæc duo inter se concilientur, sufficienter nihilominus demonstrat nullam oppositionem inter ipsa inveniri.

Quibus sic expositis, quisque quod sibi placuerit, seligat, aut, si magis arridet, in dubio hærens permaneat.

ARTICULUS II

De Gratia in ipsa justificatione.

299. — In præcedenti articulo dictum est de gratia actuali, quatenus disponente ad gratiam habitualem, cujus primarius effectus est hominis lapsi justificatio. Nunc vero de hujusmodi gratiæ habitualis et justificantis existentia, et proprietatibus agendum est.

§ I

De existentia Gratiæ habitualis in homine lapso.

300. — *Quæritur* 1° quid sit gratia *habitualis?*

Resp. Habitualis gratia est donum supernaturale, constituens rationalem creaturam in *statu interiori vere supernaturali*, et *ex se permanenti;* seu, est ipsamet naturæ et vitæ divinæ communicatio et participatio, qua rationalis creatura in suo *esse*, in suis *facultatibus* et *dispositionibus* fit *permanenter deiformis*, n. 96, 187, 188.

Unde 1. habitualis ab actuali gratia differt in eo quod, prior afficit ipsam animæ substantiam, facultates et dispositiones, modo ex se permanenti, seu per modum *habitus*, animamque elevat ad *statum* divini ordinis; posterior vero afficit *actum* animæ, atque ideo ex se transitoria est, et efformat non quidem statum proprie dictum, sed modum simplicem seu actum supernaturalem.

2. Proinde gratia habitualis infundi potest etiam in eis, qui nondum ratione utuntur, v. g., in parvulis; dum actualis gratia in solis adultis et ad actus cum rationis usu eliciendos, concipitur.

301. — *Quæritur* 2° quid sit *justificatio impii?*

Resp. Justificatio impii seu hominis lapsi est *translatio a*

statu peccati in statum gratiæ habitualis, qua homo *interius regeneratur* et *renovatur*, sicque fit coram Deo ex peccatore *sanctus*, ex injusto *justus*, ex inimico *amicus;* n. 10, 13.

Unde gratia habitualis, in se sumpta, prorsus eadem est in homine lapso, ac in homine innocente aut in Angelo, nec distinguitur nisi quoad effectum, quatenus, scilicet, per hujusmodi gratiam, homo innocens aut Angelus a statu justitiæ mere naturalis ad statum justitiæ supernaturalis elevatur; dum homo lapsus, per eamdem gratiam, a statu injustitiæ in ordine supernaturali ad statum justitiæ in eodem ordine transfertur. Propterea hæc translatio dicitur *impii justificatio*.

302. — *Quæritur* 3° quotnam complectatur gratia habitualis, et justificatio impii?

Resp. Tria elementa gratiam habitualem et impii justificationem constituunt, nimirum, *gratia sanctificans, virtutes infusæ*, et *dona* Spiritus Sancti. Anima enim sub triplici respectu status seu habitus considerari potest, vel in suo *esse* seu substantia, vel in suis *facultatibus* operandi, vel in suis *dispositionibus* operandi *bene, prompte* et *expedite* : porro gratia sanctificans divinitus informat ipsum esse animæ; virtutes infusæ elevant facultates ad actus vitæ supernaturalis eliciendos; atque dona Spiritus Sancti disponunt vires animæ ad hoc, quod bene et prompte subdantur motioni divinæ. Gratia igitur sanctificans est ipsa *essentia* gratiæ habitualis et justificationis, virtutes autem infusæ et dona Spiritus Sancti sunt ejusdem justificationis et gratiæ habitualis quasi *partes integrales*. De his dicemus in triplici numero.

NUMERUS PRIMUS

De Gratia sanctificante.

303. — Gratia sanctificans in homine lapso, ex jam dictis, est gratia habitualis quatenus informat *esse* animæ per interiorem regenerationem et renovationem.

Jam vero hujusmodi gratiam animæ inhærentem, et consequenter virtutes infusas, atque dona Spiritus Sancti reji-

ciunt hæretici plerique, dum asserunt impii justificationem consistere, vel in sola remissione peccatorum, ut contendunt Pelagiani et Rationalistæ, n. 115, 125; vel in absolutione mere externa peccati, et in extrinseca imputatione justitiæ Christi, ut aiunt Lutherus et Calvinus, n. 133; vel in remissione peccati simul et in *actu* obedientiæ mandatorum ex charitate, ut asserunt Baius et Jansenius, 140, 148. Cujusmodi errores in subsequentibus propositionibus confutabimus, statuendo justificationis hominis lapsi naturam, præcipuosque effectus.

PROPOSITIO PRIMA

304. — *Justificatio hominis lapsi formaliter consistit in interiori regeneratione et renovatione animæ, per gratiam sanctificantem animæ inhærentem.* De fide est.

Ex hujusmodi regeneratione et renovatione animæ hominis lapsi secundum *rectitudinem* supernaturalem, illa gratia dicitur *justificans*, vel *justitia* simpliciter.

Prob. thesis 1° *Script.* « *Salvos* nos fecit per lavacrum *regenerationis* et *renovationis* Spiritus Sancti, quem *effudit in nos* abunde per Jesum Christum, ut *justificati gratia* ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ, » Tit, 3, ỳ 5-7; ergo, juxta S. Paulum, *salvari* et *justificari gratia* Christi, nihil aliud est quam *regenerari*, *renovari*[1] per Spiritum Sanctum *in nos diffusum;* quod certe implicat mutationem in interiori dispositione animæ per aliquod donum supernaturale et animæ inhærens.

Præterea, « sicut per inobedientiam unius hominis *peccatores constituti sunt* multi, ita per unius obeditionem *justi constituentur* multi; » Rom. 5, ỳ 19 : porro 1. justum *constitui* et *interne fieri*, idem sunt; 2. per inobedientiam

1. « *Novum* est, ait S. Th., quod est proximum suo principio; » ergo verbum *renovari*, quod de homine lapso sæpius in Scriptura invenitur, in duplici sensu intelligi potest. Scilicet, vel quatenus homo restituitur in suo *primævo* statu, quo innocens et gratia amictus, exstitit ante lapsum; vel quatenus, cum antea per peccatum esset a longe, jam Deo per gratiam conjungitur fitque ei proximus. Deus enim, sicuti est antiquus dierum et finis omnium supremus, sic est *nova* et indeficiens pulchritudo, qua innovantur omnia, quando ei conjunguntur, et de ipso vivunt.

Adami homines vere et interne peccatores respectu ordinis supernaturalis constituti sunt, n. 217, 227; ergo vere et per interiorem ordinis supernaturalis dispositionem quisque constituitur justus, dum ei applicatur meritum Christi.

2° *Traditione*. Ex SS. Patribus unum referre sufficiat. « Sicut ista fides Christi dicta est, non *qua credit Christus*, sic et alia justitia Dei, *non qua justus est Deus*; utrumque enim *nostrum* est. Sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus largitate nobis donatur... Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua ipse diligit, sed *qua nos facit dilectores*, sicut *justitia* Dei, qua *justi* ejus munere *efficimur;* » S. August. *de Spirit. et litt.* c. 9, 32.

Conc. Trid. declarat « justificationem impii esse *sanctificationem* et *renovationem interioris hominis* per voluntariam susceptionem *gratiæ* et *donorum;* atque ideo *unicam formalem causam justificationis*, esse justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua ab eo *donati*, *renovamur spiritu mentis nostræ*, dum per Spiritum Sanctum charitas Dei *diffunditur in cordibus* eorum, qui justificantur, atque *ipsis inhæret*, » n. 15; et idem definit, n. 33. Unde damnata est Baii propositio asserens, « hominem lapsum *non justificari* per *gratiam* animæ *infusam*, qua *adoptatur* in filium Dei, et secundum *interiorem* hominem *renovatur;* » n. 140.

3° *Ration. theol.* 1. Certum est statum gratiæ, ad quem elevatur homo lapsus, esse supra exigentias et vires hominis etiam innocentis et Angeli, 179, 181 : atqui simplex remissio aut externa absolutio peccatorum, vel actus charitatis in sensu Baii, est quid in se mere naturale respectu hominis innocentis et Angeli; ergo in his tantum non consistit interna impii justificatio.

2. Ex communi sensu Theologorum, gratia etiam in homine lapso, est quædam naturæ divinæ participatio, 188 : porro talis participatio ex se importat ipsius naturæ humanæ deificationem; ergo justificatio impii est regeneratio per gratiam animæ inhærentem.

3. Homo a supernaturali rectitudine interiorem hominem informante lapsus est, n. 227; ergo coram Deo justus

iterum fieri nequit, nisi per ejusdem rectitudinis recuperationem.

305. — *Obj.* Christus factus est *nobis sapientia* a Deo, et *justitia* et *sanctificatio;* et per *suam obedientiam* homines *constituit justos;* I Cor. 1, ℣ 30; Rom. 5, ℣ 19 : atqui hoc manifeste supponit justificationem peccatoris perfici per imputationem justitiæ Christi, absque interiori renovatione; ergo, etc.

Resp. Dist. major. Christus factus est nobis justitia efficienter et meritorie, *conc.;* formaliter et per solam imputationem, *nego.* Namque, ex allato textu ad Rom., Christus nos constituit justos, sicut Adam nos contituit peccatores, ac proinde per internam sanctificationem et justitiam.

306. — *Inst.* Deus nos diligit *in* Christo et *propter* Christum : atqui, si justificatio esset interior, jam nos diligeret propter nos ipsos; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Deus nos diligit seu nobis confert gratiam justificantem propter meritum et ad gloriam Christi, *conc.*; Deus nos diligit propter sanctitatem Christi meritoriam, ita ut nullam internam gratiam nobis simul conferat, *nego.* Dei enim dilectio est causa efficiens gratiæ justificantis; meritum Christi est ejusdem causa meritoria; tandem Christi gloria est illius gratiæ proxima causa finalis, n. 13; ergo justificatur homo per interiorem renovationem, quia Deus eum diligit, et quidem propter Christum et in Christo.

PROPOSITIO II

307. — *Gratia Justificationis peccata vere remittit ac prorsus delet.* De fide est.

Ideo illa gratia dicitur *sanctificans* seu *sanctitas* simpliciter.

Sequitur propositio ex thesi præcedenti. Repugnat enim hominem esse, secundum interiorem dispositionem, regeneratum, renovatum atque justum, per gratiam et charitatem ei inhærentem, sicut fit in justificatione, et simul manere in statu peccaminoso.

Sed etiam constat 1° *Script.* « Convertimini, ut *deleantur peccata vestra*; » Act. 3, ℣ 19. *Lavabis me, et super nivem dealbabor. Cor mundum crea in me, Deus;* Ps. 50. —

« *Nihil damnationis* est iis, qui sunt in Christo Jesu ; » Rom. 8, ℣ 1. — « *Abluti* estis, *sanctificati* estis ; *justificati* estis ; » I Cor. 6, ℣ 11.

2° *Traditione.* Ex Conc. Trid., quod declarat « justificationem impii esse *translationem* ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, *in statum gratiæ* et *adoptionis* filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, » n. 10; atque definit « per Jesu Christi *gratiam*, quæ in Baptismate confertur, *reatum* originalis peccati *remitti*, atque *tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem* habet, et non tantum *radi*, aut *non imputari*, » n. 6. Licet autem in hoc decreto de peccato originali specialiter loquatur, tamen comprehendit omnia alia, quæ cum illo possunt esse conjuncta.

3° *Ration. theol.* Juxta Lutherum, interius non deletur peccatum, eo quod sit ipsamet concupiscentia, quæ revera remanet in justificatis : porro falsum est et hæreticum concupiscentiam esse peccatum, n. 6, 232 ; ergo, etc.

Revera homo in justificatione fit Deo gratus, filius Dei et hæres vitæ æternæ, ex statim dicendis : porro, qui manet in statu peccati, est Deo odibilis, Dei inimicus, et æternæ reprobationis dignus; ergo, in justificatione impii, omnino interius deletur status peccati.

308. — *Obj.* Dicitur : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum *tecta* sunt *peccata*, cui non *imputavit* Dominus *peccatum;* » Ps. 31, ℣ 1, 2 : atqui peccatum, quod tegitur duntaxat, aut quod non imputatur, interius vere non deletur; ergo, etc.

Resp. Dist. minor. Non deletur peccatum, quod tegitur pro homine, et ab homine non imputatur, *conc.*; pro Deo, et a Deo, *nego*, Etenim peccata Deo tegi nequeunt, nisi prorsus deleantur; nec Deus non imputare potest peccatum, quo vere inficitur anima. Itaque, in justificatione, peccata teguntur cum gratia sanctificans superinducitur tanquam forma peccatis opposita, et eorum expultrix, quomodo dicimus tegi colorem nigrum, cum, superinducto colore albo, niger evanescit.

309. — *Inst.* « Quicunque baptizati estis, *Christum induistis ;* » Galat. 3, ℣ 27 : porro indumentum non tollit, sed tegit

duntaxat corporis maculas ; ergo per justitiam Christi teguntur peccata.

Resp. Dist. major. « *Christum induistis, exspoliantes veterem hominem cum actibus suis*, et *induentes novum*, ita ut *nihil damnationis sit iis*, qui sunt in Christo Jesu, » ut ibidem dicit Apostolus, *conc.*; secus, *nego*.

Et vero, S. Paulus justificationem pingit sub metaphora indumenti, ut ostendat eum, qui exit de fonte baptismali vel ex tribunali pœnitentiæ, sicut interius vivit Spiritu Christi, ita debere Christum ad vivum exhibere in exteriori conversatione; quemadmodum speciem regis referret, qui regia veste esset indutus.

PROPOSITIO III

310. — *Gratia justificationis hominem facit Deo gratum et ejus amicum.* Certum est.

Ex hoc effectu illa gratia dicitur gratia *gratum faciens*, vel *gratia* simpliciter.

Thesis ex duplici propositione præcedenti consequitur; siquidem in his dictum est, per justificationem, hominem fieri coram Deo supernaturaliter justum atque sanctum : porro, qui talis est, non potest Deo non placere.

Et vero, « *Placens* Deo factus est *dilectus*... quoniam *gratia* Dei et misericordia est *in Sanctos* ejus; » Sap. 4, ỳ 10, 15. — Similiter, Conc. Trid. docet « hominem, per *gratiam, qua justificatur*, fieri ex inimico *amicum* Dei ac *domesticum* ejus, » n. 10, 13, 14. — Tandem, ex dictis, n. 188, 196, *gratia* simpliciter est ipsius naturæ et vitæ divinæ participatio, qua perfectissima quædam amicitia inter Deum et hominem constituitur : porro talis est gratia, qua homo regeneratur et renovatur in justificatione, ut constat ex eadem thesi, n. 188, 189; ergo gratia justificationis facit hominem Deo gratum et ejus amicum.

PROPOSITIO IV

311. — *Gratia justificationis hominem facit vere et interne filium Dei adoptivum.* Certum est.

Ex hoc effectu illa gratia dicitur *semen Dei*.

Constat thesis 1° *Script.* Nihil enim in ea expressius af-

firmatur : « Quicunque *Spiritu* Dei aguntur, ii sunt *filii* Dei..... Accepistis enim spiritum *adoptionis filiorum*, in quo clamamus : *Abba* (Pater) ; » Rom. 8, ỷ 14, 15, — « *Filii* Dei *nominamur* et *sumus*... Omnis qui *natus* et *ex Deo*, peccatum non facit, quoniam *semen ipsius in eo manet ;* » I Joan. 3, ỷ 1, 9. Propterea nemo introire potest in regnum Dei, nisi *renascatur* ex Spiritu Sancto.

2° *Tradit*. Conc. Trid. docet « per *eamdem* gratiam, qua a peccato et inimicitia Dei liberamur, nos *renasci*, transferri *in statum filiorum adoptionis Dei*, et in *regnum Filii* naturalis ; atque ideo justificationem esse *regenerationem in Christo* ; n. 9. Contrarium damnatum est contra Baium, n. 140.

3° *Ration. theol.* Ex dictis, n. 188, gratia est consortium naturæ divinæ, quod in nobis perficitur per participationem ipsius actus, quo Pater generat Filium ; ergo hujusmodi gratia ex se constituit veram et internam filiationem adoptivam apud Deum.

Itaque 1. filiatio, de qua agitur, non est ex denominatione extrinseca et morali tantum, quemadmodum, in civilibus, persona extranea, ad succedendum in hæreditatem assumpta, dicitur pro filio adoptata ; sed fundatur in reali participatione ipsius naturæ et vitæ divinæ, per veram generationem supernaturalem.

2. Illa filiatio adoptiva non proprie constituitur *vi habitus charitatis* diffusæ in cordibus nostris per Spiritum Sanctum in justificatione. Nam fundamentum filiationis est natura quatenus accepta per generationem seu *nativitatem :* porro in charitate seu amore non est nativitas, nec ideo communicatio naturæ ut natura est ; alioquin omnis amicus esset eo ipso filius adoptivus et hæres. Et vero, Spiritus Sanctus, licet accipiat divinam naturam, non est tamen Filius, quia non illam vi processionis recipit ut natura est, sed ut amor. Aliunde charitas est virtus specialis, sicut fides, atque specialiter perficit voluntatem in actu amandi ; non autem respicit totam personam, quasi constituendo illam in *novo esse alterius naturæ*, in quo propria generatio filii consistit ; S. Th. 1. 2, q. 110, a. 4. Unde

3. *Habitus charitatis* non est formaliter ipsamet *gratia*

justificationis, ut quidam sentiunt. Ex dictis enim gratia justificationis vi propria constituit filium Dei adoptivum, non autem charitas per se ; ergo, etc.

In Scriptura autem omnes effectus gratiæ sanctificantis sæpe tribuuntur charitati, quia perfecta charitas est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, ita ut ab ea separari nequeat, n. 285 ; eadem quippe solent dici de proxima dispositione, quæ dicuntur de forma quam introducit ; v. g., de summo calore æque dicitur ac de igne, quod comburat, inflammet, etc.

PROPOSITIO V

312. — ***Gratia justificationis facit hominem Dei hæredem et acceptum ad vitam æternam.*** Certum est.

Ex hoc effectu illa gratia dicitur *pignus hæreditatis, semen gloriæ.* Eph. 1, ℣ 14.

Sequitur thesis ex propositione præcedenti. Sed insuper confirmatur 1° *Script.* Etenim « Sumus *filii* Dei : si filii, et *hæredes; hæredes* quidem *Dei, cohæredes* autem Christi ; » Rom. 8, ℣ 16, 17. — « *Nunc filii Dei* sumus, et nondum apparuit quid *erimus;* quoniam, *cum apparuerit,* similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est ; » I Joan. 3, ℣ 2 : id est, jam habemus dignitatem filiorum ; nondum tamen apparet, quia nondum est consummata similitudo ad Deum, quæ in illius visione perficitur : eam vero obtinebimus ratione dignitatis gratiæ, per quam in hac vita vere filii *Dei* constituimur..

2° *Tradit.* Conc. Trid. declarat « causam *finalem* justificationis esse *gloriam* Dei et Christi, ac vitam æternam ; atque illos *habituros esse vitam æternam*, qui illam justificationis gratiam *præferunt ante tribunal Christi;* » n. 13.

3° *Ration. theolog.* Juxta fidem Ecclesiæ, parvuli sine Baptismo non possunt introire in regnum Dei ; cum Baptismo autem, si ante usum rationis decedant, omnes vitam æternam obtinent : atqui parvulis baptizatis inest tantum gratia justificationis ; ergo hujusmodi gratia facit hominem acceptum ad vitam æternam.

PROPOSITIO VI

313. — *Gratia justificationis est quid animæ inhærens ex se permanenter*. Certum est et fidei proximum.

Ex hoc effectu illa gratia dicitur *habitualis*.

Constat thesis 1° *Script*. Dicitur enim. « Spiritus Sanctus apud *vos manebit*, et *in vobis erit*... Alium Paracletum dabit vobis, ut *maneat vobiscum in æternum*... Si quis diligit me, ad eum veniemus, et *mansionem apud eum faciemus*; » Joan. 14, ℣ 16, 17, 23. — « Qui manet in charitate, *in Deo manet* et *Deus in eo*; » I Joan. 4, ℣ 16. Atqui mansio et habitatio significant aliquid permanens; ergo, etc.

2° *Traditione*. Ex Conc. Trid., peccatum originale remittitur per Jesu Christi gratiam, quæ in Baptismate confertur etiam parvulis, n. 5, 7 : atqui parvuli gratiam per modum motionis ad operandum recipere non possunt; ergo gratia justificans eis confertur per modum habitus.

Porro, sicut Baptismus unus est, ita etiam gratia, quam primo ac per se confert, una est in adultis et in parvulis: aliunde, Conc. Trid. docet *unicam* esse *formalem* justificationis causam, n. 13; ergo gratia justificans est habitualis in adultis sicut et in parvulis. Unde, juxta Catech. Rom., gratia, *qua peccatorum fit remissio*, est *divina qualitas* in anima inhærens : porro omnis qualitas est de se quid permanens et habituale.

3° *Ration. theol*. Ex dictis, homo, per gratiam justificantem, generatur filius Dei adoptivus et hæres : atqui generatio non tendit ad motionem seu operationem transeuntem, sed dat esse permanens. Quare dicitur : « *Omnis* qui *natus* est ex Deo, peccatum non facit, quoniam *semen* ipsius in eo *manet*; » I Joan. 3, ℣ 9.

Et vero perfectissima actualis gratia ea est, quæ ad actum charitatis movet : porro, ex Conc. Trid., gratia justificationis consequitur actum perfectæ charitatis; ergo gratia, qua justificamur, distinguitur ab actuali charitate, et ideo a quacunque actuali gratia. Idem infertur ex dictis de essentia gratiæ, n. 187, 190.

314. — *Obj. Factores legis justificabuntur ;* Rom. 2, ỷ 13. — « Videtis quoniam *ex operibus justificatur* homo ; » Jac. 2, ỷ 24. — *Qui facit justitiam, justus est ;* I. Joan. 3, ỷ 7 ; ergo justificatio consistit in actibus, non autem in gratia habituali.

Resp. Nego conseq. Namque, ex illis textibus, colligi tantum potest hominem bonis operibus vel disponi ad justificationem, vel mereri justitiæ augmentum, vel probare se esse justum, juxta illud : « Ego *ostendam* tibi *ex operibus fidem* meam ; » Jac. 2, ỷ 18.

NUMERUS II

De Virtutibus in justificatione infusis.

315. — *Quæritur* 1° quid *sint* virtutes infusæ?

Resp. Virtutes infusæ definiri solent : *Habitus supernaturales a Deo inditi, quibus animæ facultates informantur ad eliciendos actus supernaturales, secundum suam speciem.*

Et quidem 1° : *habitus* seu bonæ qualitates, disponentes voluntatem ad bonum agendum, nunquam vero ad malum ; in hoc conveniunt cum gratia sanctificante, et discrepant a gratia actuali.

2 : *Supernaturales,* id est, ad ordinem gratiæ ex natura sua pertinentes ; et in hoc distinguuntur a virtutibus naturalibus.

3 : *A Deo inditi ;* in quo secernuntur a virtutibus per repetitos actus acquisitis. Quatenus enim in se supernaturales, a solo Deo produci possunt.

4 : *Quibus animæ facultates informantur ad eliciendos actus supernaturales ;* et in his indicatur virtutum illarum subjectum, earumque discrimen a gratia sanctificante, quæ divinitus informat ipsum *esse* animæ ; dum virtutes infusæ informant ipsas animæ *potentias,* easque faciunt capaces actus aptitudinem naturalem excedentis ; et exinde *virtutis* nomen sortiuntur, quia ad bene agendum proxime disponunt.

316. — *Quæritur* 2° *quotnam* sint virtutes infusæ?

Resp. Duplicis sunt generis virtutes infusæ, theologicæ scilicet et morales.

Theologicæ dicuntur illæ, quæ habent Deum supernaturaliter cognitum pro objecto materiali primario, et aliquod

ejus attributum pro objecto formali seu motivo. Tres sunt numero, *fides*, *spes* et *charitas*.

Morales autem sunt, quæ pro objecto materiali habent aliquod bonum creatum, et pro motivo aliquid supernaturale. Ad quatuor præcipuas reduci possunt, quæ ideo vocantur *cardinales*, nempe, prudentia, justitia, fortitudo et temperantia. Quibus expositis, sit

PROPOSITIO

317. — *Virtutes supernaturales infunduntur in justificatione*. Certum est.

Constat 1° *Script*. Dicitur enim quod « per Christum Deus *maxima* et *pretiosa* nobis promissa *donavit*, ut per hæc *efficiamur divinæ consortes naturæ*, *fugientes* concupiscentiæ corruptionem; » II Petr. 1, ỷ 4. In hoc textu agitur de donis supernaturalibus, quibus efficimur et divinæ naturæ consortes, et capaces exercendi pietatem christianam; ergo virtutes, quibus hujusmodi exercitii homo fit capax, infunduntur simul ac divinæ naturæ consortium seu gratia justificans.

2° *Traditione*. Conc. Trid. declarat « justificationem esse *sanctificationem* et *renovationem* interioris hominis, per voluntariam susceptionem *gratiæ* et *donorum*, » n. 13; ergo, præter gratiam sanctificantem, infunduntur simul dona, quorum primaria sunt virtutes ad animæ facultatum sanctificationem.

Hoc revera sic innuit idem Concilium : « *In ipsa justificatione*, cum remissione peccatorum *hæc omnia simul infusa accipit* homo per Jesum Christum, cui inseritur, *fidem*, *spem*, et *charitatem*; » n. 13. Similiter, in Catech. Rom., inter effectus Baptismi, numeratur *nobilissimus omnium virtutum comitatus*, quæ *in animam cum gratia divinitus infunduntur*.

3° *Ratio. theol*. Per gratiam sanctificantem, anima fit in modo essendi deifica, seu divinæ naturæ consors; atqui modus operandi sequitur modum essendi; ergo anima simul fieri debet deiformis in suis potentiis, per infusionem virtutum supernaturalium.

Et vero, gratia sanctificans dat novam naturam per divinæ naturæ consortium : porro omnis natura est principium operationis ; ergo gratia informare nequit *esse* animæ, quin simul informet ejusdem potentias, quæ sunt proxima operationum principia. « Sicut ab essentia animæ effluunt ejus potentiæ, quæ sunt operum principia ; ita *ab ipsa gratia* effluunt *virtutes in potentias* animæ, per quas potentiæ moventur ad actus. » S. Th. 1. 2, q. 110, a. 4, ad 1.

318. — *Quæritur* an *omnes* virtutes supernaturales infundantur in ipsa justificatione?

Resp. 1. Charitas habitualis non infunditur ante justificationem, a qua separari nequit. Juxta plures autem, fides et spes, cum perseverent post peccatum, infundi possunt ante justificationem ; aliunde *fides* est *radix* et *fundamentum* omnis justificationis, ac proinde hanc præcedere debet. Alii vero communius sentiunt tres virtutes theologicas simul infundi in ipsa justificatione, ut innuere videtur Conc. Trid., verbis in thesi relatis.

2. Communiter sentiunt Theologi omnes virtutes morales infundi in ipsa justificatione, et hoc infertur ex thesi præcedenti.

Quæ spectant virtutes infusas, fusius evolvuntur in Tractatibus *de Virtutibus* in genere, et in specie.

NUMERUS III

De Donis Spiritus Sancti.

319. — *Quæritur* 1° *quid* sint *dona Spiritus Sancti?*

Resp. Dona Spiritus Sancti sunt *habitus supernaturales*, *quibus animæ vires disponuntur* ad *bene et prompte obediendum motioni speciali Spiritus Sancti*.

1 : *Habitus supernaturales*, et in hoc conveniunt cum virtutibus infusis, et distinguuntur a virtutibus naturalibus.

2 : *Quibus animæ vires disponuntur ad bene et prompte obediendum motioni speciali Spiritus Sancti* ; et in his indicatur donorum specifica natura, eorumque distinctio a virtutibus infusis. Scilicet, per virtutes infusas, homo

fit capax actuum supernaturalium, sed imperfecte; siquidem imperfecte Deum cognoscimus et diligimus per virtutem fidei et charitatis. Per dona autem seu dispositiones ad prompte obediendum divinæ motioni, perficitur homo ad altiores actus, quam sunt actus virtutum. S. Th. 1. 2, q. 68, a. 1.

Juxta Suarez, Habert et alios plures, dona sunt dispositiones quædam ad accipiendas *extraordinarias* Spiritus Sancti *motiones ad propriam salutem*. Unde, in hac sententia, motiones ad actum virtutum infusarum, sunt *ordinariæ*, et ad humanum agendi modum attemperatæ; motiones autem ad usum donorum requisitæ, excedunt communem agendi rationem, tenduntque ad actus *heroicos*, qui proinde non sunt ita frequentes in justis, ac virtutum actus.

Quæ dispositiones dicuntur *dona* per antonomasiam, utpote maxime gratis collata, vel dona *Spiritus Sancti*, aut *spiritus*, eo quod sunt in nobis ab inspiratione divina et præsertim in ordine ad motionem Dei. S. Th., 1. 2, q. 68, a. 1, ad 1.

320. — *Quæritur* 2º *quot* sint dona Spiritus Sancti?

Resp. Septem numerantur his verbis Isa. 11. ỷ 2: « Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus *sapientiæ*, et *intellectus*, spiritus *consilii*, et *fortitudinis*, spiritus *scientiæ*, et *pietatis*, et replebit eum spiritus *timoris* Domini. » Eumdem donorum numerum ex hoc textu communiter inferunt SS. Patres et Theologi, retinetque consensus Ecclesiæ.

Et vero, dona idem cum virtutibus habent objectum materiale, sed disponunt ad actus perfectiores circa illud eliciendos; ergo tot sunt dona, quot numerantur virtutes: atqui, præter virtutes theologicas, quas ut sui radices præsupponunt dona, septem numerantur virtutes, scilicet, intelligentia, sapientia, scientia, prudentia, justitia, fortitudo et temperantia; ergo totidem sunt dona ejusmodi virtutes perficientia. Attamen de hoc septenario numero nihil certum est, ait Suarez, *de Gratia*, lib. 6, c. 10, n. 10.

321. — *Quæritur* 3° *quomodo* se habeat quodlibet donum ad virtutem, cui correspondet?

Resp. 1. Per *virtutem intelligentiæ*, ut *credibilia* apprehendimus mysteria revelata, eisque assentimus per virtutem fidei; per *donum intellectus*, eadem apprehendimus et credimus vividiori luce, majorique firmitate.

2. Per *virtutem sapientiæ*, de rebus divinis tanquam de altissimis causis, et ex iis de creatis recte judicamus. Per *donum sapientiæ*, justus aliquando movetur ad sublimiorem rerum contemplationem.

3. *Virtus scientiæ* ad hoc disponit, ut de rebus temporalibus recte judicemus, nimirum, non esse æstimandas et appetendas, nisi quatenus deservire possunt ad vitam æternam consequendam. Per *donum scientiæ*, justus ulterius judicat illa esse abjicienda, quantum fieri potest, veluti onera et impedimenta, quæ retardant animum ad Deum anhelantem,

4. *Virtutis prudentiæ* proprium est recte judicare circa singularia, et in dubiis consulere secundum rectam rationem. *Donum consilii* disponit ad accipienda consilia divinitus inspirata, quæ communem agendi rationem, et humanam prudentiam superant, et ideo a prudentibus seculi temeraria et stulta facile judicantur.

5. Per *virtutem justitiæ*, justus disponitur ad reddendum cuique debitum; per *donum pietatis* fit prompte a Spiritu Sancto mobilis, ut longe ultra debitum exhibeat, quod justitia, religio et misericordia præscribunt.

6. *Virtus fortitudinis* firmat justum contra inordinatum timorem periculorum; *donum fortitudinis* disponit ad eliciendos actus heroicos, sicut narratur de Samsone concutiente cœnaculi columnas, de Eleazaro elephanti se supponente, de S. Apollonia in rogum exsiliente, de Martyribus.

7. Per *virtutem temperantiæ*, justus moderate utitur rebus delectabilibus; per *donum timoris* reverentialis erga Deum, omnes delectationes, quantum potest, abjicit vitæ austerioris studio, ut castam et puram animam Deo suo conservet. S. Th. 1. 2, q. 68, a. 4; 2. 2, q. 8, a. 6; Habert, *de Gratia*. c. 4, § 3.

322. — *Quæritur* 4° an dona Spiritus Sancti *infundantur in justificatione?*

Resp. affirmative, juxta communem Theologorum sententiam. Etenim, « quicunque *Spiritu* Dei *aguntur*, ii sunt *filii* Dei; » Rom. 8, ℣ 14 : atqui, per gratiam justificantem, homo fit Dei filius; ergo in justificatione recipit dispositiones ad bene obediendum motioni Spiritus Sancti.

Sed etiam : « *Requiescet* super eum spiritus *sapientiæ* et *intellectus*, etc. » : atqui Spiritus Sanctus non dicitur venire ad hominem, nisi quia in eo operatur novo modo; nec ita venit ad hominem ut in eo quiescat, sed quatenus permanentem in eo effectum habet, seu novum habitum operatur; ergo, in præfato textu, agitur de dispositionibus a virtutibus distinctis, et infusis simul ac datur Spiritus Sanctus, seu in ipsa justificatione.

Et vero, actus donorum sunt specie diversi ab actu virtutum infusarum : porro, ex regula Providentiæ divinæ, ad omnes actus supernaturales, pertinentes ad justorum sanctificationem, infunduntur proportionales habitus; ergo infunduntur habitus seu dona a virtutibus infusis distincta.

Atqui non infunduntur ante justificationem; perfectio enim unionis cum Deo per dona, supponit ipsam unionem per gratiam sanctificantem et virtutes theologicas; ergo infunduntur simul ac illa gratia sanctificans et hujusmodi virtutes, per quas Spiritus Sanctus habitat in cordibus nostris, Rom. 5 ℣ 5; et quarum ideo dona sunt *derivationes* quædam. S. Th. 1. 2, q. 68, a. 4, ad 3; a. 5.

323 — *Quæritur* 5° an dona sint habitus distincti a *fructibus* Spiritus Sancti, et a *beatitudinibus?*

Resp. affirmative. Etenim *fructus*, de quibus loquitur Apostolus, Galat. 5, ℣ 22, 23, et *beatitudines*, quæ laudantur apud Matth. 5, non sunt habitus, sed actus virtutum infusarum et donorum.

Revera nomine *fructus* intelligitur bonum labore et studio intentum et comparatum, v. g., ampla messis est fructus agricolæ. Si bonum illud sit excellens aut etiam perfectum, dicitur *beatitudo* sive inchoata, sive perfecta, quia ejus

possessio valde delectat, et operantis desiderium quiescere facit. Si autem bonum sit exiguum aut mediocre, dicitur simpliciter *fructus*, non vero beatitudo; neque enim mercenarium dixeris beatum, eo quod exiguam mercedem consecutus sit.

Unde fructus sunt quæcunque *virtutum* opera, in quibus homo delectatur; beatitudines autem dicuntur solum opera perfecta, quæ, ratione suæ perfectionis, magis attribuuntur *donis*, quam virtutibus, S. Th. 1. 2, q. 70, a. 2.

§ II.

De proprietatibus seu de modo essendi gratiæ habitualis in homine lapso.

Gratia in justificatione 1° non datur omnibus æqualis, 2° nec est inamissibilis, 3° nec, seclusa speciali revelatione, de ea potest, et a fortiori non debet constare certitudine fidei. Hæc tria negant Protestantes, n. 133, 135. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

324. — *Gratia, in justificatione adultorum, non infunditur in omnibus æqualis.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Unicuique nostrum data est gratia *secundum mensuram donationis Christi;* » Eph. 4, ℣ 7 : porro quod mensurate datur, non omnibus æqualiter datur, S. Thom. 1. 2, q. 112, a. 4; ergo, in justificatione, gratia non in omnibus infunditur æqualis.

2° *Ex Conc. Trid.*. juxta quod « vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum *mensuram*, quam *Spiritus* Sanctus partitur *singulis, prout vult*, et secundum *propriam cujusque dispositionem* et *cooperationem*, » n. 13; ergo gratia, quæ in justificatione infunditur, inæqualis est, tum ex parte Dei, qui diversimode suæ gratiæ dona dispensat; tum ex parte præparantis se ad gratiam, ita ut, qui melius se ad gratiam disponit, pleniorem gratiam accipiat.

3° *Ration. theol.* Ex dictis, n. 285, 286, dispositiones ad infusionem gratiæ justificantis requisitæ, sunt causæ im-

petrantes illam gratiam ; ergo eadem ratione causæ sunt etiam graduum ejusdem gratiæ. Et vero, 1. ex diversis gradibus gratiæ consurgit pulchritudo et perfectio Ecclesiæ Sanctorum, sic varietate circumdatæ, sicut, ex diversis gradibus rerum naturalium, exsurgit universum perfectum. 2. Ad suavem Dei providentiam, sapientem et justissimam distributionem pertinet, ut melius disposito major conferatur gratià. 3. Hoc fuit valde expediens, ut homines excitarentur ad meliorem præparationem, saltem propter spem uberioris fructus.

PROPOSITIO II

325. — *Gratia justificans est amissibilis, et amittitur per subsequens peccatum mortale*. De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Vigilate et orate, *ut non intretis in tentationem ;* » Matth. 26, ℣ 41. — « Qui se existimat stare, videat *ne cadat ;* » I Cor. 10, ℣ 12, — *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit*. Ezech. 33, ℣ 12, 13.

2° *Traditione.* « Si homo jam regeneratus et justificatus, in malam vitam sua voluntate relabitur, est corripiendus, quia *acceptam gratiam* suo in malum libero *amisit* arbitrio ; » S. August. *de Corrept et Grat.*, c. 6. — « Si quis hominem semel justificatum dixerit *amplius peccare non posse, neque gratiam amittere*... anathema sit ; » ita Conc. Trid., n. 45.

2° *Ration. theol.* Ex dictis, justitia incompossibilis est simul cum peccato, n. 305 : atqui homo justus remanet liber, et ideo peccare potest, ut constat ex Angelis malis, Adam, David aliisque, Scriptura teste ; ergo justus amittere potest justitiam, eamque amittit per mortale peccatum.

Et vero, ubinam Christus et Apostoli docuerunt hominem semel justificatum posse cadere in homicidium, adulterium, blasphemiam, etc., et nihilominus apud Deum reputari et remanere justum, ut asserunt Lutherus et Calvinus ?

PROPOSITIO III

326. — *Nemo, absque speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua justitia.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Quis potest dicere : *Mundum est cor meum?* » Prov. 20, ℣ 9. — « Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen *nescit homo utrum amore an odio dignus sit;* sed omnia *in futurum* servantur *incerta.* » Eccle. 9, ℣ 1, 2.

2° *Traditione.* « *Quantalibet* justitia sit præditus homo, cogitare debet ne *aliquid* in illo, *quod ipse non videt,* inveniatur esse *culpandum.* » S. August., *de Perfect. justit.* c. 15.

« Nullus scire valet, *certitudine fidei* cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse *consecutum;* » ita Conc. Trid., n. 15.

3° *Ration. theol.* Nemo certitudine fidei divinæ potest multoque minus tenetur credere, quod non est a Deo revelatum : porro nuspiam revelatum est talem vel talem in specie attulisse dispositiones necessarias ad justificationem assequendam, vel eam fuisse consecutum ; ergo, etc.

Imo nec cum certitudine *theologica aut naturali* hoc cognosci potest. Etenim nec dispositio, quam consequitur justificatio, nec ipsamet justificationis gratia in se apprehendi possunt in hac vita, cum nec sub conscientia aut experientia cadant, nec per effectum sensibilem evidenter manifestentur ; ergo naturaliter nullus certo cognoscere potest se esse justificatum. Talis est sensus Sanctorum omnium qui, quo ulterius in perfectionem ac sanctitatem progrediuntur, eo magis timent, ac humiliores ex conscientia propriæ imperfectionis fiunt.

Attamen *conjecturaliter* quis cognoscere potest se habere gratiam ; inquantum, scilicet, percipit se delectari in Deo, et contemnere res mundanas, atque gaudere bono conscientiæ testimonio, ex quo pax et conscientiæ tranquillitas oritur, qua justi passim fruuntur. Præterea Deus hoc aliquando revelat aliquibus ex speciali privilegio, ut securitatis gaudium etiam in hac vita in his incipiat, et ut con-

fidentius et fortius magnifica opera prosequantur, et mala præsentis vitæ sustineant, sicut S. Paulo dictum est: *Sufficit tibi gratia mea ;* II Cor. 12, ℣ 9 ; S. Th. 1. 2. q. 112, a 5.

ARTICULUS III

De Gratia post impii justificationem.

Dicendum superest de conservatione gratiæ justificantis, et de ejus effectu meritorio, ex quo augetur et remuneratur.

§ 1

De conservatione gratiæ justificantis.

PROPOSITIO PRIMA

327.—*Ad perseverandum in justitia, necesse est opera præcepta adimplere.* De fide est.

Constat 1° *Scrip.* Namque, ex forma universalis judicii a Christo prænuntiata, damnantur reprobi propter omissionem bonorum operum : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare,* etc. Matth. 25, ℣ 42; ergo bona opera sunt ad salutem necessaria. Præterea interroganti, *quid boni faciam ut habeam vitam æternam,* respondit Dominus : « Si vis ad vitam ingredi, *serva mandata ;* » Matth. 19, ℣ 17. — « Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et *fides sine operibus mortua est.* » Jacob. 2, ℣ 26.

2° Idem aperte declarat, et contrarium damnat Conc. Trid., n. 17, 42, contra Protestantes, n. 134. Revera, ex dictis, justitia amittitur per mortale peccatum; ergo necesse est opera præcepta facere ad vitandum peccatum, et ad perseverandum in justitia. Quin etiam, si loquamur de necessitate morali ad melius esse, opera etiam *non præcepta* dici possunt simpliciter necessaria. Namque 1., moraliter loquendo, nullus diu omnia præcepta affirmativa observabit, nisi etiam habeat consuetudinem aliquam bene operandi sine præcepto. 2. Ad vitandos omnes pravos actus, necessarium moraliter est juvari bonis actibus etiam in se non præceptis, ut oratione, actibus pœnitentiæ, charitatis erga proximum, etc.

328. — Hinc *nemini justo* Deus *denegat* gratiam *sufficientem ad mandata adimplenda*. De fide est.

Hoc contra Lutherum, Baium et Jansenium, n. 134, 140, 148, declarat et definit Conc. Trid., n. 17, 40, et per se patet. Deus enim impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possumus, et petere quod non possumus, et adjuvat ut possimus; ita ut ejus mandata gravia non sunt, sed ejus jugum suave est, et onus leve, n. 17. Contrarium ut hæreticum iterum damnatum est in prima Jansenii propositione, n. 146.

PROPOSITIO II

329. — *Perseverantia usque ad mortem in justitia accepta, est speciale donum gratiæ*. De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Perfice gressus meos in semitis tuis, *ut non moveantur vestigia mea;* » Ps. 16, ℣ 5. Hoc testimonio ad probandam thesim sæpissime utitur S. August. Dicitur etiam : « Gratias ago Deo meo..., qui et *confirmabit vos usque ad finem sine crimine*, in die adventu Domini nostri Jesu Christi : » I Cor. 1, ℣ 8; ergo gratiæ tribuenda est perseverantia finalis.

2° *Ex Conc. Trid.*, quod declarat « perseverantiæ munus, de quo scriptum : *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*, aliunde haberi non posse, nisi ab eo qui potens est eum, qui stat, statuere ut perseveranter stet; » postea vocat « *magnum illud usque in finem perseverantiæ donum;* » et definit, « justificatum sine *speciali auxilio Dei* in accepta justitia *perseverare* non posse; » n. 19, 38, 44.

3° *Ration theol.* Perseverantia, de qua agitur, est continuatio quædam boni usque ad finem vitæ; et ideo ad eam tria requiruntur, nempe 1. vitatio mali per observationem præceptorum negativorum, quod per se fieri potest sine positivo actu; 2. operatio boni, servando omnia præcepta affirmativa, per actus morales et supernaturales; 3. adventus mortis in quodam puncto et momento, proxime subsequente tempus, in quo duo priora observata sunt : porro hæc tria *simul* non contingunt homini, præsertim *multo tempore* viventi in statu gratiæ, sine speciali dono Dei.

Et quidem 1. non *vitatio mali* absque actu positivo. Hoc quidem vix contingere potest, nisi quando, vel menti nulla cogitatio occurrit alicujus mali operandi; vel, licet occurrat, non tamen per modum suasionis, quæ occasionem præbeat peccandi, sed per modum speculativæ repræsentationis, quæ subito transit sine ullo opere voluntatis : porro hoc evenire nequit sine divina Providentia, cujus speciale beneficium est, ita res disposuisse et ordinasse, ut nec occasio perpetrandi malum occurreret.

2. Nec *operatio boni.* Namque, juxta omnes, auxilium efficax est specialius, quam sufficiens tantum, atque singulare est beneficium Dei tale auxilium gratuito concedentis, n. 166 : atqui operatio boni, de qua agitur, includit auxilium efficax, non tantum unum, sed multiplex, et cum ea continuatione, quæ infallibiliter hominem in bono stabiliat; ergo talis perseverantia confertur per donum gratiæ longe majus, quam sit auxilium sufficiens ad perseverandum.

3. Tandem, quod mors contingat opportuno tempore, tam grande et singulare beneficium est, ut, licet solum detur, ad donum perseverantiæ sufficiat. Coexistentia enim status gratiæ cum adventu mortis, facit ut auxilium efficax ad vitandum malum et ad operandum bonum ex præcepto, sit *finaliter efficax :* porro hæc circumstantia non provenit sine Dei præordinatione, et providentia speciali, et tanti momenti est, ut æterna salus ab ea pendeat.

330. — Hinc perseverantia, qua adultus *brevi tempore* per *paucos actus* in gratia durat usque ad mortem, est speciale donum gratiæ. Tunc enim datur auxilium *efficax finaliter.*

331. — *Quæritur* 1° an conservatio gratiæ usque ad mortem etiamsi fiat sine ulla operatione hominis, sit ex speciali auxilio gratiæ?

Resp. affirmative. Etenim. Conc. Trid. n. 329, declarat perseverantiam usque ad mortem in statu gratiæ, esse speciale donum gratiæ : porro non licet ab illa regula parvulos excipere, cum etiam illi in statu gratiæ perseverent. Et vero, non fortuito casu in tali ætate et statu moriuntur illi parvuli, sed singulari providentia et protectione, juxta

illud : « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, ne fictio deciperet animam illius; » Sap. 4, ℣ 11.

332. — *Quæritur* 2° an perseverantia *temporalis*, quæ de facto per diuturnum tempus datur, sit aliquod donum perseverantiæ licet imperfectum, quando usque ad mortem non pervenit?

Resp. affirmative. Namque hujusmodi perseverantia includit auxilium efficax, non tantum unum, sed et multiplex, et cum ea continuatione, quæ hominem per longum tempus infallibiliter stabilit in bono; ergo est aliquod perseverantiæ donum.

§ II

De meritorio Gratiæ effectu.

Dicemus, 1° de notione et existentia, 2° de conditionibus, 3° de objecto meriti supernaturalis.

NUMERUS PRIMUS

De notione et existentia meriti supernaturalis.

333. — *Quæritur* 1° *quid sit* meritum supernaturale?

Resp. Meritum, a voce *merces*, prout hic sumitur, definiri solet : *Opus supernaturale Deo factum, ex quo, posita divina promissione, oritur jus ad alicujus boni supernaturalis retributionem.*

Dicitur 1° : *opus* seu actus, in quo meriti fundamentum consistit. Meritum enim dicit ordinem ad retributionem propter obsequium alicui exhibitum, vel propter opus in utilitatem ejus factum; et in hoc discrepat a jure in aliqua re fundatum, quale est, v, g., jus ad frumentum recipiendum propter centum nummorum solutionem.

2° : *Supernaturale,* quo distinguitur ab opere meritorio ordinis naturalis: prius siquidem fit cum gratia habituali, ope gratiæ excitantis et adjuvantis, et ob finem supernaturalem; posterius autem perficitur viribus naturæ creatæ propriis, et ob finem tantum naturaliter bonum.

3° : *Deo factum,* ita ut in laudem et gloriam Dei redundet, et quidem ex operantis intentione; sicque differt a merito apud homines.

Deus est supremus hominum gubernator, et ejus providentia est perfectissima, maxime in ordine supernaturali; ergo maxime decuit etiam in illo ordine hominibus proponi præmia, quæ mereri possint.

Revera Deus præordinavit supplicia, quæ malis operibus respondeant; ergo decuit ut etiam haberet rationem bonorum operum, quibus præmia præpararet. Vide Bossuet, *Médit. sur l'Évang.*, journ. 90.

336. — Hinc justi possunt apud Deum *de condigno* et secundum *aliquam justitiæ æquitatem* mereri. Ita communiter.

Etenim 1., ex jam allatis Scripturæ textibus, quod per sua opera merentur justi, vocatur *retributio, merces, stipendium, corona justitiæ :* porro talia verba per se important aliquam rationem debiti, justitiæ et condignitatis.

Revera interdum Scriptura utitur nomine *dignitatis* ad meritum justorum declarandum : « Deus tentavit eos, et invenit illos *dignos* se; » Sap. 3, ℣ 5. — « *Dignos* nos fecit in partem sortis Sanctorum; » Coloss. 1, ℣ 12.

2. Conc. Trid. non parum præfatæ assertioni favet, dum dicit justos *vere* mereri. Per particulam enim, *vere,* voluit significare illud meritum non esse tantum congruitatis cujusdam. Idem indicat, n, 22, 48.

3. Gratia est vera participatio naturæ et vitæ divinæ, atque ad ordinem absolute supernaturalem pertinet : atqui præmium de quo hic agitur, est ejusdem ordinis, n. 345; ergo opera, per gratiam ab homine justo facta, sunt per se condigna.

337. — *Obj.* 1° Qui reddit quod debet, non meretur mercedem : atqui, bene operando, facimus et reddimus Deo quod debemus, et propterea dicitur : « Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : *Servi inutiles* sumus; quod *debuimus facere*, fecimus; » Luc 17, ℣ 10; ergo justi vere mereri non possut apud Deum.

Resp. Dist. major. Non meretur mercedem, si non adsit prævia conventio de retributione mercedis, *conc.;* non perficit actionem laude dignam, et ex se proportionatam alicui præ-

mio quod revera mereretur, si præcederet promissio, *nego*.

Nec, per allata Scripturæ verba, evacuatur boni operis meritum, sed solum removetur vana gloria, ne scilicet bona opera et eorum meritum nobis tribuamus, aut putemus per ea Deum nobis obligari, cum tamen nihil nobis debeat, sed sibi ipsi secundum gratuitam suam ordinationem. Quare, ut notat S. Chrysost., Christus non dixit : « Servi inutiles *estis*; sed, *dicite*, quia servi inutiles estis. »

338. — *Inst.* 1. Ut actio sit meritoria apud aliquem, debet esse in ejus commodum et utilitatem : atqui justus, supernaturaliter operando, sibi quidem proficit, nihil autem proficit Deo : *Si juste egeris, quid donabis ei?* Job. 35, ℣ 7; ergo justi vere mereri non possunt apud Deum.

Resp. Dist. minor. Nihil proficit Deo, eo sensu quod ex operibus justi aliquid accrescat *Deo, conc.*; eo sensu quod ex operibus justi non extendatur gloria externa et bonitatis divinæ manifestatio, quam Deus etiam ex suis operibus quærit, *nego* : atqui hoc sufficit ad rationem meriti; ergo, etc.

339. — *Inst.* 2. Qui apud aliquem meretur aliquid, constituit eum sibi debitorem : atqui Deus nulli est debitor, juxta illud : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Rom. 11, ℣ 35; ergo nullus a Deo potest aliquid mereri.

Resp. Dist. minor. Deus nulli est debitor, posito quod nihil operibus nostris correspondens promiserit, *conc.*; etiamsi promiserit, *nego*. Meritum enim apud Deum promissionem alicujus boni præsupponit, ita ut Deus non efficitur debitor nobis, sed sibi ipsi, inquantum debitum est ut sua ordinatio impleatur; n. 344.

340. — *Obj.* 2° Si justus vere meretur, tunc Christus non est solus auctor salutis et gloriæ, ejusque merita non sufficiunt ad salutem : atqui hoc rejiciendum est; ergo justus non vere meretur.

Resp. Nego major. Namque de fide est justum non vere mereri, nisi quatenus est *vivum membrum Christi*, atque adeo virtus meritorum Christi jugiter in eum influit, n. 22, 54, 55, juxta illud : « *Qui manet in me* et *ego in eo,* hic *fert fructum multum ;* quia *sine me nihil* potestis facere; » Joan. 15, ℣ 5; ergo tota gloria meritorum nostrorum in Christum redundat. Et vero, qui potuit non solum per se mereri, sed etiam suis meritis obtinere nobis virtutem ad merendum, certe ma-

jori et excellentiori virtute merendi præditus est; ergo nedum ex merito nostro meritum Christi obscuretur, potius extollitur et amplificatur magis. Cæterum idem ordo relucet in creaturis, quas suprema causa *efficiens* seu Deus alias aliarum causas instituit.

NUMERUS II

De meriti supernaturalis conditionibus.

Ad meritum ordinis supernaturalis proprie dictum, plures requiruntur conditiones; 1° ex parte operantis, 2° operis, 3° Dei retribuentis.

341. — I. Ex parte *operantis* requiritur *status viatoris* et *gratiæ.*

Et quidem 1° *status viatoris*, seu unionis animæ cum corpore *corruptibili*. Etenim 1. dicitur : « *Mortui* nihil noverunt amplius, *nec habent ultra mercedem*... In quocunque loco ceciderit lignum, *ibi manebit;* » Eccli. 9, ℣ 5; 11, ℣ 3. — « *Dum tempus habemus*, operemur bonum; » Galat. 6, ℣ 10. — « Statutum est hominibus semel mori, *post hoc autem judicium;* » Hebr. 9, ℣ 27. Ergo homo non est in via ad præmium seu viator, nisi quandiu in corpore peregrinatur a Domino.

2. Idem docent SS. Patres et Theologi. « Donec vivunt homines, possunt fieri justi; *post mortem* vero, *nullam boni operis datur occasio... Mortui nihil valent ad id adjicere*, quod secum tulere *de vita;* » S. Hieron., *in Eccl.* 9. — « *Hic omne meritum comparatur*, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari; » S. August. *Enchir*. 110. Hoc etiam infertur ex statu animarum in Purgatorio, quæ nihil merentur.

3. Connaturale est animæ humanæ, ut, mediante corpore, suam perfectionem acquirat; et, dum corpus est corruptibile, anima plures habet occasiones merendi et pugnandi pro præmio vitæ æternæ.

Attamen posset Deus vel intra certum tempus vitæ, etiam ante mortem, statum merendi determinare; et similiter post mortem aliquod tempus ad merendum concedere. Unde viæ terminus ex mera Dei voluntate pendet.

2° *Status gratiæ*. Certum est pro homine lapso. Etenim 1., juxta Scripturam, « Qui non *manserit* in Christo sicut *palmes in vite*, non potest ferre fructum ; » Joan. 15, ℣ 5. Insuper *sine charitate*, cætera opera nihil prosunt ad vitam æternam ; I Cor. 13, ℣ 1-3 : atqui homo non manet in Christo et in charitate, nisi per gratiæ statum, qui solus excludit peccatum.

2. Conc. Trid. de *solis justificatis* declarat bona opera esse *merita*, *vere mereri*, n. 22, 34 ; atque contraria Baii propositio damnata est, n. 140.

3. Homo lapsus, antequam justificetur, meretur de condigno privationem cujuscunque boni ; ergo simul habere nequit jus strictum ad aliquod bonum supernaturale. Et vero, dignitas personæ operantis est una ex circumstantiis operis, quæ actus bonitatem aut malitiam augere solent ; ergo, ut adsit proportio, requiritur persona supernaturaliter grata. Propterea dicitur : « Deus respexit ad *Abel* et ad *munera* ejus ; » Gen. 4, ℣ 4.

Unde, eadem ratione, major dignitas personæ ex majori gradu gratiæ sanctificantis, cæteris paribus, auget meritum. Eo enim in majori æstimatione habentur opera, quo nobilior est operans, cæteris paribus : et quo amicus est intimior, eo ejus opus est magis gratum et efficax. Revera, in Scriptura, sæpe commemorantur personæ specialiter Deo dilectæ, et earum intuitu oratio fit Deo gratior ; ergo Deus respicit ad majorem dignitatem personæ.

342. — II. Ex parte *operis*, requiritur quod sit *liberum*, *honestum*, et *supernaturale*:

Et quidem 1° *liberum*. De fide est. Constat. 1. omnibus Scripturæ textibus, quibus probatur hominem esse liberum, capacem præmii et pœnæ. 2. « Ubi *necessitas*, ibi nec *corona*, nec *damnatio*, » ait S. Hieron. *cont. Jovin.* lib. 2. — « Tolle liberum arbitrium, et non erit *qui salvetur*. Ubi non est *libertas*, nec *meritum* ; » S. August., *de Grat. et lib. arb.* Unde ut hæretica damnata fuit hæc Jansenii propositio : « Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, *non requiritur* in homine *libertas* a *necessitate*, sed

sufficit libertas a *coactione ;* » n. 146. Revera nemo laudatur, nec præmiatur propter opera, quæ necessario perficit.

2° *Honestum*. Nihil enim potest esse præmio dignum apud Deum, qui infinite sanctus est, nisi sit rectum et ipsi gratum.

3° *Supernaturale,* tum ex parte gratiæ excitantis et adjuvantis, tum ex parte motivi.

1. Ex parte *gratiæ excitantis* et *adjuvantis*. De hoc puncto non consentiunt omnes. Scilicet, juxta plures, non requiritur actualis gratia ordinis supernaturalis, sed sufficit actum esse moraliter bonum, et a persona in statu gratiæ elicitum; ita Vasquez, Soto, Molina, etc.

Contrarium autem asserunt communiter Theologi, inter quos S. Th., Bellarm,, Suarez, etc. Etenim dicitur : « *Sine me nihil potestis facere*, » Joan. 15, ℣ 5; ergo sine gratia Christi, et quidem actuali, nihil in ordine ad salutem facere possumus. Idem infertur ex verbis : « Deus est qui *operatur* in vobis et *velle* et *perficere*, pro bona voluntate; » Philip. 2, ℣ 13.

Ex Conc. Trid., « hominis justificati bona opera, quæ fiunt ab eo *per Dei gratiam* et *Jesu Christi meritum vere merentur* augmentum gratiæ, vitam æternam, etc.; » n. 34; et alibi declarat « bona opera justorum *meritoria* esse *non posse sine virtute Christi jugiter influente*, quæ illa opera *semper antecedit*, *comitatur* et *subsequitur*; » n. 22. Porro gratia per quam fiunt opera, qua Christus jugiter influit in opera, quæ hujusmodi opera prævenit, comitatur et subsequitur, est sane gratia actualis et ordinis supernaturalis; ergo talis gratia requiritur, ut opera sint apud Deum meritoria.

Ex eodem Concilio, sess. 14, c. 8, non est *satisfactio* pro *pœna temporali* apud Deum absque *cooperante gratia Christi:* porro magis est mereri aliquid supernaturale, quam pro pœna temporali satisfacere; ergo, etc.

Tandem media debent esse fini proportionata : atqui actus meritorius unum est ex potissimis mediis ad consequenda bona supernaturalia; ergo talis actus debet esse supernaturalis in se seu ex parte gratiæ. Sed insuper

2. Ex parte *motivi;* ita contra Vasquez, qui asserit sufficere motivum ordinis *naturalis*. Etenim in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed *fides,* quæ *per charitatem operatur;* ergo ad meritum supernaturale requiritur motivum fidei.

Insuper quoties Scriptura promittit præmium nostris operibus, vel loquitur de actibus in se supernaturalibus, ut sunt actus fidei, spei et charitatis, vel, cum de moralibus loquitur, illis addit aliquod, quo supernaturale motivum indicet, v. g., *in nomine meo, propter me.*

Revera, ad meritum proprie dictum, requiritur proportio inter actum et præmium : atqui nulla adest proportio inter actum, qui elicitur ob motivum seu finem ordinis naturalis, et præmium seu finem ordinis supernaturalis; ergo, etc.

343. — An autem necessarius sit actus a *charitate* elicitus aut imperatus, non consentiunt Theologi. Quidam affirmant inter quos S. Bonavent., Bellar., Billuart, Bossuet, *Lettre* 182, t. 26, et fortasse S. Th. 1 p., q. 95, a. 4; 1. 2, q. 144, a. 4. Alii vero multo plures negant, et quidem merito.

Namque Christus promittit vitam æternam iis, qui faciunt opera misericordiæ, aut servant mandata; Matth. 19, 25; ergo justi præmium supernaturale mereri possunt per actus supernaturalès virtutum etiam moralium.

Conc. Trid. declarat « *nihil amplius requiri* ad promerendam *vitam æternam,* quam influxus Christi in opera justorum per gratiam autecedentem, concomitantem et subsequentem facta; » et absolute definit « hominis justificati *opera per gratiam facta* vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, etc., » n. 22, 54; ergo justi vere merentur apud Deum per opera, quæ ex charitate non eliciuntur, nec ea imperantur.

Et vero actus aliarum virtutum, licet immediate non attingant Deum ipsum, cedunt tamen in ejus gloriam, atque sunt boni bonitate supernaturali ex parte principii et motivi, ac proinde fini supernaturali consequendo proportionati.

Cæterum, constat opera justorum magis meritoria fieri posse, cæteris paribus, ex multitudine et difficultate operum; objecti excellentia; ex majori intensitate, duratione et libertate actus; ex relatione charitatis, imo ex charitatis relatione actuali, quæ magis ad meritum confert, quam virtualis; ita Suarez et alii plerique.

344. — III. Ex parte *Dei retribuentis* requiritur *promissio*.

Ex merito enim de condigno, verum jus consequitur ad præmium : atqui repugnat Deum, cum sit supremus omnium Dominus, posse ab aliquo obligari, nisi ipse velit; ergo « vita æterna tanquam *merces ex ipsius Dei promissione* bonis justorum operibus et meritis fideliter reddenda est, » ut ait Conc, Trid,, n. 22. Itaque, ratione operis meritorii, Deus non fit simpliciter debitor nobis, sed *sibi ipsi*, inquantum debitum est, ut sua promissio adimpleatur : S. Th. 1. 2, q. 114, a. 1.

Præterea, ex parte Christi, merita justorum specialem dignitatem et valorem desumunt, propter tria : 1. Justi, utpote fratres Christi et ejus membra, Deo sunt amabiliores, et in majori pretio : siquidem filius amici, licet alias sit per se amabilis, peculiari tamen modo placet, quia filius amici est; sic etiam vestes Sanctorum, propter horum excellentiam, dignæ speciali religione censentur. 2. Promissio, in qua fundantur merita justorum, nititur meritis Christi, et ideo non omnino gratis nobis facta est. 3. Christus, ob præcedentia merita sua, semper offerendo Patri nostra merita, horum auget acceptabilitatem.

Ad supernaturale meritum de *congruo*, omnes recensitæ conditiones requiruntur, præter statum gratiæ et promissionem ex parte Dei.

NUMERUS III

De objecto meriti supernaturalis.

PROPOSITIO

345. — *Justi possunt vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia deces-*

serint, consecutionem, et gloriæ augmentum. De fide est. Hoc enim iisdem terminis definivit Conc. Trid., n. 54. Idem probant omnia argumenta jam allata de meriti supernaturalis existentia et conditionibus. Et revera, ut illa mereatur justus, possunt concurrere in ipso, ut patet, omnes conditiones ad verum meritum requisitæ. Unde, si justus potest mereri augmentum gratiæ sanctificantis, hoc ipso per justificationem *jus* acquirit ad gratias *actuales*, quæ necessariæ sunt ad opera bona perficienda, ex quibus illud augmentum pendent.

346. — *Quæritur* 1° *quandonam* detur gratiæ augmentum homini, qui illud meretur?

Resp. Controvertitur. Juxta S. Th., gratia non statim augetur, sed suo tempore, cum, scilicet, aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum; 1. 2, q. 114, a. 8, ad 3.

Alii vero sentiunt augmentum gratiæ dari statim ac homo illud meretur. Nam, ex parte status, homo est capax ejus, et nullum habet impedimentum, sed jus ad illud; et ideo statim persolvitur ab æquissimo Patre-familias, tanquam justum stipendium ad viam transigendam vel necessarium, vel opportunissimum. Vide Billuart, *de Charitate*, dissert. 2, art. 2.

347. — *Quæritur* 2° an gratia adeo crescere possit per merita justorum, ut hi possint *omnia peccata venialia collective sumpta* vitare?

Resp. negative, et de fide est. Dicitur enim: « Non est justus in terra, qui faciat bonum, et *non peccet* » Eccle. 7, ℣ 21. — *In multis offendimus omnes;* Jacob. 3, ℣ 2.

Conc. Trid. declarat *quantumvis sanctos et justos*, in *levia* saltem et quotidiana, quæ etiam *venialia* dicuntur, peccata *quandoque cadere;* atque idem sic definivit: « Si quis hominem semel *justificatum* dixerit posse *in tota vita* peccata *omnia etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio*, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit; » n. 45.

Et revera, gratia justificationis et actus supernaturales in statu gratiæ patrati, non minuunt concupiscentiam per substractionem, nec per remissionem ipsius appetitus, sed per additionem bonorum habituum, vel diminutionem malorum; et ideo, quantumvis multiplicentur gratia et actus, vel perficiantur habitus, sub illis semper remanet appetitus cum sua integra inclinatione naturali : atqui, ex dictis, n. 264, ratio non potest esse semper pervigil ad omnes concupiscentiæ motus vitandos; ergo nec vitare omnia peccata venialia.

348. — *Quæritur* 3° an justi mereantur *primam gloriam*, gratiæ sanctificanti, quæ nos primum justificat, correspondentem?

Resp. Controvertitur. Quidam negant; alii vero multo plures affirmant, inter quos, S. Th., Bellarm., Vasquez. Suarez. Et revera, in Scriptura, non solum augmentum gloriæ, sed ipsa gloria secundum totum suum esse, tanquam merces meritorum promittitur, et ideo *corona justitiæ* et *denarius diurnus* vocatur; Matth., 20, v 9; II Tim. 4, ℣ 8; Jacob. 1, v 12. Insuper Conc. Trid., in definitione jam allata, dicit justum vere mereri *augmentum gratiæ;* de gloria autem declarat justum vere mereri *vitam æternam*, et *augmentum gloriæ*: porro, dicendo *vitam æternam*, totam includit; et cum addit *et augmentum gloriæ*, iterum declarare videtur per *vitam æternam* intellexisse ipsam substantiam gloriæ ab initio ejus. Unde hæc sententia est valde probabilior.

349. — *Quæritur* 4° an *prima gratia*, quæ nos primum justificat, *perseverantia finalis*, et, *pro altero*, *gratia* justificans et *gloria* cadant sub merito?

Resp. negative. Et quidem 1. non *prima gratia habitualis*. Dicitur enim : *Justificati gratis per gratiam*, Rom. 3, ℣ 24. Conc. Trid. hæc verba sic exponit : « *Gratis justificari* ideo dicimur, quia nihil eorum, *quæ justificationem præcedunt*, sive fides, sive opera, *ipsam justificationis gratiam promeretur;* » n. 14.

Et vero meritum proprie dictum præsupponit statum gratiæ habitualis, n. 341; ergo gratia primum justificans non cadit sub merito.

2° Nec *perseverantia finalis*. Quæ perseverantia consistit in coexistentia mortis cum statu gratiæ : porro nuspiam promittitur justis hujusmodi perseverantia concedenda tanquam merces. Aliunde « haberi non potest, *nisi ab eo* qui potens est, eum qui stat, statuere *ut perseveranter stet*, et eum, qui cadit, restituere, » ut ait Conc. Trid. n. 19: porro, quod meretur homo, etsi principaliter sit a Deo, non dicitur tamen a solo Deo, sed ab homine per sua merita; ergo donum perseverantiæ non cadit sub merito.

3° Nec *gratia* justificans aut *vita æterna pro altero*. Talis enim meritorius effectus soli Christo promissus est, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 220, 222.

350. — Certum est autem hominem posse mereri *de congruo* gratiam justificantem, ut dictum est, n. 285, perseverantiam finalem, et alteri primam gratiam.

Similiter, potest homo justus de congruo mereri sibi et aliis bona temporalia, quatenus considerantur ut utilia ad vitam æternam. Cum vero hujusmodi bona non sint simpliciter bona, sed in ordine gratiæ veluti indifferentia, quia sæpe plus obsunt quam prosunt, ideo nec absolute consideranda, nec absolute petenda sunt; ac proinde apud Deum non computantur ut præmium, sed, quando expedit, quasi pro corollariis dantur, juxta illud : *Hæc omnia adjicientur vobis;* Matth. 6, ℣ 33.

APPENDIX

DE GRATIIS GRATIS DATIS.

351. — *Quæritur* 1° *quid* et *quot* sint gratiæ gratis datæ?

Resp. Gratiæ gratis datæ sunt *dona supernaturalia per se* et *primario* data *ad aliorum utilitatem,* seu ad aliorum supernaturalem cum Deo conjunctionem promovendam; etsi

secundario et *per accidens*, videlicet, ex intentione operantis, ordinari possint ad bonum proprium subjecti; et in hoc discrepant a *gratia gratum faciente*, quæ primario et per se ad *propriam cujusque salutem* ordinatur, n. 94.

Novem species gratiæ gratis datæ plerique Theologi, post S. Th., colligunt ex Apostolo, I Cor. 12, ℣ 8-10, nempe: *fides, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum* et *interpretatio sermonum*.

Et revera, gratia gratis data a Deo conceditur homini, ut cooperetur aliorum saluti, non quidem interius movendo (quod solius Dei est), sed exterius *docendo* et *persuadendo*: ad hoc autem tria requiruntur, scilicet, 1. plena rerum divinarum cognitio, et gratia sermonis ad alios erudiendos et informandos; 2. probatio et confirmatio eorum quæ docentur, ut doctrina sit efficax; 3. prolatio auditoribus conveniens, et genuina divinæ doctrinæ expositio, ut accipi possint. Porro,

I. *Ad cognitionem doctrinæ*, tria sunt necessaria, nempe, *fides, sermo sapientiæ*, et *sermo scientiæ*.

1° *Fides*, prout hic sumitur, non est virtus quædam pertinens ad sanctificationem hominis in seipso; sed est *eximia* quædam ac *supereminens principiorum* fidei *intelligentia* et *convictio*, ex qua homo fit *idoneus* ad ea *aliis exponenda*, necnon ad *intrepide* et *firmiter* illa *defendenda*; ita Suarez, Sylvius, Montagne. Juxta alios, hæc fides ea est, qua patrantur miracula, ita S. Chrys. et Græci, Cajet., Vasquez: vel est *sermo fidei* seu donum, quo ministri Ecclesiæ, aut alii etiam fideles, qui apti non sunt ad publice docendum, juvantur ad instruendos alios in fide, simpliciter doctrinam fidei proponendo et accommodate, ut ab ignorantibus etiam et rudibus percipi possit.

2° *Sermo sapientiæ* est sive *accurata notitia* præcipuarum conclusionum, quæ ex altissimis fidei principiis deducuntur, sive *promptitudo* easdem aliis proponendi, explicandi et defendendi.

3° *Sermo scientiæ* est tum *cognitio* rerum *humanarum*, tum eis utendi *promptitudo* ut, ope exemplorum, effectuum

et aliorum sensibilium, quis valeat apte et expedite exponere, explicare et defendere illa fidei principia, et ex his præcipuas conclusiones : *Invisibilia* enim *Dei per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur*. Rom. 1. ỳ 20.

Itaque sapientia et scientia inter gratias gratis datas computantur, inquantum important non solum quamdam abundantiam *cognitionis* rerum divinarum et humanarum ; sed insuper gratiam *sermonis* qua, scilicet, sine conatu et labore, sed et sapienter, apte et rationabiliter, quis sciat legis mysteria explanare ad instruendum, delectandum et movendum hominem. Ideo Apostolus non dixit, *sapientia, scientia,* sed *sermo sapientiæ, sermo scientiæ*. Ita S. Th., S. Ansel., S. Hieron., Caj., Suarez.

II. Ad *confirmationem* doctrinæ divinitus revelatæ, non sufficiunt argumenta sicut in his, quæ subduntur rationi, sed requiritur ut doctor evangelicus interdum ea operetur, quæ sunt divinæ virtuti propria. Atqui hoc fit dupliciter : vel *faciendo* ea, quæ solus Deus facere potest in operibus miraculosis, scilicet, per *gratiam sanitatum*, et *operationem virtutum :* vel *manifestando* ea, quæ Deus solus scire potest, nempe per *prophetiam* et *discretionem spirituum*.

1° *Gratia sanitatum* est virtus supernaturalis *sanandi corpora*, per quam potest quis alteri fidem *specialiter* persuadere.

2° *Operatio virtutum* ea est, qua quis in fidei confirmationem *miracula* operari potest.

3° *Prophetia* est ea cognitio, qua *res occultæ præsertim futuræ*, vel *a cognitione nostra* procul *remotæ*, ex *divina revelatione* cognoscuntur, ut aliis manifestari possint. Ad hanc igitur gratiam requiritur 1. apprehensio rei per prophetiam revelandæ, et ideo veritatis prophetandæ revelatio per locutionem in mente factam, sive incipiat sensibus, sive non ; 2. *assensus* seu judicium de veritate rei sic apprehensæ, et ideo virtus aliqua, quæ adjuvet ad assensum supernaturalem veritati uti revelatæ præbendum ; qui si deficiat, non adest gratia gratis data prophetiæ, sed solum quædam prophetiæ inchoatio, vel instinctus quidam propheticus, sicut in Caipha, Joan. 11, ỳ 51. Ita S. August.,

lib. 12 Genes.; S. Epiphan., S. Gregor., S. Th. 2. 2, q. 171. a. 1; Suarez.

4° *Discretio spirituum* est gratia, per quam quis *cogitationes cordium* cognoscit, S. Th. 1. 2, q. 111, a. 4; vel per quam quis discernit *inter varios motus, a quo spiritu proveniant, malone, an bono;* ita S. Chrys., Theophyl., Theodor., Hieron., Ambr., Anselm., Suarez. Hic ergo non agitur de discretione spirituum per christianam prudentiam, utendo regulis ab Ecclesia traditis vel probatis ad discernendos bonos spiritus a malis; sed de ea, quæ fit per specialem instinctum et motionem Spiritus Sancti, et quæ dari solet aliquibus sanctis viris, quos S. Paulus vocare videtur *spirituales viros;* I Cor. 14, ✝ 37.

Notandum 1. Illæ quatuor gratiæ in hoc quidem conveniunt, quod sint opera miraculosa, et ideo manifestent divinam potentiam; sed a se invicem discrepant in eo, quod habent speciales quasdam rationes movendi ad fidem. Sic *gratia sanitatum* promptius et facilius ad fidem inducit ægrotantem ex beneficio sanitatis miraculose sibi restitutæ, quam sola demonstratio potentiæ divinæ per *operationem virtutum*. Idem dicendum est de *prophetia,* et de *discretione spirituum*.

2. Donum patrandi miracula aliquibus fuit indefinite concessum, v. g., Moysi et Apostolis; sed usus istius potestatis pendebat ex motione actuali Spiritus Sancti, qui mentes eorum specialiter movebat ad judicandum miraculosum effectum expedire; S. Th. 2. 2, q. 178, a 1, ad 1. Hactenus autem gratia sanitatum et operatio virtutum in corpore Ecclesiæ suo modo permanent. Imo gratia sanitatum, non vero virtutum, per modum *habitus* usque nunc durare videtur in Ecclesia, et interdum communicari aliquibus certis personis; fortasse quia effectus illius gratiæ non solum animis, sed etiam corporibus utilis est, et ad multorum hominum fragilitatem sublevandam vel adjuvandam conveniens. Vide Tract. *de Eccl.* n. 108, 142.

III. Ad *prolationem* rerum divinarum, duo requiruntur, *idioma* auditoribus familiare, per *genera linguarum;* et *ge-*

nuinus divinæ doctrinæ *sensus* ope illius idiomatis expositus, per *interpretationem sermonum*.

1° *Gratia linguarum* est donum, quo quis, *ex speciali Dei beneficio, diversis linguis uti potest*, ut intelligatur ab omnibus, quibus fidem annuntiat.

Hoc autem duplici modo fieri potest, vel ex parte audientium, vel ex parte loquentis. Si prius, vel audientes percipiunt significationem ejusdem idiomatis, vel, occasione unius idiomatis, in auribus cujusque sonat idioma proprium et respectivum : in utroque casu, ut patet, quidquid in hac gratia est supernaturale, fit ex parte audientium, non autem loquentium. Si posterius, loquens utitur variis idiomatibus, non quidem simul et formatione ejusdem vocis, sed successive, juxta occurrentes occasiones ; et hoc modo gratia conceditur ipsi loquenti.

Porro certum videtur donum linguarum consistere in facultate divinitus alicui data ad loquendum variis linguis, quas antea ignorabat; Scriptura enim et SS. Patres non possunt proprie et sincere aliter explicari. Attamen probabile est primam prædicationem Petri intelligendam esse in priori modo.

2° *Interpretatio sermonum* est donum, quo quispiam potest *obscura* et *difficilia*, præsertim quæ in *Scripturis revelata* sunt, *interpretari*; ita S. Th., Suarez et alii communiter. Ad hujusmodi donum pertinere videtur gratia, quæ datur S. Pontifici aut Concilio generali ab ipso approbato, ad definiendas res fidei, et quæ in Pontifice *clavis scientiæ* appellatur.

332. — *Quæritur* 2° an novem præfatæ species *comprehendant omnes gratias gratis datas ?*

Resp. Juxta plures, S. Paulus, in textu allato, non sibi proposuit recensere omnes omnino gratias gratis datas, sed earum duntaxat præcipuas. Siquidem multa sunt alia dona supernaturalia ad spiritualem aliorum utilitatem ex se primo ordinata, quæ non videntur comprehendi sub assignatis novem gratiæ gratis datæ speciebus ; v. g. character Ordinis, seu potestas sacrificium offerendi et sacra-

menta ministrandi; *gubernationes* seu ministeria ex speciali jurisdictione, præsertim in foro interno, concessa Ecclesiæ; *opitulationes*, seu curationes infirmorum, distributiones eleemosynarum, quatenus ex dono gratuito Spiritus Sancti fieri possunt; ita Bellarm., Vasquez, Suarez, et alii.

Attamen plerique alii Theologi sentiunt, alias, quæ afferri possunt, gratias gratis datas reductive pertinere ad aliquas ex dictis novem; v. g., character sacerdotalis commode revocari potest ad *operationem virtutum*; similiter ad eamdem, vel ad gratiam sapientiæ, aut scientiæ reduci possunt *opitulationes*, *gubernationes*, de quibus loquitur Apostolus, I Cor. 12, ℣ 28. Ita S. Th. 1. 2, q. 3, a. 4, Estius, Sylvius, Montagne.

383. — *Quæritur* 3° an gratiæ gratis datæ *communes* sint *justis* et *peccatoribus*?

Resp. affirmative. Et quidem possunt esse 1. in *justis*, quum illas habuerint Christus, Apostoli et insigniores Sancti. Attamen non *omnibus* justis etiam perfectis conferuntur, tum quia non est necesse ad communem Ecclesiæ utilitatem, ut justi omnes ministrent aliis, nec per specialem gratiam ad hoc subleventur; tum « ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis majora dona esse, quam in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur, » ut ait S. Aug. *Quæst.* lib. 83, q. 79.

2. In *peccatoribus* etiam, ut patet ex verbis Christi: « Multi dicent in illa die : Domine, Domine, in nomine tuo *prophetavimus*, etc.; » Matth. 7, ℣ 22. et exemplis in Caipha et Balaam, ex quibus colligitur etiam sine fide posse aliquem prophetare, vel miracula facere, vel dæmones expellere in honorem nominis Christi, ut tradit S. August. *ibid.*

Et vero, opera spectantia ad gratias gratis datas, non pertinent per se ad voluntatem, nec hujus rectitudinem postulant, sicut gratia gratum faciens. Præterea in his operationibus Deus est, qui principaliter operatur; ergo potest uti

instrumento, quo voluerit, sicut utitur homine peccatore vel infideli in collatione Baptismi. Proinde gratiæ gratis datæ non sunt per se certa signa sanctitatis.

Ordinarie tamen nonnisi per justos et bonos talia signa operatur Deus; et ideo, quando vita non discordat, non solum vitam bonam, sed et excellentem gradum sanctitatis indicant, præsertim si frequentia sint, nec aliunde ullum indicium deceptionis aut simulationis conjunctum habeant. Unde, quando signa fiunt ab homine infideli vel hæretico, ordinarie ac fere semper non sunt vera, sed apparentia, vel talia quæ naturali virtute dæmoniorum fieri possunt; quod sat facile dignoscitur, si attenta mente et recta fide considerentur, cum omnibus circumstantiis, quibus fieri solent. Vide Tract. *de Revelat.* n. 102.

CAPUT VI

DE GRATIÆ CONSUMMATIONE SEU DE GLORIA

Dicemus, de gloria animæ, de gloria corporis, et de prædestinatione ad utramque.

ARTICULUS PRIMUS

De Gloria animæ.

Præsens materia absolvetur, disserendo 1° de præviis ad animæ gloriam, 2° de notione et existentia gloriæ pro anima justorum, 3° de ejusdem natura, 4° de tempore quo incipit, 5° de ejusdem perpetuitate.

§ I

De præviis ad animæ Gloriam.

354. — Tria sunt ad gloriam prævia, scilicet, mors, judicium particulare, et, pro iis, qui in hac vita pro peccatis plene non satisfecerunt, purgatorium. Quæ vero purgatorium spectant, melius exponuntur et facilius intelliguntur post Tract. *de Pœnit.* Hic igitur quædam dicemus tantum de morte, et de judicio particulari.

NUMERUS PRIMUS

De Morte.

355. — *Quæritur* 1° quid sit mors, quænam ejus necessitas et incertitudo?

Resp. 1. Mors *corporalis* et *physica* est vitæ cessatio in corpore humano, quæ contingit dissoluta inter animam materiamque corpoream unione vitali.

2. Certum est mortem esse hominibus statutam et semel obeundam, Hebr. 9, ℣ 27, in pœnam originalis peccati, n. 243, ac proinde tali pœnæ obnoxios esse illos omnes, qui originale peccatum ex Adamo contrahunt.

Equidem Christus nullo modo potuit tale peccatum contrahere; et tamen mori voluit, ut, moriendo, ostenderet veritatem naturæ assumptæ; sed etiam pro nobis satisfaceret et a timore mortis nos liberaret; et tandem ut, corporaliter moriendo similitudini peccati, seu pœnalitati, daret nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato; atque, a mortuis resurgendo, et virtutem suam ostenderet, qua mortem superavit, et nobis spem resurgendi a mortuis daret. S. Th. 3 p., q. 50, a. 1.

Unde mors, dum *statui viæ* finem imponit, n. 341, dat initium *statui termini*. Quare SS. Patres passim mortem considerant, ex una parte, ut pœnam peccati; ex altera vero, ut causam triumphi : cum per eam corpus peccati destruatur, et post eam vere vita incipiat; eadem ratione Ecclesia *mortem* Sanctorum, tanquam eorum diem *natalem*, celebrare consuevit.

3. Nec minus constat mortem, de lege ordinaria, venturam esse tempore incerto, ut homines indesinenter vigilent, semperque de sua salute sint solliciti, juxta illud : *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Matth. 25, ℣ 13.

356. — *Quæritur* 2° cur corpus, post mortem, *in pulverem* resolvatur?

Resp. Resolutio corporis est effectus naturalis simul et pœnalis. *Naturalis* quidem. Semota enim anima, quæ est forma seu principium vitale corporis, nulla superest causa

unionis inter elementa, quæ illud componunt; ideoque ejus resolutio est quasi mortis consummatio et naturalis effectus.

Sed etiam *pœnalis*, juxta illud : *Quia comedisti* de ligno... *pulvis es, et in pulverem reverteris;* Gen. 3, ℣ 17, 19. Et vero, ex originali peccato, corpus humanum radicitus est infectum incendio fomitis; ergo, ad purgationem hujusmodi infectionis, oportet usque ad prima componentia illud corpus resolvi. Unde reliquiæ, quæ remanent, humano corpore resoluto, dicuntur *cineres*, tum quia illud corpus in pulverem resolvitur ob incendium fomitis; tum quia communis mos erat apud antiquos corpora mortuorum comburere, et cineres reservare. S. Th., Suppl. q. 78, a. 2.

Corpus autem Christi incorruptum in sepulcro servatum est, eo quod nunquam fuerit fomite infectum. Aliunde ejus putrefactio et incineratio nec utilis erat ad nostram salutem, nec decebat personam Verbi, quæ tali corpori etiam mortuo unita permansit; et propterea dictum est : « Non dabis *Sanctum tuum* videre *corruptionem;* » Ps. 15, ℣ 10. S. Th. 3 p., q. 51, a. 3.

NUMERUS II

De Judicicio particulari.

357. — *Quæritur* quid sit judicium particulare, quænam ejus necessitas, et modus?

Resp. 1. Per *judicium particulare* hic intelligitur examen et sententia Dei, unicuique, statim post mortem, præmium vel pœnam secundum opera sua decernentis.

2. Certum est *hominem quemlibet, statim post mortem, particulare judicium subire.* Namque « statutum est hominibus *semel mori, post hoc autem judicium;* » Hebr. 9, ℣ 27. — « Facile est coram Deo, *in die obitus*, retribuere *unicuique secundum vias suas;* » Eccli. 11, ℣ 28. Idem constat traditione constanti : « Sicut illi, qui e carceribus educuntur, una cum ipsis catenis ad judicium protrahuntur; sic *omnes animæ, cum hinc emigraverint*, variis peccatorum pœnis implicitæ, *ad terribile illud ducentur tribunal.* » S. Chrysost. Homil. 4 *in Matth.*

Et vero, animæ statim post mortem præmium vel pœnam recipiunt, ut infra dicetur, n. 375 ; ergo statim post mortem a Deo judicantur. Aliunde, quilibet homo est et *singularis quædam* persona, et *pars* totius generis humani ; ergo judicium particulare seu personale ei debetur ut personæ privatæ, et, ut membro generis humani, judicium universale in fine mundi.

3. Illud autem judicium fiet, probabilius, per quamdam mentis illuminationem, qua anima clare percipiet sibi juxta opera sua retribui. Etenim, ex S. August., nomine libri illius, qui in judicio proferendus dicitur, Apoc. 20, ỳ 12, « *quædam vis est intelligenda divina*, qua fit, ut cuique opera sua, vel bona, vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et *mentis intuitu mira celeritate cernantur ;* ut accuset, vel excuset conscientia, atque ita simul omnes et singuli judicentur. Quæ nimirum vis divina *libri* nomen accepit ; in ea quippe quodammodo legitur, quidquid, ea faciente, recolitur. » *De Civit.* lib. 20, c. 14 ; Bossuet, *Médit., journ.* 90.

§ II

De notione et existentia Gloriæ pro animabus Justis.

Duplex est elementum gloriæ pro animabus justis, visio scilicet et amor beatificus. Unde dicemus, 1° de notione illius gloriæ, 2° de visione Dei beatifica, 3° de amore beatifico.

NUMERUS PRIMUS

De notione Gloriæ pro animabus Justis.

358. — *Quæritur* quid sit *gloria* in genere, et in præsenti casu?

Resp. Gloria in genere est *clara notitia cum laude ;* S. Th. 1. 2, q. 2, a. 3 : id est, quædam eximia cognitio et specialis amor. Unde tot sunt gloriæ species, quot species cognitionis et amoris.

Gloria autem, prout hic sumitur, definiri solet : *Dei cognitio et amor supernaturalis et perfectus ab animabus iustis.*

Dicitur 1° : *Dei cognitio et amor;* quibus tria indicantur, scilicet, 1. gloriam consistere non proprie in habitibus, quales sunt habitus fidei et charitatis, sed in actibus cognitionis et amoris; 2. ad veram gloriam non sufficere notitiam quantumcunque claram, sed insuper requiri æqualem amorem ; 3. objectum primarium et essentiale gloriæ, de qua agitur, esse Deum, secundarium autem entia contingentia quatenus cum Deo ut primo principio et fine ultimo conjunguntur. Quare hujusmodi cognitio et amor est gloria apud Deum ; et exinde distinguitur a gloria apud homines, quæ ordinarie *humana* nuncupatur.

Dicitur 2° : *supernaturalis*; tum ex parte principii, tum ex parte finis, tum in se ; et in hoc gloria, de qua hic movetur quæstio, convenit cum gratia, et differt a Dei cognitione et amore ordinis mere naturalis.

Dicitur 3° : *et perfectus* seu consummatus sub omni respectu, ita ut, per illam cognitionem et amorem, anima justorum finem suum supernaturalem revera assequatur, et in eo plene et in æternum quiescat. Exinde gloria habet rationem perfectæ beatitudinis et finis ultimi ; atque discrepat a Dei cognitione et amore per gratiam, qui, utpote inchoatus tantum, nec plene satiat animam hominis justi, nec finem ultimum ordinis supernaturalis per se constituit, sed ad supernaturalem gloriam se habet tanquam medium ad finem, initiatio ad consummationem. Propterea perfecta illa Dei cognitio et amor nuncupatur *gloria simpliciter ;* dum cognitio et amor Dei per gratiam in statu viæ, vocatur *gloria secundum quid.*

Dicitur 4° : *ab animabus justis ;* quibus duo significantur, nempe, illius gloriæ subjectum, seu anima aut Angelus, quibus inhæret gratia sanctificans tanquam medium ad gloriam ; et hujus discrimen a gloria Deo intrinseca, seu a duplici actu intellectus et voluntatis, quo Deus, generando Verbum per sui cognitionem, et spirando Spiritum Sanctum per sui amorem, in seipso infinite fruitur, sicque in suo fine ultimo ab æterno quiescit.

Talis status omni ex parte perfectus, in Scriptura variis nominibus designatur, silicet, vocatur æterna beatitudo,

vita æterna, tabernaculum æternum, patria nostra, regnum æternum, corona vincentibus destinata, paradisus Dei, hæreditas, convivium, nuptiæ, sessio in throno Christi, sabbatismus. Matth. 5, ỳ 20 ; 22, ỳ 2 ; Luc. 22. ỳ 30 ; I Cor. 11, ỳ 25 ; II Cor. 5, ỳ 1, 8 ; Hebr. 4, ỳ 9 ; 11, ỳ 14 ; I Petr. 1, ỳ 4 ; Apoc. 2, ỳ 7 ; 3, ỳ 21. Scholastici statum animæ beatæ nomine *comprehensionis, termini, patriæ* designant, utpote statui hujus vitæ oppositum, quæ a S. Paulo exhibetur ut *stadium, cursus, peregrinatio.*

NUMERUS II
De Visione Dei beatifica.

Triplex erit punctum, 1° de notione et existentia visionis beatificæ, 2° de ejusdem characteribus, 3° de objecto.

PUNCTUM PRIMUM
De notione et existentia Visionis beatificæ.

359. — Visio beatifica seu intuitiva est *clara Dei, prout in se est, cognitio.*

Dicitur 1 : *clara*, ut distinguatur a Dei cognitione per fidem acquisita, quæ obscuritate non vacat.

Dicitur 2 : *Dei prout in se est, cognitio*, ut secernatur a Dei abstractiva cognitione, qua in terris homo naturaliter instruitur, n. 197. Quæ notio fusius evolvitur, n. 361, 371, 372.

Jam vero Palamitæ, seculo XIV, dicebant Deum a beatis non intuitive, sed tantum abstractive videri.

PROPOSITIO

360. — *Justi in patria Deum intuitive vident.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : « Hæc est *vita æterna*, ut *cognoscant te* solum Deum verum, et quem misisti *Jesum Christum*... Volo ut *videant claritatem meam ;* » Joan 17, ỳ 3, 24. « Scimus quoniam, cum *apparuerit, similes ei* erimus, quoniam *videbimus eum sicuti est ;* » I Joan. 3, ỳ 2, — « Videmus nunc per speculum et in ænigmate : tunc autem *facie ad faciem.* Nunc cognosco *ex parte ;* tunc autem *sicut et cognitus sum.* » I Cor. 13, ỳ 12 : porro videre claritatem

ipsius Verbi, videre Deum sicut est, sicut ipse nos videt, facie ad faciem, sane est visio clara, non abstractiva, sed facialis et intuitiva; ergo, etc.

2° *Traditione*. « Clarum est neminem unquam vitæ tempore Deum *evidenter* comprehendere : qui sunt autem *mundi corde, videbunt*, postquam extremam perfectionem attigerint; » Clem. Alex. *Stromat.* lib. 5. — « *Invisibili* Deo, *non in secula seculorum*, sed tantum in hoc seculo; » S. August. *Epist.* 3. — « In cœlo tam omnium rerum notitia, quam *ipsa Dei substantia plane* et *perfecte videbitur;* » S. Prosper, *de Vita contempl.* lib. 1, c. 13. — « In hoc erit vita æterna, ut *cognoscamus Patrem et Filium cum Spiritu Sancto*, et Deum videamus *sicuti est*, id est, *non modo sicuti inest nobis* aut cæteris creaturis, sed *sicut est in semetipso;* » S. Bernard. Serm. 4, *de Festo omn. Sanct.*

Conc. Flor. definivit « animas justorum, post mortem *clare intueri ipsum Deum trinum, sicuti est.* » Jam Conc. Viennense definierat, « animam indigere lumine gloriæ ad *Deum videndum*, et eo beate fruendum : » porro in his verbis manifeste snpponitur hoc lumen gloriæ Beatis reipsa concedi, et ideo Beatos Deum intuitive videre.

3° *Ration. theol.* Gloria est finis creaturæ intellectualis in ordine supernaturali : porro finis creaturæ intellectualis est perfecta cognitio et amor Dei; ergo gloria est in primis perfecta seu intuitiva Dei visio in ordine supernaturali.

Et vero gloria est finis seu consummatio gratiæ : atqui vita gratiæ est in cognitione et amore Dei per fidem et charitatem; ergo vita gloriæ in primis est in visione Dei, quæ fidei imperfectionem excludit.

PUNCTUM II

De characteribus Visionis beatificæ.

Hic evolvere tantum intendimus visionis intuitivæ perfectiones in thesi præcedenti implicite statutas.

PROPOSITIO

361. — *Visio intuitiva est immediata, clara, certissima, non in omnibus æqualis, non comprehensiva.* De fide est.

Et quidem 1° *immediata*, seu absque discursu, et per nudam apprehensionem, ita ut Deus cognoscatur per propriam speciem, sicut actu in seipso existit. *Clara* etiam, seu absque obscuritate quacunque et cum perfecta evidentia supernaturali.

Quæ duo constant ex supradictis. Nam, ex S. Paulo, « in cœlo cognoscitur Deus, non per speculum, et ænigmate, sed *facie ad faciem*, ita ut cognoscatur Deus, *sicut Deus et nos cognoscit*, atque evacuetur quod ex *parte* est, ut adsit quod *perfectum* est; » I Cor. 13, ℣ 12 : porro expressius significari nequit visio immediata atque clara, ut patet.

Insuper definitum est a Conc. Flor., « Beatas animas *clare* intueri Deum trinum et unum *sicuti est;* » et ex Benedict. II, Papa, « Beati videbunt divinam essentiam *immediate* se bene, *clare* et *aperte* illis *ostendentem.* »

Tandem fide constat illam visionem pendere a lumine perfectissimo, excludere fidem et spem, atque ideo plene satiare appetitum videndi, juxta illud : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* Ps. 16, ℣ 15 : porro talia esse non possunt absque visione ex omni parte perfectissima.

2° *Certissima*. Gradus enim adhæsionis pendet ab evidentiæ gradu : porro in illa visione evidentia est perfecta : ergo et certitudo.

3° *Non in omnibus æqualis*. De fide est contra Jovinianum, quarto seculo; et Lutherum, n. 133. Constat.

1. *Script.* « In domo Patris mei mansiones *multæ* sunt; » Joan. 14, ℣ 2. Hoc illustrat S. Paulus comparatione : « *Alia claritas solis, alia claritas stellarum;* stella enim a stella differt in claritate : *sic et resurrectio mortuorum;* » I Cor. 15, 41 : porro splendor corporum ex gloria animæ profluit : ergo inæqualis est gloria animarum. « Unusquisque propriam mercedem accipiet *secundum suum laborem*; » I Cor. 3, ℣ 8.

2. *Ex Conc. Flor.*, quod sic habet : « *Credimus*... animas... (quibus nihil luendum superest) in cœlum mox recipi et intueri clare ipsum Deum... sicuti est, *pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.* »

3. *Ration. theolog*. Inæqualitate meritorum, servatis legibus æquitatis, necessario respondet inæqualitas in præmio : « Qui *parce seminat, parce et metet*; qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet; » II Cor. 9, ℣ 6. Insuper supplicium, juxta Scripturas, diversnm est pro diversitate criminum : « Potentes *potenter tormenta patientur*..., fortioribus fortior instat cruciatio; » Sap. 6, ℣ 7. — *Quantum glorificaverit se et in deliciis fuit, tantum date tormentum et luctum*; Apocal. 18, ℣ 7. Tandem æqualitas præmiorum torporem ac socordiam generaret; ergo diversum est præmium pro meritorum et virtutum diversitate.

4° *Non comprehensiva*. Nam Conc. Lateran. IV sic habet : *Firmiter credimus, quod Deus est incomprehensibilis*. Et revera, comprehensio est rei cognitio cognoscibilitatem ejus adæquans, ita ut nihil in ipsa latet videntem : atqui Deus sic ab intellectu creato cognosci non potest. Cognitio enim entis infiniti cognoscibilitatem ejus adæquans, vere infinita est : porro intellectus creatus, utpote finitus, cognitionis infinitæ prorsus est incapax. Nec obstant verba : *Sic currite, ut comprehendatis*; I Cor. 9, ℣ 24; in hoc enim textu comprehensio latiori sensu accipitur, nimirum, pro assecutione termini alicujus.

Similiter, cum dicitur : *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum*, I Cor. 13, ℣ 12, comparatio cadit tantum in substantiam cognitionis, quæ ex utraque parte clara est, non vero in modum quo fit illa cognitio.

362. — Hinc 1. visio intuitiva excludit ignorantiam, seu *carentiam debitæ cognitionis*.

Per illam enim visionem, evacuatur quod ex parte est, atque satiatur videndi appetitus : porro illa stare non possunt cum carentia debitæ cognitionis; ergo non ignorant Beati, quæ illis opportuna sunt, quæque expedit illos scire. In hoc sensu Patres dicunt Beatos omnia scire. Ignorant vero ea, quorum cognitio non est necessaria ad perfectionem status ipsorum.

363. — Hinc 2. visio intuitiva excludit *omnem errorem*.

Nam, « plena lux *nihil erroneum* patitur, » ait S. Th. « In statu beatitudinis omnia erunt evidentia, intellectus sine *errore et ignorantia*, memoria sine *oblivione*, » inquit S. August.

PUNCTUM III

De objecto Visionis beatificæ.

364. — Duplex est objectum visionis Dei intuitivæ, scilicet, *primarium*, quod per se primo videtur, et in quo videntur cætera : talis est essentia divina; *secundarium*, quod in alio videtur, nec confert ad beatitudinem nisi accidentaliter : cujusmodi sunt creaturæ. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

365. — *Beati clare et intuitive vident essentiam divinam in trinitate personarum*. De fide est.

Prob. 1° *Script. Videbimus Deum sicuti est;* I Joan. 3, ℣ 2. — « Hæc est *vita æterna*, ut cognoscant te solum *Deum* verum, et quem misisti *Jesum Christum;* » Joan. 17, ℣ 3. — « Ut *societas nostra* sit *cum Patre*, et *cum Filio* ejus Jesu Christo; » I Joan. 1, ℣ 3.

2° *Ex Conc. Flor.* : « Definimus... illorum animas *intueri clare ipsum Deum trinum* et *unum, sicuti est.* »

3° *Ration. theol.* Ex dictis, n. 193 et seq., gratia saltem consequenter importat specialem relationem ad Deum ut trinum, et ad divinas personas ut distinctas, atque adeo tres personæ divinæ vere et realiter in seipsis per gratiam dantur : porro gloria correspondet gratiæ tanquam finis medio, inchoationi consummatio; ergo gloria specialem relationem ad Deum ut trinum importat per visionem intuitivam. Et vero, fidei correspondet visio : atqui in via creditur Deum esse unum et trinum; ergo et hoc clare apprehenditur in visione.

PROPOSITIO II

366. — *Beati vident complures creaturas sive existentes, sive futuras, sive mere possibiles.* Ita communiter.

Etenim beatitudo est status omnium bonorum aggrega-

tione perfectus : atqui talis esse non potest sine cognitione multarum creaturarum, quæ spectant ad cujusque statum, et quas igitur cognoscere appetunt Beati.

Scilicet, cognoscunt 1° objecta *scientiæ naturalis*, seu naturam, et ordinem rerum hujusce universitatis. « Angeli atque adeo *omnes alii* procul dubio *universam creaturam* in *ipso Verbo* Dei noverunt, » inquit S. August., *de Gen.* c. 24. Et revera, hujusmodi notitiæ inest homini naturalis appetitus, proindeque pertinet ad ejus perfectionem, et integram beatitudinem.

2° Vident omnia mysteria, quorum fidem in terris habuerunt, et quæ pertinent ad dispensationem gratiæ; talis visio est præmium et merces fidei, quæ præcessit : « Quid videbimus, nisi *Deum* et *omnia illa*, quæ nunc non videmus *credentes?* » S. August. *de Civit.* l. 20, c. 21.

3° Proinde Beati vident socios et concives beatæ patriæ, atque sese invicem suosque in patria recognoscunt; alioquin societas, ad quam homo natus est, stare non posset. « In meliorem statum destinamur, resurrecturi in spirituale consortium, agnituri tam nosmetipsos, quam nostros; » Tertull. *de Monog.* c. 18. « Magnus illic nos *carorum* numerus exspectat, *parentum, fratrum, filiorum*... Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune lætitia est! » S. Cypr., *de Immortalitate.*

4° Eadem ratione Angeli vident homines suæ curæ commissos, et omnia ad istos pertinentia. Beati etiam vident suos parentes et amicos adhuc in terris degentes; audiunt preces, quæ ad eos funduntur, ut plane supponit Ecclesia ex consuetudine et modo, quo et Angelos et Sanctos deprecatur. « An fratres suos periclitantes non videant, non curent? An, qui Deum toti et totum sapiunt, cum Deus charitas sit, charitatis exortes sunt? » S. Gregor. Papa, *Moral.*, l. 12, c. 17. — « Licet enim de sua sint immortalitate securi, adhuc tamen de nostra sunt *solliciti*, inquit S. Cypr., de *Immortalitate.* Quare Conc. Senonense definit, « Beatis pervium esse uniforme divinitatis speculum, *in quo quidquid eorum intersit, elucescat.* »

Et revera, merito desiderant Beati cognoscere eos, qui in

hac vita ipsos speciali amore prosequuntur, aut ipsos honorant, et cum eis loquuntur. Quare fortasse oramus frequentius nunc ad Sanctos Beatos, quam in veteri Testamento, quando justi mortui Deum nondum viderant.

5° Beati non cognoscunt omnia prorsus, sive existentia, sive futura, sive possibilia. Omnia enim illa cognoscere ad singulos Beatos nihil attinet, neque ullibi Scriptura talem ipsis scientiam adscribit. Imo de die judicii expresse id negat Christus, Matth. 24, ỳ 36. Juxta plures, Beati non cognoscunt etiam occultas cordium cogitationes, sine speciali ad ipsos directione illarum cogitationum. Probabile quoque creditur Angelos ignorasse saltem multas circumstantias Incarnationis et Redemptionis, ut innuit S. Paulus, Eph. 3, ỳ 10. « Deus enim prout vult videtur, et prout vult, non videtur, » ut ait S. Ambrosius. Vide Tract. *de Angelis*, n. 37-40.

367. — *Quæritur* in quonam *medio* creaturæ a Beatis videantur?

Resp. Juxta omnes, Beati creaturas vident saltem *causaliter*, seu cognitione aliqua distincta a visione Dei, nimirum, per quamdam revelationem vel aliud medium, cujus visio beatifica sit causa moralis.

Sed etiam probabilius est plures saltem creaturas a Beatis videri *formaliter* in Verbo. Scilicet, videre in Verbo *formaliter*, est cognoscere creaturas *eo ipso actu, quo Deus videtur ;* ita ut essentia divina sit velut speculum, in quo creaturæ, quales sunt in se, conspiciuntur. Talem modum videndi innuunt fere omnia argumenta jam allata circa visionem creaturarum.

NUMERUS III

De amore beatifico.

PROPOSITIO

368. — *Justi in patria plene et perfecte Deum diligunt.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « *Charitas nunquam excidit*... Tunc... ut sit Deus *omnia in omnibus ;* » I Cor. 13, ỳ 8; 15, ỳ 28. —

« Deus *charitas* est, et qui *manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo;* » I Joan. 4, ỷ 16. — « *De torrente voluptatis tuæ potabis eos..., Satiabor*, cum apparuerit gloria *tua;* » Ps. 16, ỷ 15. Ergo justi, videndo Deum, eum ita plene et perfecte diligunt, ut ipsius Dei voluptatem seu amorem beatificum quasi torrentem potent, pleneque satietur eorum capacitas summum bonum appetendi.

2° *Traditione*. « Quanta erit illa felicitas, ubi *nullum malum erit, nullum bonum latebit*, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui *sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.* » S. August., *de Civit.*, lib. 22, c. 30. — « Si adhuc absentes *initiat* fides et desiderium, *præsentes* profecto *consummat intellectus* et *amor;* » S. Bernard. *Epist.* 19. Talem esse firmam Ecclesiæ fidem nemo unquam dubitavit.

3° *Ration. theol.* Perfecta et consummata cognitio importat perfectum et consummatum amorem; nec justi essent vere et perfecte justi, nec in fine suo plene quiescerent, nisi eorum voluntas ultimam evolutionem et perfectionem per divini amoris perfectum exercitium esset assecuta; ergo amor in patria visionem cum eadem perfectione consequitur.

Et vero gratiæ vita in fide et charitate nititur : porro vita gloriæ est finis ultimus gratiæ; ergo gloria est non solum perfecta visio, quæ fidei correspondet, sed et consummata charitas, quæ respondet charitati per gratiam inchoatæ.

369. — *Quæritur* quinam sint *characteres* amoris beatifici?

Resp. Duplex est illius amoris character, inæqualitas et impeccabilitas. Et quidem *inæqualitas*. Nam, ex dictis, n. 361, visio intuitiva non est in omnibus æqualis : atqui amor visionem sequitur; ergo et hujus inæqualitem.

Impeccabilitas etiam. Justi enim visione intuitiva et amore beatifico in perpetuum fruentur, ex infra dicendis; ergo nunquam ab illo amore per peccatum deficere possunt. Revera pleni sunt in intellectu et voluntate, qui Deum in-

tuitive vident, juxta illud : « *Satiabor*, cum apparuerit gloria tua ; » Ps. 16 ; ergo nulla eis occurrere potest ratio, sive realis, sive apparens, qua a summo bono se avertant, nec in eis ulla capacitas remanet aliud bonum appetendi.

Juxta Thomistas, illa impeccabilitas oritur ab intrinseco, seu ab ipsa visione intuitiva, quæ omnem intellectus ignorantiam, et voluntatis deordinationem per se excludit. Juxta vero Scotistas, ab extrinseco oritur, id est, ex speciali bonitatis Dei assistentia, ita ut, ea exclusa, Sancti absolute peccare possent, non obstante visione.

§ III
De natura Gloriæ.

370. — Ex dictis, n. 179 et seq., gloria est supra exigentias et vires creaturæ cujuslibet, atque consistit, sicut et gratia, in speciali participatione naturæ et vitæ divinæ. Hic igitur quædam tantum addenda supersunt de discrimine inter gratiam et gloriam.

PROPOSITIO

371. — *Gloria a gratia non differt quoad substantiam, sed duntaxat quoad modum.* Ita communiter.

Etenim 1°, ex dictis n. 188, 195, gratia est participatio naturæ et vitæ divinæ, ita ut fides et charitas sint participatio ipsius actus, quo Pater generat Filium, et quo Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum : porro nihil excogitari potest excellentius illa participatione vitæ, in qua consistit ipsa interna Dei vita et gloria ; ergo gloria a gratia non differt quoad substantiam.

Et vero, per gratiam, homo fit adoptivus Dei filius, de jure hæres gloriæ, atque de condigno gloriam meretur, n. 307, 308, 345 : porro filiatio Dei adoptiva per gratiam, et hæreditas in jure, eadem est, quoad substantiam, ac filiatio Dei adoptiva in gloria, et hæreditas in usu, nec adest condignitas seu proportio nisi inter res, quæ substantialiter non discrepant ; ergo, etc.

In hoc consentiunt Theologi, juxta Suarez, *de gratia*, lib. 7, c. 2, n. 8, *de Fine ultimo*, disput. 6, sect. 1, n. 8,

9, 11, 12, 18. Sententiam S. Th. hic referre sufficiat : « *Gratia* et *gloria* ad *idem genus* referuntur, quia gratia nihil aliud est quam *quædam incohatio gloriæ in nobis ;* 2. 2, q. 24, a. 3, ad 2 ; 1. 2, q. 111, a. 3, ad 2 ; *Cont. Gent.*, lib. 3, c. 51, 53. « Fides declinatur ad res sperandas quasi *quoddam inchoativum*, in quo *totum quasi essentialiter continetur*, sicut *conclusiones in principiis*... Fides est habitus mentis, *quo inchoatur vita æterna in nobis*, faciens intellectum assentire non apparentibus. » S. Th., *in Hebr.* 11, ✝ 1. Ergo gloria quoad genus et essentiam seu substantiam non discrepat a gratia.

2° *Sed duntaxat quoad modum*. Scilicet, 1. gratia est in primis habitus informans ipsam animæ substantiam et potentias, n. 302 ; gloria autem proprie consistit in *actu* et quidem *ultimo*. Nam gloria est ultima hominis perfectio in ordine supernaturali ; porro unumquodque in tantum perfectum est et beatum, in quantum est in actu ; S. Th. 1. 2, q. 3, a. 2 ; ergo in ultimo actu ordinis supernaturalis consistit gloria.

2. Nullam gratiæ conscientiam seu evidentiam habemus in hac vita ; perfecta autem evidentia ac proinde plena fruitio hujusmodi status erit in gloria : ergo a gratia differt gloria quoad modum [1].

Omnis tamen operatio beatifica supponit Dei cum animæ substantia unionem, a qua, tanquam a prima radice resultant perfectiones potentiarum et operationum tam intellectus, quam voluntatis. Suarez, *de Fine ult.*, disp., 6. sect. 1, n. 21.

372. — *Quæritur* quid sit *lumen gloriæ*, et quænam ejus munera ?

Resp. Lumen gloriæ, quo in primis constituitur status

1. La vie de la grâce et celle de la gloire *est la même* : d'autant qu'il n'y a d'autre différence entre l'une et l'autre, que celle qui se rencontre entre l'adolescence et la force de l'âge. Là elle est consommée ; ici elle est en état de se perfectionner ; mais c'est la même vie... La gloire n'est autre chose qu'une *certaine découverte*, qui se fait de notre vie cachée en ce monde, mais *qui se fera paraître tout entière dans l'autre.* » Bossuet, 2e Sermon *pour la fête de tous les Saints*.

beatificus, definiri potest : *Specialis communicatio et participatio luminis divini*, per quam *intellectus creatus* ita *modificatur* et *elevatur*, ut eliciat *actum visionis vere divinum* cum *perfecta* et supernaturali evidentia, n. 187, 188.

Tria sunt proinde luminis gloriæ *munera* nempe : 1. *elevare* intellectum, et *deiformem* reddere; 2. *disponere* intellectum, seu huic vires præstare ad recipiendam deitatem ut objectum visum, cum evidentia; 3. *elicere* seu ipsum visionis actum producere *cum* et *in* intellectu creato. Revera, ex definitione Conc. Viennensis, lumen gloriæ *elevat* animam ad Deum *videndum*, et eo beate *fruendum*.

Idem dicendum est de auxilio divino, quo elevatur et disponitur *voluntas*, ut eliciat *actum amoris beatifici*, et quo revera talis actus *elicitur* cum *perfecta conscientia*.

§ IV

De tempore, quo incipit Gloria pro animabus justis.

373. — Certum est 1° Justos, qui tempora Christi præcessere, nonnisi post mortem ejus cœlum fuisse ingressos; Christus enim, *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*; Eph. c. 4, ℣ 8. Homines revera per originale peccatum meruerunt exclusionem a regno cœlorum; et ideo debuit Justorum præmium differri, donec pro peccato plene per Christum satisfactum fuisset.

Certum est 2° justos, quibus post mortem aliquid luendum superest, non ante plenam sui in altera vita purgationem aspectu divino potiri; quia *non intrabit in eam*, id est, civitatem supernam, *aliquod coinquinatum;* Apoc. c, 21. ℣ 27.

374. — At, juxta Millenarios, post resurrectionem generalem, justi, antequam intuitiva Dei visione in cœlis perfruantur, cum Christo mille annis in terra regnabunt, vel in cibo et potu, in observantiis mosaicis et omni libidinum genere, juxta Cerinthum; vel in puris tantum et innoxiis deliciis, juxta Papiam. Alii senserunt justos non ante resurrectionem generalem visione intuitiva fruituros esse. Contra sit

PROPOSITIO

375. — *Animæ Justorum, quibus post mortem nihil luendum superest, statim intuitiva Dei visione fruuntur.* De fide est.

Prob. 1° *Scrip.* « Facile est coram Deo *in die obitus* retribuere unicuique secundum vias suas ; » Eccli. 11, ℣ 28. — « Dixit Jesus latroni : *Hodie* mecum eris *in paradiso ;* » Luc. 23, ℣ 43. — « Scimus quoniam, *si terrestris domus nostra* hujus habitationis *dissolvatur,* quod *ædificationem ex Deo habemus,* domum non manufactam *æternam in cœlis.* » II Cor. 5, ℣ 1.

2° *Traditione.* Conc. Flor. sic habet : « Credimus illorum animas, qui, post Baptisma, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ, post contractam peccati maculam, sunt purgatæ, *in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est.* »

3° *Ration. theol.* 1. Ecclesia, per decreta de canonizatione Sanctorum, declarat animam talis vel talis hominis jam defuncti frui æterna gloria : atqui infallibilis est Ecclesia in hujusmodi decretis, ut dictum est in Tract. *de Eccl.*, n. 177, 178; ergo animæ Justorum, quibus nihil luendum superest, intuitiva Dei visione fruuntur.

2. Pronior est Deus ad mercedem Justis impendendam, quam ad pœnas peccatoribns infligendas; *miserationes* enim *Domini super omnia opera ejus*, Ps. 144, ℣ 9 : atqui peccatores statim post mortem cruciantur in flammis; ergo a fortiori Justi, quibus post mortem nihil luendum superest, mercedem suam statim recipiunt.

376. — *Quæritur* an de facto Deus ab homine puro in terris degente, intuitive visus fuerit ?

Resp. Anima Christi a primo instanti conceptionis visione intuitiva donata fuit, ex dictis in Tract *de Incarn.*, n. 121. Sed etiam pie et probabiliter credi potest, ait Suarez, gratiam hanc singularem interdum B. Virgini fuisse concessam.

At plerique Theologi negant aliquem alium hominem,

in terris degentem unquam Deum intuitive vidisse. Et vero, dubium præsertim movetur de Moyse et de S. Paulo : atqui Deus Moysi exoptanti videre faciem suam, sic respondet : « *Non poteris videre faciem meam;* non enim videbit me homo, et vivet; » Exod. 33, ℣ 20. Similiter S. Paulus dicit quidem se raptum fuisse usque ad tertium cœlum, ut *audiret arcana verba;* non autem ut *videret* Deum. Et S. Thomas, qui nobis hic adversatur, alibi tamen sententiæ neganti favet, præsertim cum docet visionem Moysis esse intelligendam tantum de colloquio per substantiam creaturæ; 1. 2, q. 98, a. 3.

377. — *Obj.* 1° « *Beatus et sanctus qui habet partem* in resurrectione prima : *in his* secunda mors non habet potestatem; *sed erunt sacerdotes Dei et Christi*, et regnabunt cum illo mille annis; » Apoc. 20, ℣ 6; ergo vera est opinio Millenariorum.

Resp. Nego cons. Mille anni, de quibus Joannes in præfato textu loquitur, intelligendi sunt de omni temporis intervallo, quod ab ascensione Christi usque ad mundi finem intercedere debet. Revera, mille annorum numerus, juxta phrasim in Scriptura usitatam, universitatem temporis indicat, v. g., Deuter. 7, ℣ 9; I Paralip. 16, ℣ 15; Psal. 104, ℣ 8; quod etiam post S. Cyprianum, monet S. August., *de Civit.* lib. 20, c. 7. Regnum autem Dei, præfatis mille annis duraturum, est cœleste.

Itaque justi, qui, post mortem, habent in prima resurrectione partem, in cœlum utique devolando, mille annis, id est, ab ascensione Christi usque ad mundi finem, cum Christo regnabunt; atque in eos mors secunda, seu sententia damnationis in universali judicio, nullam habebit potestatem.

378. — *Obj.* 2° Joannes XXII dilationem visionis intuitivæ solemniter defendit; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Dilationem visionis intuitivæ non tanquam Sum. Pontifex definivit Joannes XXII, imo nec ut privatus Doctor indubitanter eam docuit, sed tantum opinando, et in eam magis inclinando proposuit. Hanc autem opinionem morti proximus solemniter revocavit.

§ V

De perpetuitate Gloriæ.

PROPOSITIO

379. — *Gloria pro animabus justis est in æternum duratura.* De fide est.

Prob. 1° *Script.*, in qua omni modo affirmatur illa æternitas. Dicitur enim : « Ibunt justi in vitam *æternam;* Matth. 25, ℣ 46. — « Momentaneum et leve tribulationis nostræ *æternum gloriæ pondus* operatur in nobis ; » II Cor. 4, ℣ 17. — *Sic semper cum Domino erimus;* I Thess. 4, ℣ 16. — « Regeneravit nos... in hæreditatem *incorruptibilem*, et *incontaminatam*, et *immarcescibilem*, conservatam in cœlis... Percipietis *immarcescibilem gloriæ coronam.* » I Petr. 1, ℣ 4; 5, ℣ 4.

2° *Traditione.* « Deus erit finis desideriorum nostrorum *qui sine fine videbitur;* » S. August. *de Civit.* lib. 22, c. 30. — « Firmissime tene non jam *posse quemlibet Sanctorum in deterius commutari;* quia sic acceperunt *æternam* beatitudidem, qua Deo stabiliter perfruuntur, ut *ea carere non possint.* » S. Fulgent. *de Fide ad Petr.*, c. 23.

Conc. Trid. definivit « justos bonis operibus per gratiam factis, *vere* mereri vitam *æternam;* n. 54. Eadem veritas in Symbolis sic consignatur : *Credo... vitam æternam.*

3° *Ration. theol.* Gloria est finis et perfecta beatitudo animæ ; atqui perfecta beatitudo non concipitur, quin sit perpetua. Anima enim maxime appetit non solum Deo conjungi, sed et conjungi inseparabiliter; ergo ejus appetitus satiari nequit per operationem temporalem, nec vera beatitudo concipi, quin sit perpetua.

Et vero, Justi vel dubitabunt de perpetuitate suæ beatitudinis, vel falso credent eam esse perpetuam : si prius, tunc in eis erit timor et tristitia amittendi beatitudinem ; si posterius, falsum seu malum erit in intellectu; ac proinde in utroque casu deficiet perfecta beatitudo; ergo, etc.

ARTICULUS II

De gloria pro corpore Justorum.

Dicemus de prævìis ad gloriam corporis seu de resurrectione et de universali judicio, et de qualitatibus corporum Beatorum.

§ I

De Resurrectione generali.

Resurrectionem corporum negarunt Sadducæi, et nostris diebus eamdem ut impossibilem perhibent Rationalistæ. Unde

PROPOSITIO PRIMA

380. — *Possibilis est corporum resurrectio.* Certum est.

Etenim 1° resurrectio corporis duo implicat, scilicet, ut iterum colligantur elementa, quæ corpus humanum primum constituerunt, et ut illa sic collecta iterum unione vitali uniantur cum anima : atqui utrumque perficere potest Deus; qui enim prima vice hominem constituit, eumdem sane reficere potest.

Et vero, « quomodo nos suscitare non posset conversos in pulverem, qui efficit nos esse, cum antea nunquam fuissemus? » S. August. *Serm.* 19. Sed insuper,

2° Resurrectio corporis convenit ex parte Dei, Christi et hominis.

Et quidem ex parte Dei. Nam ex omnium defunctorum resuscitatione elucet tum *omniscientia* Dei, quæ omnes humanorum corporum particulas, licet tenuissimas, et quandocunque dispersas perfectissime cognoscit; tum *omnipotentia* Dei, quæ dictas particulas in ictu oculi colligit, in pristinum ordinem redigit, et per unionem cum anima iterum vivificat; tum *bonitas* et justitia Dei, quæ justos remunerat, et reprobos punit etiam in corpore.

Ex parte *Christi*, cujus virtute sic vivificatur et instauratur in corpore sicut et in anima, omne quod mortuum est in Adamo. I Cor. 15, ỷ 16.

Ex parte *hominis*. Etenim 1. homo anima et corpore cons-

tituitur : atqui anima est immortalis; ergo immortale est etiam corpus, ad quod vivificandum nata est anima.

2. Corpus in hac vita fuit particeps bonorum vel malorum operum; ergo æquum est ut præmium et pœnam reportet; ac proinde ut resurgat ad gloriam, vel ad supplicium.

3. Nec parum, spe aut timore resurrectionis, ad bonum promoventur, vel a peccato deterrentur homines, carnis suæ amatores, et spiritualia non nisi per ea, quæ videntur, intelligentes.

PROPOSITIO II

381. — *Resurgent omnes mortui*. De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Scio quod Redemptor meus vivit, et *in novissimo die de terra surrecturus sum;* et *rursum circumdabor pelle mea*, et *in carne mea videbo Deum meum;* » Job. 19, ỳ 23.—Idem probat Christus contra Sadducæos, Matth. 22, ỳ 29. — « *Omnes qui in monumentis sunt*, audient vocem Filii Dei, et procedent, qui *bona* fecerunt, *in resurrectionem vitæ;* qui vero *mala* egerunt, *in resurrectionem judicii.* » S. Joan. 5, ỳ 28. S. Paulus clarissimis verbis, eamdem veritatem docet et evolvit, atque sic concludit : « *Si resurrectio mortuorum non est*, neque Christus resurrexit... inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est fides nostra. » I Cor. 15, ỳ 13, 14.

2° *Traditione.* « Propria *fides* est Christianorum, *resurrectio mortuorum;* » S. August. *Serm.* 241. Eodem modo loquuntur omnes SS. Patres. Idem dogma in omnibus Symbolis expresse sic consignatur : *Credo... carnis resurrectionem.*

3° *Ration. theol.* Christus resurrexit a mortuis : atqui Sancti sunt ejus membra, et quidem configuranda *corpori claritatis suæ.* Philipp. 1, ỳ 21 ; ergo Sancti sunt etiam resurrecturi, ut in corpore cum Christo conglorificentur.

Et vero Ecclesia honorat non solum animas Sanctorum in cœlo regnantes, sed et eorum corpora adhuc in terris jacentia : porro talis reliquiarum cultus fidem resurrectionis supponit; ergo mortui resurgent.

382. — *Quæritur* 1° quænam erunt *qualitates* omnibus corporibus suscitatis *communes?*

Resp. Omnes mortui resurgent incorrupti, in eadem carne, in eodem sexu, et probabiliter in perfecta ætate ac statura.

Et quidem 1. *incorrupti*, ut expresse docet S. Paulus: *Mortui resurgent incorrupti*; I Cor. 15, ℣ 52. Et vero, gloria aut pœna erit perpetua in corpore sicut et in anima; ergo corpora erunt incorrupta. Unde, respectu illorum corporum, omnino erunt mutatæ leges, quibus actualiter regitur materia.

2. *In eadem carne*. Dicitur enim : « *Rursum* circumdabor pelle *mea*, et in carne *mea* videbo Deum ; » Job. 19, ℣ 25. Et vero, si esset alia caro, jam non reficeretur homo, sed alius formaretur, ac proinde non esset resurrectio proprie dicta.

3. *In eodem sexu*, alioquin non esset idem corpus. Aliunde utrique sexui propria sunt attributa, quæ conferunt ad meritum vel demeritum, ideoque ad mercedem vel proprie ad pœnam.

4. *In ætate et statura perfecta*, quæ simul a nimia exiguitate et a monstruosa magnitudine recedat. Sicut enim Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit; S. Th. Suppl. q. 81, a. 1, 2 ; unde hoc verum est, ait Sylvius, quantum ad electos, et communiter tenetur a SS. Patribus.

383. — *Quæritur* 2° quonam *tempore* et *ordine* erit resurrectio?

Resp. 1. Generalis mortuorum resurrectio fiet in fine mundi, dum instabit judicium universale, juxta illud : « Ego resuscitabo eum in *novissimo* die; » Joan. 6. ℣ 40; 11, ℣ 24. Attamen, ex peculiari privilegio, B. Virgo jam resurrexit, atque glorificata in corpore sicut et in anima, ad cœlestia regna exultatur, ut profitetur Ecclesia in Festo Assumptionis B. Virginis.

2. Ex S. Paulo, « omnes *in momento, in ictu oculi*, in novissima tuba... resurgent; « I Cor. 15, ℣ 52. Talis enim resurrectio fiet divina virtute, quæ tarda molimina nescit.

§ II

De Judicio universali.

PROPOSITIO

384. — *Post resurrectionem generalem, fiet, universo orbe spectante, judicium universale.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat;... quia ibi sedebo, *ut judicem omnes gentes in circuitu;* » Joel, 3, ỷ 2, 12. — « Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ; et congregabuntur ante eum *omnes gentes*, et *separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.* » Matth. 25, ỷ 31.

2° *Traditione.* Illud dogma sic in Symbolo Athanasiano consignatur : « Ad cujus (Christi) adventum, *omnes homines resurgere* habent cum corporis suis, et *reddituri sunt de factis propriis rationem.* » Omnes SS. Patres certatim magnum illud spectaculum extollunt ac celebrant, ex quo tanta Deo gloria proveniet, justis laus, reprobis ignominia.

3° *Ratione.* In hujusmodi judicio, divinæ Providentiæ ordo et quasi tela evolvetur atque expandetur; intimi cordium recessus omnium oculis patebunt; impiorum occultæ machinationes et artes; Justorum autem afflictiones et ærumnæ in apertam prodibunt lucem, ut læsa Justorum fama, coram toto humano genere reparetur, ac simul opprobrio contabescant impii; tandem divina Christi majestas toti orbi innotescet, ut *in nomine Jesu omne genu flectatur.* Nec perfecto grandius spectaculum ac Deo dignius excogitare potest. « Pourquoi ces *grandes assises*, pourquoi cette solennelle convocation et cette assemblée générale du genre humain?... Il est juste et très juste que celui qui fait le mal soit couvert de honte; que quiconque a trop osé, soit confondu, etc... » Bossuet, *Serm. sur le jugement dernier.*

385. — *Quæritur* 1° quisnam erit judex, et quæ sententia?

Resp. 1. Judex erit ipse Christus, ut expresse dicitur,

Matth. 25, ℣ 3; et in Symbolo sic consignatur : *Venturus est judicare vivos et mortuos*. Nam « potestatem dedit ei *judicium* facere, *quia Filius hominis est;* » Joan. 5, ℣ 27. Et revera, Christus, ut homo, est Caput, Rex et Dominus totius Ecclesiæ et hominum, ex dictis in Tract. *de Incarn.* n. 234; ergo eo ipso est omnium Judex. Aliunde Christus pro Dei justitia pugnavit, et vicit, et injuste judicatus est; ac proinde meruit super omne exaltari, et omnium esse judicem.

2. In illo autem ultimo judicio, duplex erit sententia et exitus, scilicet : « Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*... Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*... Et ibunt *hi in supplicium æternum*, justi autem *in vitam æternam!* » Matth. 25; Bossuet, *Medit.* journ. 68-84, 91-97.

386. — *Quæritur* 2° an universale judicium decernendum sit in valle Josaphat?

Resp. Qualiter illud judicium sit futurum, et quomodo homines ad judicium convenient, cum certitudine sciri nequit; tamen probabiliter potest colligi ex Scripturis, quod circa locum montis Oliveti descendet Christus, sicut et inde ascendit; ut idem esse ostendatur qui descendit; et ut Christus coram hominibus glorificetur prope locum, in quo opprobiis saturatus est : porro vallis Josaphat dicitur in Scripturis, Joel, 3, ℣ 12, *vallis judicii, judicium Domini*, atque inter Calvariæ locum et montem Oliveti sita est. S. Th. Suppl. q. 88, a. 4.

387. — *Quæritur* 3° quis futurus sit mundi status post judicium?

Resp. Post Christi reditum in cœlum, mundus innovabitur, juxta illud : « Ecce ego *creo cœlos novos* et *terram novam;* » Isa. 65, ℣ 17; II Petr. 3, ℣ 13. Quæ innovatio destructione aut annihilatione corporum elementorumque minime peragetur. Nulla est enim ratio boni in annihila-

tione ; et aliunde conveniens est, ut non destruatur locus peregrinationis Christi et Sanctorum.

Omnia igitur quoad substantiam suam manebunt, sed quoad accidentalia innovabuntur et perficientur, juxta illud : « *Omnia* opera quæ fecit Deus, *perseverant in æternum*. » Eccle. 3, ℣ 14.

§ III

De qualitatibus corporum Beatorum.

388. — *Quæritur* 1° quot, et quænam erunt dotes corporum in Beatis?

Resp. Quatuor erunt, scilicet, impassibilitas, subtilitas, agilitas et claritas, juxta illud : « Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in *corruptione*, surget in *incorruptione ;* seminatur in *ignobilitate*, surget in *gloria;* seminatur in *infirmitate*, surget *in virtute;* seminatur corpus *animale*, surget corpus *spiritale*. » I Cor. 15, ℣ 42, 43.

1° *Impassibilitas* est immunitas ab omni dolore : « Seminatur (corpus) in *corruptione*, surget in *incorruptione*. » Quæ perfecta incorruptio omnem etiam molestiam excludit : « Absterget Deus *omnem lacrymam* ab oculis eorum ; et *mors* ultra non erit, neque *luctus*, neque *clamor*, neque *dolor* erit ultra. » Apoc. 21, ℣ 4.

2° *Subtilitas* est facultas, qua corpus beatum penetrare potest quodvis aliud corpus, sicut lumen trajicit vitrum, aut sicut Christus, januis clausis, in medio discipulorum subito stabat : « Seminatur corpus *animale*, surget corpus *spiritale*. » Corpus animale significat corpus crassum, grave, corruptibile, egens cibo, potu, somno, quiete ; corpus autem spiritale est corpus omnibus hujusmodi imperfectionibus defæcatum, spiritui in motu et celeritate non obsistens.

3° *Agilitas* est facultas locales motus expedite ac velociter exercendi : « Seminatur in *infirmitate*, surget in *virtute*. » Hac dote Christum redivivum præditum fuisse novimus ; quippe qui ictu oculi ad varia loca transierit, et super omnes cœlos ascenderit. Quare Beati incomprehensibili celeritate, pro libitu movebuntur : « Ubi volet spiritus,

ibi *protinus erit et corpus.* » S. August. *de Civit.*, lib. 22, c. 30.

4° *Claritas* est lux ac perfectissima qualitas corporibus Beatorum intrinsece inhærens, qua fiet, non solum ut intrinsecus, tanquam astra effulgeant, sed etiam ut intrinsecus, in omnibus partibus suis et organis, sint pellucida : « Seminatur in *ignobilitate*, surget in *gloria.* » — « Tunc justi *fulgebunt sicut sol* in regno Patris eorum : » Matth. 13, ℣ 43. Hujusce claritatis Christus, Transfiguratione sua, leve quoddam specimen dedit.

Quæ claritas ex anima in corpus redundabit : « Sicut anima, divina visione fruens, quadam spirituali claritate replebitur ; ita, per quamdam redundantiam ex anima in corpus, ipsum corpus, suo modo, claritatis gloria induetur. » S. Th. *Cont. Gent.* lib. 4, c. 86. Unde quemadmodum visio essentiæ divinæ non erit in omnibus æqualis, ita inæqualis erit corporum glorificatorum claritas : « Stella enim *differt* a stella *in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* » I Cor. 15, ℣ 41.

389. — *Quæritur* 2° an Beati utentur *sensibus?*

Resp. Beati utentur *sensibus* ad delectationem, secundum illa, quæ statui incorruptionis non repugnant. Scilicet, visus beatitudine sibi conveniente perfundetur ex pulcherrimorum corporum aspectu, maxime Christi et B. Virginis ; auditus suavissimo cantu recreabitur ; appetitus sensitivus ineffabili delectatione, a purissimis animæ gaudiis profluente, inundabitur ; sicque Justi « inebriabuntur ab ubertate domus Dei, et de torrente voluptatis divinæ potabuntur. » Ps. 35, ℣ 9.

390. — Jam vero hæc secundum animam et corpus beatitudo prorsus ineffabilis est ; quam nec oculus vidit, nec auris audivit ; quam solum velut in imagine aut ænigmate descriptam cernimus in illa cœlesti Jerusalem, de qua vox de cœlo pronuntiat : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis ;* Apoc. c. 21, 22.

Utinam, quæ in terris breviter et imperfecte delibavi-

mus, indesinenter nos incitent ad merendum eadem in cœlis perpetuo contemplari, et in nobis ipsis perfecte experiri, atque in unoquoque nostrum vera sint hæc nunquam a mente et a corde prætermittenda eximia oracula : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua ; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos... Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus!* Ps. 125, ℣ 6 ; 121, ℣ 1.

ARTICULUS III

De Prædestinatione ad Gratiam et Gloriam.

391. — *Quæritur* 1° quid sit prædestinatio, et quotuplex?

Resp. Prædestinatio, quoad nomen, est definitio rei antequam fiat. Quoad rem, et stricto sensu definitur : *Præscientia et præparatio efficax, qua Deus quosdam homines, per media infallibilia, ad vitam æternam dirigit.*

Dicitur 1 : *præscientia et præparatio efficax;* quibus exprimitur duplex actus, intellectus et voluntatis, quos ex parte Dei supponit prædestinatio.

Dicitur 2 : *qua Deus quosdam homines, per media infallibilia,* etc., quibus significatur tum objectum illius præscientiæ et præparationis, scilicet, auxilia efficacia, perseverantia finalis, et realis gloriæ consecutio; tum ejusdem præscientiæ et præparationis subjectum, nempe illi soli homines, qui per efficacia auxilia et perseverantiam finalem, revera gloriam assequuntur.

Duplex esse potest prædestinatio, *antecedens* seu ad *gloriam,* vel *consequens* seu ad *gratiam :* si prior, Deus, *ante prævisa merita,* prædestinat ad finem seu gloriam, et consequenter ad media efficacia seu merita et perseverentiam finalem per auxilium efficax.

Si posterior, Deus prædestinat in primis ad media seu ad merita et perseverantiam finalem per auxilium efficax, et consequenter, ex prævisis meritis, ad finem seu gloriam.

392. — *Quæritur* 2° an *detur* aliqua prædestinatio ad gratiam et gloriam, et an sit prorsus *gratuita?*

Resp. 1. Certum est dari prædestinationem ad gratiam et gloriam, dempta distinctione inter antecedentem et consequentem. Dicitur enim : « *Prædestinavit* nos Deus in adoptionem filiorum; » Eph. 1, ✝ 5. — *Quos prædestinavit, hos et vocavit...; justificavit et glorificavit;* Rom. 8, ✝ 30. Et vero, Deus ab æterno decernit quidquid facturus est in tempore : atqui gratiam et gloriam in tempore multis tribuit; ergo utramque quibusdam concedendam esse ab æterno decrevit.

2. De fide est autem prædestinationem ad *primam gratiam*, vel ad *gloriam* non fieri ex prævisis meritis *naturalibus*. Constat enim, contra Semipelagianos et Pelagianos, gratiam et gloriam esse supra vires seu meritum naturale hominis lapsi, et etiam hominis innocentis et Angeli, n. 181.

3. De fide est gloriam ut mercedem supernaturalibus justorum meritis esse retribuendam in tempore, 345; ac proinde Deum ab æterno posuisse decretum dari gloriam hujusmodi justorum meritis; sicque prædestinationem ad gloriam, spectatam in ordine *exsecutionis*, gratuitam non esse, sed merita supernaturalia supponere.

393. — *Quæritur* 3° utrum prædestinatio ad gloriam, in ordine *intentionis*, sit gratuita seu *antecedens*, an vero ex prævisis meritis seu *consequens?*

Controvertitur. Alii sentiunt prædestinationem ad gloriam esse antecedentem. Ita Thomistæ, Scotistæ plurimi, necnon insigniores Molinistæ. Alii vero consequentem prædestinationem propugnant. Ex utraque parte afferuntur haud parvi ponderis momenta, quæ videre est apud Billuart, Tournely, etc.

Cæterum utraque sententia in idem mysterium recidit : scilicet, posita prædestinatione antecedente, quærendum est *cur* Deus, ex suo beneplacito, tales homines potiusquam alios prædestinet ad gloriam et consequenter ad gratias finaliter efficaces? Posita autem prædestinatione consequente, quærendum est *cur* Deus, ex suo beneplacito, tales homines potiusquam alios ad gratias finaliter efficaces et consequenter ad gloriam prædestinet? Nec aliter respon-

det S. Paulus, nisi exclamando : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei,* etc.! Rom. 11, ℣ 33.

394. — *Quæritur* 4° quinam sint *effectus*, quænam *signa*, et quænam *certitudo* prædestinationis ad gloriam?

Resp. 1. Tres sunt præcipui gratuitæ prædestinationis *effectus*, vocatio, justificatio, et glorificatio. Constat ex Apostolo, Rom. c. 8, ℣ 30 : *Quos autem prædestinavit* (Deus), *hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.*

2. Plura sunt prædestinationis *signa*, quæ, ut fiduciam generent, simul jungantur necesse est; hæc sunt præcipua : 1. timorata conscientia, quæ *tanquam a facie colubri fugit peccatum*, Eccli. 21, ℣ 2, non mortale tantum, sed etiam veniale; 2. observatio consiliorum; 3. patientia in adversis : *si tamen compatimur, ut et conglorificemur*, Rom. 8, ℣ 17; 4. assidua carnis mortificatio : *Si facta carnis mortificaveritis, vivetis*, Rom. 8, ℣ 13; 5. singularis in Virginem Matrem pietas; 6. pro ministris Ecclesiæ, ardens zelus divinæ gloriæ, et, quod consequens est, animarum salutis, velut et in Ecclesiam Christi ejusque Sacramentum effusa propensio.

3. Nemini, citra specialem revelationem, *certo* constare potest se esse de numero prædestinatorum : « *Nescit* homo utrum *amore*, an *odio dignus sit*, sed *omnia* in futurum servantur *incerta.* » Eccli. 9, ℣ 2.

395. — *Quæritur* 5° an *major* sit *numerus prædestinatorum*, quam *reproborum*?

Resp. Plures comparationes fieri possunt ad solutionem hujusmodi quæstionis. Scilicet, 1. vel agitur de omnibus hominibus, qui a principio mundi usque ad finem fuerunt et futuri sunt : et hoc modo numerus reproborum major est, juxta communem Theologorum sententiam. Dicitur enim : « Quam *arcta* est via, quæ ducit ad vitam; *et pauci* sunt, *qui inveniunt eam;* » Matth. 7, ℣ 14. Quare solent in Scriptura electi *paucorum* nomine significari. Vide Bossuet, *Lettre 8 à la sœur Cornuau.*

Et vero, usque ad adventum Christi, rara erat inter homines cognitio Dei, et sanctificatio; post Christi autem adventum, innumeræ nationes vel non credunt, vel etiam nondum audierunt Evangelium; et ex his, qui credunt, magna pars condemnatur ex dicendis.

Nec mirum quidem. Nam, ex una parte, natura humana, utpote composita appetitibus quodammodo contrariis, præsertim ob deordinationem ab originali peccato introductam, magis inclinatur ad objecta sensibilia, quatenus magis familiaria et proportionata. Ex altera autem parte, finis est supernaturalis, nec ad illum ordinatur homo nisi per media ejus vires multum excedentia. Quæ rationes optimæ sunt ex parte hominis; tamen, ex parte Dei, profundum est hoc consilium sapientiæ ejus, neque aliud dicere possumus, nisi per hoc ostendere voluisse Deum *excellentiam gratiæ suæ in electis;* Rom. 11, ℣ 22, 32.

2. Vel agitur de omnibus *Christianis*, seu qui nomine Christi gloriantur, profitenturque in illum credere, sive Catholici, sive hæretici, schismatici, etc. : et hoc modo, juxta communiorem sententiam, ex Christianis plures sunt reprobi, quam prædestinati; ita SS. Gregor. Papa, August., Chrys., Suarez.

3. Vel agitur de Christianis tantum, qui intra Ecclesiam *catholicam* moriuntur; et tunc verisimilius est, ait Suarez, plures illorum salvari in lege gratiæ, quam reprobari. Nam ex his, qui moriuntur ante adultam ætatem, maxima multitudo decedit cum Baptismo. Ex adultis vero, licet major pars sæpius peccet, tamen sæpius resurgunt, et ita cadendo et resurgendo vitam transigunt. Tandem in fine, pauci sunt qui de peccatis non doleant saltem per attritionem, atque per Sacramenta in eo tempore non justificentur; postquam autem sic justificati sunt, facile solent illo parvo tempore usque ad mortem sine novo mortali peccato perseverare. Ergo verisimile est ex Catholicis majorem numerum salvari. Vide Scavini, *de Spe*, c. 1, in fine.

APPENDIX

DE PLURIMORUM DEFINITIVA EXCLUSIONE AB ORDINE GRATIÆ ET GLORIÆ, PER ÆTERNAM DAMNATIONEM

De privatione definitiva gloriæ in parvulis sine Baptismo decedentibus, jam dictum est, n. 244, et seq. Hic igitur de adultis damnatis, et de eorum reprobatione agendum superest.

ARTICULUS PRIMUS

De adultorum damnatorum pœna, seu de inferno.

396. — Quæ maximi momenti quæstio de existentia, natura et perpetuitate pœnæ damnatorum, exposita et demonstrata manet in Tract. *de Angelis*, n. 59 et seq. Hic quædam addemus tantum de damnatorum corporibus. Unde

397. — *Quæritur* quinam erunt defectus corporum damnatorum?

Resp. Damnatorum corpora erunt 1. *incorruptibilia*, saltem in quantum necessarium est, ne destruantur, nec ab animabus separentur, n. 382. Dicitur enim de reprobis jam in corpore redivivis : « Ibunt hi *in supplicium æternum;* » Matth. 25, ℣ 46. In eodem sensu citari solent hæc verba : « Quærent homines *mortem* et *non invenient eam;* et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis. » Apoc. 9, ℣ 6.

2. *Passibilia*. Ingratas enim et adeo acerbissimas sensationes ab igne aliisque cruciatibus expertura sunt, et quidem absque læsione destructiva organorum, ut ab intrinseco ignea sint in æternum permansura. Quare de inferno dicitur, quod sit *locus tormentorum* simpliciter; et quod ibi erit *fletus* et *stridor dentium*. Luc. 13, ℣ 28; 16, ℣ 28.

3. *Non agilia* et *subtilia,* sed crassa, deformia, omnibus obruta miseriis. Ejiciendi sunt enim reprobi in tenebras exteriores, *ligatis manibus et pedibus*. Matth. 22, ℣ 13.

4. *Ingloria* et *horribilia :* « Omnes quidem resurgemus,

sed *non omnes immutabimur;* » I Cor. 15, ℣ 51. Quemadmodum enim in corpora Beatorum relucebit animarum gloria; ita in corpora reproborum, animarum fœditas et turpitudo redundabit; propterea dicuntur *in tenebras exteriores ejici.*

Damnatorum pœnam, sive pro anima, sive pro corpore his stupendis verbis contrahit S. Th., Suppl. q. 98, a. 7 : « Sicut, propter perfectam Sanctorum beatitudinem, nihil erit in eis, quod non sit gaudii materia; ita *nihil* erit *in damnatis*, quod *non sit in eis materia* et *causa tristitiæ;* nec *aliquid,* quod *ad tristitiam possit pertinere*, deerit, ut sit eorum *miseria consummata!* » Nonne *horrendum est incidere in manus Dei viventis?* Hebr. 10, ℣ 31.

ARTICULUS II

De Reprobatione.

398. — *Quæritur* 1° quid sit *reprobatio,* et quotuplex?

Resp. Reprobatio consistit in eo, quod Deus, *non includit plures homines aut Angelos in prædestinationis decreto,* sed, *ob eorum prævisa peccata et finalem impœnitentiam, positive illos ad æterna supplicia devovet.*

Unde duplex est reprobatio, una *negativa,* et altera *positiva :* prior est absentia prædestinationis pro quibusdam hominibus aut Angelis; posterior vero est actus voluntatis positivus, quo Deus peccatores usque ad finem impœnitentes, ad pœnas æternas devovet.

Patet autem reprobationem negativam consequenter positivam trahere; positivam autem antecedenter negativam supponere : atque adeo reprobationem, si integra sumatur, ex utraque coalescere.

399. — *Quæritur* 2° an *existat* reprobatio sive positiva, sive negativa?

Resp. 1. Certum est dari reprobationem *positivam.* De fide est enim Deum æternis suppliciis peccatores usque ad finem impœnitentes in tempore devovere; n. 397 : porro Deus ab æterno vult et statuit, quidquid facit in tempore;

ergo æternum peccatoris impœnitentis supplicium ab æterno voluit,

2. Omnes etiam admittunt aliquo sensu existere reprobationem *negativam*. Deus enim ab æterno omnes homines non prædestinat ad gloriam per gratias usque ad finem efficaces : porro in illa prædestinatione non includi, nihil aliud est quam negative reprobari.

At, qui propugnant prædestinationem tantum consequentem seu ex prævisis meritis, n. 391, 392, simul asserunt reprobationem negativam a positiva non distingui. Si enim nemo ad gloriam eligitur, nisi post prævisum ejus bonum gratiæ usum, eo ipso nullus a gloria rejicitur, nisi post prævisum gratiæ abusum seu peccatum; ergo, in hac sententia, non prædestinari prorsus idem est ac positive seu ex prævisis peccatis reprobari.

Qui vero dicunt prædestinationem esse antecedentem seu non ex prævisis meritis, simul asserunt, peccatores impœnitentes in decreto prædestinationis non includi etiam ante prævisionem impœnitentiæ finalis; ac proinde reprobationem negativam a positiva distingui.

400. — *Quæritur* 3° quænam sit reprobationis *causa?*

Resp. 1. Causa reprobationis *positivæ* est peccatum ante mortem non condonatum. De fide est contra Prædestinatianos, qui docebant Deum directe prædestinare ad malum et ad damnationem, sicut ad bonum et ad gloriam, n. 129.

Dicitur enim : « *Perditio tua* ex te, *Israel :* tantummodo in me auxilium tuum; » Osee, 13, ℣ 9. — *Nihil odisti eorum, quæ fecisti;* Sap. 11, ℣ 25.

« Deus potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; *non potest quemquam sine malis meritis damnare,* quia *justus* est; » S. August. *Cont. Julian.*, lib. 3, c. 18. Definitum est contra Gotescalcum, n. 128, *in damnatione perditorum, meritum malum præcedere justum Dei judicium.*

Et vero Deus, quatenus summe sanctus, in tempore non vult peccatum; et quatenus summe justus, in tempore non mittit in gehennam nisi peccatorem; ergo ab æterno nec

peccatum decernere potest, nec nisi peccatori præviso gehennam statuere.

2. Causa *negativæ* reprobationis eadem est ac causa reprobationis positivæ, juxta illos, qui inter utramque non agnoscunt proprie dictam distinctionem; ideoque reprobatio negativa ad hoc reducitur : Deus in decreto prædestinationis quosdam homines *non includit, ob* eorum *prævisa demerita :* quæ autem demerita prævidet, quia pro illis hominibus ab æterno non decernit gratias efficaces; *cur* ergo hujusmodi gratia pro illis hominibus non decernat, sicque illos negative reprobet?

In sententia autem eorum, qui, ob prædestinationem antecedentem, n. 391, 393, admittunt reprobationem negativam præcedere prævisa demerita, ad hoc reprobationis negativæ reducitur causa : Deus negative quosdam reprobat, quia *non vult* illos includere in decreto prædestinationis ad gloriam ante prævisa merita; *cur* ergo non velit illos homines in tali decreto comprehendere?

Utraque igitur sententia in idem mysterium recidit, propter quod exclamat Apostolus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Rom. 11, ỳ 33.

Et hæc de Gratia et Gloria. Utramque nobis concedere dignetur Deus, ut et nunc cum Christo per gratiam compatiamur, atque tandem in æternum cum Christo congaudeamus per gloriam.

FINIS TRACTATUS DE GRATIA ET GLORIA

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CANONES CONC. TRID., *Sess. VII.*

1. — *Procemium.* Ad consummationem salutaris de Justificatione doctrinæ... consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur; propterea sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina Synodus..... hos præsentes canones statuendos, et decernendos censuit...

2. — Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum : A. S.

3. — Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi : A. S.

4. — Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius : A. S.

5. — Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto

per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; licet omnia singulis necessaria non sint : A. S.

6. — Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse : A. S.

7. — Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et nota quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernentur fideles ab infidelibus : A. S.

8. — Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus : A. S.

9. Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere : A. S.

10. — Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spiritale et indelebile, unde ea iterari non possunt : A. S.

11. — Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem : A. S.

12. — Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia : A. S.

13. — Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere Sacramentum : A. S.

14. — Si quis dixerit, receptos et aprobatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse : anathema sit.

OBJECTUM, UTILITAS, ET DIVISIO TRACTATUS

13. — Gratia divina, in præcedentibus Tract., fuit considerata vel in suo primario fonte, seu in vita Dei ad intra per trinitatem personarum; vel in sua causa meritoria, exemplari et finali, seu in Christo redemptore et salvatore; vel in se, seu in sua natura, in sua concessione in Adamo, in sua amissione per peccatum originale, in sua recuperatione per justificationem, in sua consummatione per gloriam. Nunc vero eadem gratia consideranda est quatenus in animas fluit vi signorum sensibilium seu Sacramentorum ad hoc a Christo institutorum.

Mira autem et inenarrabilis est excellentia atque utilitas Sacramentorum novæ legis, si spectentur in se, vel in sua origine, vel respectu fidelium et Sacerdotum.

In se quidem, nihil sanctius, excellentius aut magis divinum, juxta Rituale Romanum.

In *sua origine*, nihil præstantius ac venerabilius. Siquidem e cœlo super terram a Domino Salvatore allata sunt, atque ab ejus sanguine, meritis et latere dimanarunt, inquit S. Augustinus.

Respectu fidelium, nihil adeo utile imo et necessarium; nam *per ea vera justitia vel incipit, vel incœpta augetur, vel amissa reparatur*, juxta C. Trid. n, 1. Unde sunt uberrimi fontes, quos Verbum Dei voluit esse perennes in domo sua, ex quibus hauritur aqua saliens in vitam æternam; vel septem columnæ excisæ a sapientia divina, super quas ædificatur Ecclesiæ domus, ait S. Cypr., *Epist.* 63.

Respectu Sacerdotum, nihil pari honore, veneratione, pietate et diligentia prosequendum atque tractandum. Objectum enim Sacerdotii et Apostolatus est præparare homines ad Sacramenta digne suscipienda, eisque hæc Dei mysteria conferre. Sacerdotes ergo, qui singulas debent nosse Theologiæ partes, Sacramentorum doctrinam singulari studio et speciali diligentia tenentur addiscere.

Primum dicemus de Sacramentis *in genere*, postea vero de unoquoque Sacramentorum *in specie*.

16. — Septem erunt capita de Sacramentis in genere : 1° de notione, convenientia et existentia ; 2° de materia et forma ; 3° de effectu ; 4° de institutione ; 5° de ministro et qualitatibus ministri Sacramentorum ; 6° de suscipiente et suscipientis dispositionibus ; 7° de cæremoniis et sacramentalibus [1].

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE, CONVENIENTIA ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM

ARTICULUS PRIMUS

De notione Sacramentorum in genere.

17. — *Quæritur* 1° quid sit *Sacramentum* quoad nomen? *Resp*. Nomen *Sacramenti* aliter a profanis, quam a sacris Scriptoribus acceptum est. Nam, apud priscos linguæ latinæ auctores, Sacramentum significat vel pecuniam sive pignus a litigantibus ad Pontificem depositum, quo mulctabatur is, qui causa ceciderat, in pœnam injustæ litigationis; vel juramentum, præsertim militare, quo se milites fidelem operam reipublicæ præstituros pollicebantur.

Apud Sriptores sacros vel ecclesiasticos, Sacramentum, græce *mysterium*, significat 1. *rem sacram*, sed *occultam* et latentem, ut Sap. 2, ℣ 22 : *Nescierunt sacramenta Dei*, seu Dei secreta.

2. *Ipsum* rei sacræ et occultæ *symbolum* seu *signum*; hoc sensu dixit S. Augustinus, Ep. 138, c. 5, « *signa, cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellari.* »

3. Signum rei sacræ et occultæ, sed Deo hominem *consecrantis* seu sanctificantis et ejus cultui initiantis. Quo sensu hic accipitur, et etiam dicitur a SS. Patribus *symbolum, mysticum signum, sacrum signum.*

1. Circa Tract. *de Sacram. in genere*, consuli possunt Chardon, *Histoire des Sacrements*; — Drouin, *de Sacramentis in genere* : duo illa opera in Cursu Compl. inserta sunt; — S. Th., 3. p., q. 60 et seq.; *Cont. Gent.* lib. 4, c. 56, 57, 58; — Suarez, *de Sacram. in genere*; — S. Ligor., lib. 6, *de Sacram. in genere*; — Billuart; — *Catechismus Rom.*, 2 p.

18. — *Quæritur* 2° quid sit *Sacramentum in genere* quoad rem?

Resp. Sacramentum in genere definiri potest cum S. Th. 3 p. q. 60, a. 2 : *Signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines;* vel : *Signum sensibile conferens externam saltem sanctificationem, et internam a Christo promerendam significans, vel etiam hanc a Christo jam promeritam efficiens, permanenter a Deo institutum.*

1° *Signum sensibile;* et his verbis genus Sacramenti aperitur. Signum autem est illud, per quod aliquis devenit in cognitionem alterius : porro connaturale est homini, ut per sensibilia perveniat in cognitionem spiritualium, ita ut primo et principaliter dicantur signa, quæ sensibus offeruntur; ergo signum proprie dictum, de quo hic agitur, est res aliqua sensibilis; S. Th., 3 p., q. 60, a. 4.

2° *Conferens,* etc. Quæ verba differentiam specificam signi sacramentalis ab aliis signis exprimunt. Sacramenti enim proprium istud est ac singulare, 1. ut sit cæremonia instituta ad significandam et conferendam aliquam sanctificationem homini; 2. ut conferat sanctificationem saltem imperfectam seu exteriorem et legalem; 3. ut, conferendo sanctitatem duntaxat exteriorem, significet tamen interiorem et perfectam sanctificationem. Suarez. q. 60, disp. 1, sect. 1, 2.

Sanctitas autem imperfecta et exterior consistit in externa quadam consecratione, deputatione ac habilitate ad cultum Dei externum, atque congregatione ad populum Dei; interna vero ac perfecta est animæ Deo consecratio et conjunctio per gratiam sanctificantem. Unde signum interiorem sanctificationem significans tantum, dicitur *speculativum* et imperfectum Sacramentum; signum autem illam interiorem gratiam conferens, dicitur *praticum,* et ideo perfectum Sacramentum.

3° *A Deo institutum*, sive immediate a seipso, sive ex potestate a Deo ipso concessa : nullum siquidem signum sanctitatem sive externam, sive internam significare et præsertim conferre potest, nisi ex institutione illius, qui est auctor cujuslibet sanctitatis, atque fons omnis gratiæ. Unde

signum, de quo agitur, non est signum ex natura, nec ex instituto hominum, sed ex Dei arbitrio.

4° *Permanenter*, id est, stabili ac perpetua lege institutum. Sacramenta enim sunt præcipuæ cæremoniæ, quibus populus Dei in unam religionem coalescit, et ab aliis distinguitur ; ac proinde tandiu durare debent. quandiu perseverat forma religionis, propter quam instituta sunt.

19. — *Quæritur* 3° quid sit Sacramentum *in specie?*

Resp. Duplex est species Sacramentorum ratione significationis et effectus, scilicet, antiqua ante adventum Christi, et nova post Christi passionem.

Antiquum autem Sacramentum recte definitur : *Signum sensibile conferens sanctitatem externam ; atque significans tantum gratiam dandam per passionem Christi, divinitus permanenter institutum*, id est, pro toto tempore veteris legis.

Unde 1. Sacramentum legis veteris fuit signum speculativum tantum gratiæ interioris, et ideo imperfectum.

2. Cæremonialia, quæ in lege naturæ vel Moysis sanctitatem externam non conferebant, nec internam significabant, non erant sacramenta, sed sacrificia, vel observantiæ, vel aliquid hujusmodi.

Sacramentum vero novæ legis definitur : *Signum sensibile ad significandam et producendam gratiam sanctificantem, a Christo permanenter institutum ;* seu, ut ait Concil. Trid. sess. 13, c. 3 : *Est invisibilis gratiæ visibilis forma, ad nostram justificationem instituta ;* vel etiam : *signum efficax gratiæ*. Essentia igitur sacramenti novæ legis duobus elementis coalescit, nimirum, re visibili seu signo significante et producente, et re invisibili seu gratia significata et producta ; institutio autem divina ex utraque sequitur.

20. — Hinc 1° Sacramentum novæ legis est signum practicum seu gratiæ interioris productivum, et ideo perfectum. Unde principaliter et explicite demonstrativum est rei, quam in nobis efficit, gratiæ scilicet, quæ est forma nostræ sanctificationis ; minus autem principaliter et impli-

cite rememorativum est passionis Christi, quæ est causa sanctificationis nostræ; et etiam prognosticum seu prænuntiativum futuræ gloriæ, quæ est ultimus finis ejusdem sanctificationis. S. Thomas, 3 p., q. 60, a. 3.

21. — Hinc 2° sacramenta non sunt alia quæcunque signa sensibilia rerum sacrarum, in nova lege usitata, quæ non significant, nec conferunt gratiam sanctificantem; v. g., imagines Christi et Sanctorum, votum, professio monastica, tonsura clericalis, cæremoniæ proprie dictæ et sacramentalia, martyrium, lotio pedum. Idem dicendum est de columba, quæ apparuit in Christi baptismate, et de linguis igneis, quæ super Apostolos descenderunt in die Pentecostes.

22. — *Quæritur* 4° quodnam sit discrimen inter sacramentum et sacrificium?

Resp. Multiplex adest discrimen inter *sacramentum* et *sacrificium*. Scilicet, sacramentum et sacrificium conveniunt in ratione signi sacri, tam ex parte cæremoniæ, quia utrumque esse debet cæremonia religiosa, quam ex parte rei significatæ, quia in utroque debet esse res sacra. Differunt autem 1. ex parte *finis;* sacrificium enim primario et immediate refertur et instituitur ad tribuendum supremum *cultum* Deo, in testimonium supremi ipsius in res omnes dominii; sacramentum vero primario et immediate tendit ac refertur ad *sanctificationem* hominis significandam et efficiendam. 2. Ex parte *essentiæ;* siquidem sacrificium consistit in *actione* aliqua, quæ ad Deum refertur; sacramentum autem in receptione, seu quasi passione, quæ in Dei cultoribus aliquo modo recipitur. 3. Ex parte *subjecti;* nam idem sacrificium potest omnibus prodesse, dum unum sacramentum, seu usus sacramenti tantum ab uno recipitur, et ipsi soli prodest.

ARTICULUS II

De convenientia Sacramentorum.

PROPOSITIO

23. — *Sacramenta sunt maxime consentanea divinæ sapientiæ et hominis naturæ.* Certum est.

Probatur 1° *Ex natura hominis.* Pertinet ad sapientiam divinam, ut unicuique rei provideat secundum modum ejus conditionis : atqui ea nativa est hominis conditio, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur ; ergo congruum fuit institui Sacramenta, quibus ad cœlestia homo erigatur.

2° *Ex natura Ecclesiæ.* « In nullum nomen Religionis seu verum seu falsum coadunari possunt homines, nisi aliquo *signaculorum* seu *Sacramentorum visibilium* consortio colligentur, » ait S. August. *contra Faustum*, lib. 19, c. 11 ; ergo, ad adunationem Ecclesiæ et distinctionem fidelium, necessaria sunt Sacramenta. Sunt revera notæ quædam et vincula, quibus fideles ab infidelibus distinguuntur atque inter se connectuntur ; vel etiam voces quædam visibiles, quibus in conspectu hominem fidem profitentur ; propterea S. Augustinus illa appellat *quasi verba visibilia.*

3° *Ex natura Christi.* Instrumenta debent esse primæ causæ proportionata : atqui prima et universalis causa nostræ fidei et sanctificationis est Verbum incarnatum, atque ejus passio et mysteria sensibiliter peracta ; ergo congruum fuit Christi memoriam renovari sensibilibus signis, et sub his divinam virtutem invisibiliter operari ad fidem conservandam, gratiamque producendam.

4° *Ex variis virtutibus.* Etenim 1. hinc firmatur fides atque spes erigitur, dum signis sensibilibus quasi pignoribus Christum promittentem veniam peccatorum, Spiritum Sanctum, vitam æternam, obligatum habemus ; atque via salutis adeo facilior evadit, ut, si homo non sit valde negligens, horum signorum ope, non privabitur fructu sanctitatis.

2. Hinc etiam augetur charitas in Deum et Christum,

cujus misericordia, sapientia, potentia, liberalitas non parum relucent, dum in rebus facillimis sanctificationem nobis præparavit, et per easdem res corporeas, quibus utimur, spiritualem sanctitatem efficere voluit.

3. Tandem sacramenta superbiam edomant ac comprimunt, nosque ad humilitatem exercent, ac proinde quodammodo ostendunt divinam justitiam. Qui enim peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus, ita eis se submittere debet ad spiritualem sanctificationem, ut ibi adhibeatur medicinale remedium homini, ubi patitur morbum; sic etiam homo, cujus studium actionis præcipue versatur circa corporalia, per salubria exercitia Sacramentorum præservatur a superstitionis exercitiis.

Quæ rationes omnem vim suam habent præsertim pro Sacramentis novæ legis; attamen plures valent pro statu legis scriptæ et naturæ innocentis, ut observat Suarez, disput. 6, sect. 1.

ARTICULUS III

De existentia Sacramentorum.

24. — Genus humanum in quadruplici quasi statu considerari potest, nempe, *innocentiæ*, a creatione Adami usque ad lapsum; *legis naturæ*[1], a lapsu Adami usque ad Abraham; vel etiam usque ad legem scriptam a Moyse datam; *legis scriptæ*, a Moyse usque ad Christum; et *legis gratiæ*, a Christo usque ad mundi finem.

25. — Jam vero I. *In statu innocentiæ*, de facto nullum

1. Per *legem naturæ* non intelligitur a Theologis lex illa, quæ ex pura hominis natura rationali dimanat, et ad finem huic naturæ proportionatum conducit; nunquam enim humana natura hujusmodi statum legis naturalis habuit; sed a principio creata fuit ad finem supernaturalem, et ideo semper habuit aliqua supernaturalia præcepta, quibus ad eumdem finem dirigeretur, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 179, 181, 201, 217, 304, 358, 371.

Intelligitur vero lex, quæ complectitur dogmata et præcepta revelata *per se* et *ex natura* rei necessaria ad finem supernaturalem consequendum, et quæ tradebatur per *naturale* magisterium patrum erga filios. Sub hoc duplici respectu discrepat a lege mosaica seu scripta, ut dictum est in Tract. *de Revelat.*, n. 147. Vide Suarez, *de Sacram.*, disput. 4.

existitisse sacramentum sat communiter sentiunt Theolog tum quia de hoc omnino silent Scriptura et Traditio ; tu quia ille status brevissimo duravit tempore, et ideo co sentaneum non fuit institui sacramenta tam cito abolend S. Th. 3 p., q. 61, a. 2.

26. — II. *In statu legis naturæ*, 1°.fuit aliquod remediu quo *parvuli* utriusque sexus a peccato originali mund rentur.

Ita sentiunt omnes Theologi, absque ulla controvers aut opinionum varietate : quod signum est hoc dog certum ac indubitatum apud illos fuisse, ait Suarez. Il clare docet S. Augustinus, lib. 5 *contra Julianum*, c. 1 dicens : « Non est credendum ante datam circumcisione famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides carne venturi, *nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parv lis suis* ; quamvis quid illud esset, aliqua necessaria cau Scriptura latere voluerit. » — « Dicendum est, ait S. Th in 4. dist. 1, q. 1 ; et 3 p., q. 61, a. 2, ad 2, quod, an legem scriptam, erant quædam *Sacramenta necessitat* sicut illud fidei Sacramentum quod ordinabatur *ad dele nem originalis peccati* ; et similiter Pœnitentia, quæ ordin batur quoque ad deletionem actualis. » — « Absit ut *univer parvuli pereant*, quorum quotidie tanta multitudo moritu quin et ipsis misercors Deus, qui neminem vult peri *aliquod remedium procuraverit ad salutem.* » Innoc. III, c. tit. 42, lib. 3 Decret.

Hoc autem remedium contra originalem noxam pers veravit usque ad adventum Christi apud populos legi M saicæ extraneos ; et etiam apud Judæos sub lege Moysi tum pro infantibus, qui ante octavum a nativitate diem c cumcidi non poterant, tum pro mulieribus, quæ a circum cisionis lege immunes erant. Nam pro illis et istis nullum remedium legimus esse institutum in lege Moysis.

Et revera Deus, qui vult omnes homines salvos fieri haud dubie his omnibus parvulis consuluit, per aliqu remedium ad eluendam maculam originalem destinatum

2° Hoc remedium positum fuit in aliqua actione, v

rofessione fidei in venturum Messiam, et cultus religiosi, uo parvulus dicaretur Deo, et cultui ejus manciparetur ex de et intentione parentis, vel illius per quem remedium pplicabatur. Ita omnes, n. 61, 100.

3° Tandem hoc remedium non fuit in solo interiori ctu, sed debuit applicari per aliquem actum externum, ui esset veluti exterior professio fidei interioris. Hæc est ommunior sententia Theologorum, ait Suarez, *de Sacram.*, isput. 4, sect. 2. Id claré asserit S. Th., dum, in textu nodo allato, illud remedium vocat *sacramentum necessita-is*. Idem, 3 p., q. 70, a. 4, ad 2, sic docet: « Probabile amen est, quod parentes fideles pro *parvulis natis*, et naxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat *quoddam signaculum fidei*; sicut adulti pro seipsis pre-:es et sacrificia offerebant. » Equidem aliqui ex SS. Patribus dixerunt ad hoc sufficere solam fidem parentum. At, protestatio exterior fidei est etiam actus fidei; nec verba *sola fides* per se significant solam fidem interiorem; denum illi SS. Patres de sola fide hic locuti sunt ad exclusionem sacrificiorum. Unde rejicienda videtur sententia P. Perrone asserens « rem esse *valde incertam*, eo quod scripturæ de hoc remedio sileant; Patres vero in diversas obeant sententias. » *De Sacram.*, c. 3; vide n. 61, 101.

An autem in lege naturæ nonnulla pro adultis fidelibus exstiterint sacramenta, affirmat S. Th. in textu jam allato, in quo dicit « ante legem scriptam fuisse quædam *sacramenta necessitatis* sicut pœnitentia, quæ ordinabantur ad deletionem peccati actualis. » Idem propugnat Tournely, de Sacram. q. 2, a. 3; atque hoc suppeditant plures ex rationibus allatis n. 23.

Juxta S. Th., 3 p., q. 61, a. 3, ad 3, et q. 63, a. 1, ad 7, sacrificium Melchisedech, sacrificia amicorum Job, oblationes et decimæ tam *in lege naturæ*, quam in lege Moysis, ordinata sunt in figuram, et ideo erant sacramenta.

27. — III. *In statu legis scriptæ* fuerunt aliqua sacramenta: scilicet. 1. circumcisio pro toto populo, qua homi-

nes constituebantur et deputabantur in statu colendi Deum; 2. consecratio sacerdotum; 3. usus rerum ad Dei cultum pertinentium, uti esus Agni paschalis pro toto populo, esus panum propositionis pro ministris; 4. observantiæ ad removenda impedimenta cultus divini exercendi, uti expiationes pro peccatis pro toto populo, et pro solis ministris ablutio manuum et pedum, rasio capillorum, etc. Vide Billuart, *de Sacram.*, dissert. 2, art. 3.

Circumcisio autem fuit nostri Baptismatis figura; Agnus paschalis et Propositionis panes, Eucharistiam adumbrabant; Sacerdotium legale nostrum præfigurabat Sacerdotium; et variæ expiationes figuræ erant Sacramenti Pœnitentiæ. Confirmatio, dans plenitudinem gratiæ, et Extrema Unctio, immediate hominem disponens ad gloriam, non habuerunt proprias figuras in lege Moysis, ut significaretur hanc legem fuisse egenam et gratia vacuam, atque *nihil ad perfectum ducere*. S. Thomas, 3 p., q. 62, a. 1, et Supp. q. 29, a. 1.

Præfatæ notiones historicæ sufficiant circa antiqua Sacramenta, quæ jam a tempore Christi transierunt. Hic autem ex professo sermonem de solis legis novæ Sacramentis instituimus.

28. — IV. *In lege nova sunt Sacramenta* « numero pauciora, sed actu faciliora, virtute majora, utilitate meliora Sacramentis veteris legis, » ait S. August., lib. 19, contra Faustum, c. 13.

Thesis circa illorum existentiam hic brevissime expedienda est. Multo enim commodius in singulis Sacramentis explicabitur. Unde satis erit statuere quisnam sit numerus Sacramentorum novæ legis.

Errant hac in parte Protestantes, qui nec cum Catholicis, nec inter se consentiunt. Juxta illos, Sacramenta etiam novæ legis nullam gratiam per se producunt, ut infra dicetur: unde Lutherus modo unicum, mode duo, modo tria agnoscit Sacramenta, Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam; his Melanchton addit Ordinationem; Calvinus docet esse tantum Baptismum, Eucharistiam et Ordinationem. Hodie

vero omnes sectæ seu frustula ac fragmenta, quæ ex primitivo Protestantismo prodierunt, retinent tantum Baptismum et Cœnam, aut quodlibet Sacramentum potius rejiciunt, ut magis sibi cohæreant. Contra quos omnes sit

PROPOSITIO

29. — *Septem sunt novæ legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora.* De fide est.

Prob. 1° *Script.*, in qua, licet expressis verbis non legamus esse septem Sacramenta, tamen septem a nobis assignata, quoad rem saltem, habentur in variis locis. Ea loca nunc indigitare sufficiat, quæ fusius in singulis de unoquoque sacramento Tractatibus explicabimus.

Et 1. quidem Baptismus habetur Matth. 28, ℣ 19 : *Euntes, docete omnes gentes. baptizantes eos in nomine Patris*, etc. — Marci, 16, ℣ 16 : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* — Joan. 3, ℣ 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

2. Confirmatio traditur Act. 8, ℣ 17 : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.*

3. Eucharistia habetur Matth. 26, ℣ 26, et I Cor. 11, ℣ 23 et 24 : *Accepit panem, et gratias agens fregit*, etc. Joan., 6, ℣ 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

4. Pœnitentia, Joan., 20, ℣ 22, 23 : *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.*

5. Extrema Unctio, Jacobi, 5, ℣ 14, 15 : *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.*

6. Ordo, I Tim. 4, ℣ 14, et Epist. II ad eumdem, 1, ℣ 6 : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

7. Denique, Matrimonium inter Christianos esse Sacramentum testatur Apostolus, Ephes. 5, ℣ 32 : *Sacramentum*

hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia. Ergo ex Script, septem sunt Sacramenta.

2° *Traditione.* « *Septem* sunt *Sacramenta* novæ legis, scilicet, *Baptismus*, etc. » ait Conc. Flor. in decreto ad Armen. Idem sic definivit Conc. Trid., n. 2 : « Si quis dixerit, *Sacramenta novæ legis... esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium : aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum* : anathema sit. »

Revera septem illa Sacramenta semper in usu fuere non solum apud Ecclesiam Catholicam, sed etiam apud Orientales Schismaticos, ut constat ex Synodo celebrato contra Cyrillum Lucar, Patriarcham Constantinop., initio seculi XVII, ubi sic habetur : « Præ cæteris *Cyrillo dogmatizanti, et credenti* non esse septem Sacramenta Ecclesiæ, id est, Baptisma, Chrisma, Pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam Unctionem, Ordinem seu Sacerdotium, et Matrimonium, *juxta constitutionem Christi et Apostolorum*, sed mentienti non esse tradita a Christo in Evangelio, nisi solum Baptisma et Eucharistiam ; anathema sit. »

3° *Ration. convenientiæ.* Congruum est, ad vitam spiritualem homini tribuendam, perficiendam et conservandam, tot esse media, quot sunt media ad vitam corporalem homini tribuendam et conservandam : atqui ad vitam corporalem necesse est, 1. ut homo nascatur; 2. ut roboretur et ad virilem ætatem crescat; 3. ut in virili ætate nutriatur; 4. ut, si in morbum incidat, ei medeatur ; 5. ut a morbi reliquiis liberetur et perfecte convalescat; 6. deinde oportet, ut sint Magistratus, qui alios temporaliter gubernent ; 7. tandem requiritur ut sint conjuges, qui procreationi et educationi liberorum pie incumbant; ergo similiter congruum est septem esse Sacramenta.

Porro 1. per Baptismum spiritualiter renascimur; 2. per Confirmationem augemur in gratia et in fide roboramur ; 3. renati et roborati, divina nutrimur Eucharistiæ alimonia ; 4. per peccatum incurrimus animæ ægritudinem, et per Pœnitentiam spiritualiter sanamur ; 5. per Extremam

Unctionem spiritualiter, et aliquando corporaliter, prout animæ expedit, convalescimus; 6. per Ordinem Ecclesia gubernatur, et spiritualiter multiplicatur; 7. per Matrimonium corporaliter augetur, et pie educantur ejus filii. Unde, ut observatur in decreto ad Armenos jam citato, quinque prima Sacramenta ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem sunt instituta; duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt.

30. — *Quæritur* utrum *hæc septem Sacramenta sint inter se paria?*

Resp. Comparatio fieri potest ratione *necessitatis* vel *dignitatis*. Porro sub hoc vel illo respectu, non sunt inter se paria Sacramenta.

1° Non quidem ratione *necessitatis*. Etenim 1. pro *individuis*, Baptismus in re vel in voto est simpliciter et absolute necessarius. Eodem modo necessarium est Pœnitentiæ Sacramentum iis, qui, post Baptismum, ab acceptata justitia per peccatum mortale exciderunt. Confirmatio autem, Eucharistia et extrema Unctio ad salutem necessaria non sunt necessitate medii, sed præcepti.

2. Pro Ecclesiastica *societate*, Sacramentum Ordinis necessarium est necessitate medii; Matrimonium autem necessitate præcepti. Ita S. Th., 3 p., q. 65, a. 4.

Unde « Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse necessaria ad salutem, sed superflua..., licet *omnia singulis necessaria non sint*, anathema sit; » C. Trid. n. 5.

2° Nec ratione *dignitatis;* nam « Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse *inter se paria*, ut *nulla ratione aliud sit alio dignius*, anathema sit; » C. Trid. n. 4.

Et revera Eucharistiæ Sacramentum est inter alia perfectius. Nam 1. continet non solum gratiam, sed ipsummet auctorem gratiæ; unde fonti comparatur, cætera autem rivulis, ut ait Catech. Rom., n. 48; — 2. cætera etiam ad Eucharistiam sicut ad finem ordinantur, scilicet, Ordo ad Eucharistiæ consecrationem; Confirmatio ad robur contra verecundiam, quæ removere potest a tali receptione; Pœni-

tentia et Extrema Unctio ad dignam receptionem post peccatum; Matrimonium ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia, quam Eucharistia perficit; et ideo 3. fere omnia Sacramenta in Eucharistia consummantur: sic ordinati, baptizati, si sint adulti, communicant.

Cætera vero Sacramenta sic ratione perfectionis ordinantur a S. Thoma : Ordo, Confirmatio, Baptismus, Extrema Unctio, Pœnitentia, Matrimonium.

31. — *Obj.* Non legitur in Scriptura septem esse Sacramenta; ergo id credi non debet.

Resp. 1. *Dist. ant.* Non legitur secundum verba, vel quoad ipsos terminos, *conc.*; non legitur quod sensum, *nego.*

2. *Nego consequent.* Plura enim credi debent, quæ explicite Scriptura non continentur. Ex dictis in Tract.. de *Loc. Theol.*, n. 10, 11, plura credunt adversarii, quæ in Scriptura non legunt; non enim legunt in Script. esse tantummodo duo vel tria Sacramenta. Quonam in loco Scripturæ legunt voces Trinitatis, et alias?

Cæterum hic agitur de re practica, quam Ecclesia in usu quotidiano, habuit, etiam antequam Scripturæ ederentur; ergo ex sensu et usu Ecclesiæ germana interpretatio locorum Scripturæ, in quibus de Sacramentis mentionem occurrere dicimus, eruenda est. Porro Ecclesia, ex dictis, semper septem Sacramenta administravit; ergo loca Scripturæ, quæ Catholici proferunt de septem Sacramentis, vere hunc sensum habent.

CAPUT II

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM

Tres erunt articuli, 1° de notione; 2° de mutatione; 3° de unione materiæ et formæ.

ARTICULUS PRIMUS

De notione materiæ et formæ.

32. — *Quæritur* 1° an signum sensibile, quo nititur novæ legis sacramentum, constet duplici elemento, nempe, rebus et verbis?

Resp. affirmative, atque de fide est, ita ut sine manifesta

hæresi negari non possit, ait Soto. Dicitur enim *Ephes.* 5, ℣ 26 : « Christus dilexit Ecclesiam... mundans eam *lavacro aquæ* in *verbo vitæ.* » S. August., in Joan. tract. 80, ait : « Accedit *verbum* ad *elementum*, et *fit sacramentum.* » — « *Verba* et *res* sunt *de essentia* sacramenti, » inquit S. Th. in 4, d. 1, q. 1, a. 5, ad 2.

Conc. Florent. definivit « omnia novæ legis sacramenta perfici *rebus* tanquam materia, et *verbis* tanquam forma ; » ergo de fide est sacramenta novæ legis seu signum sensibile, quo nituntur, constare rebus et verbis.

Idem confirmatur congruentiis. 1. Ex parte *causæ sanctificantis*, seu Verbi Incarnati, cui Sacramentum quodammodo conformatur in hoc, quod rei sensibili verbum addatur, sicut in Incarnatione carni sensibili Verbum Dei unitur.

2. Ex parte *ejus qui sanctificatur*, hominis scilicet, ex anima et corpore compositi, cui igitur proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem sensibilem corpus tangit, et per verba ab anima creditur.

3. Ex parte *ipsius significationis.* Namque res externæ seu actiones sensibiles sunt valde accommodatæ ad exteriorem cultum divinum : atqui verba inter homines obtinuerunt principatum significandi, quacunque animo concipiuntur, ut ait S. August., lib. 2, *de Doctr. christiana*, c. 3; eo quod enim diversimode formari possint ad significandos conceptus mentis, hos magis distincte exprimunt ; ergo, ad perfectionem significationis sacramentalis, signum rebus et verbis constare debuit. S. Thomas, 3 p., q. 60, a. 6.

Et vero, duo sunt sensus, qui intellectui maxime deserviunt, visus et auditus ; ergo, ut homo per sensibilia perfecte manu ducatur ad spiritualia cognoscenda, requiritur repræsentatio aliqua sensibilis visui objecta, et simul verbum seu doctrina per auditum percepta.

Attamen in sacramentis veteris legis, v. g., in ritu circumcisionis, in immolatione et esu agni paschalis, in consecratione sacerdotum, nullum legimus verbum fuisse adhibitum. Alia enim debent esse sacramenta rei præsentis, et alia rei futuræ, ut ait S. August., lib. 19 *contra Faustum*, c. 16 ; siquidem rem præsentem clarius manifestamus,

quam futuram : porro veteris legis sacramenta prænuntia erant tantum Christi venturi ; ergo non ita expresse significabant Christum sicut sacramenta novæ legis, quæ ab ipso Christo effluunt, et quamdam similitudinem ipsius in se habent, ut modo dictum est ; nec ideo in eis adhibebantur verba, quæ principatum significandi obtinent. Aliunde status illius legis fuit imperfectus, atque in eo fides obscurior et magis implicita, quam in nova lege. Utebantur tamen etiam in illa lege ministri et fideles aliquibus verbis in his, quæ ad cultum Dei pertinent, ut patet ex Num. 6, ℣ 23, et ex Deuter. 26, ℣ 3. S. Th. 3 p., q. 60, a. 6, ad 3.

55. — *Quæritur* 2° an res et verba, quibus constant novæ legis sacramenta, sint *formalia*, aut *virtualia* seu æquivalentia?

Resp. 1. Pro quatuor sacramentis, nempe, pro Baptismo, confirmatione, Eucharistia, Extrema Unctione, res sunt *formales*, cum tamen aliqua distinctione. Videlicet, in Baptismo res est *ablutio* cum aqua, in confirmatione res est *unctio* cum chrismate, in Extrema Unctione res est *unctio* cum oleo infirmorum ; et ideo pro illis tribus sacramentis res est substantia quædam physica seu potius *usus* alicujus *rei sensibilis*.

In Eucharistia res remota seu potius removenda est substantia panis et vini, proxima autem sunt *species* panis et vini, sub quibus latent corpus et sanguis Christi.

Pro Ordine et Pœnitentia res est tantum *virtualis* seu formali æquivalens, utpote consistit in *actione* quadam aliquomodo sensibilis, nempe, in impositione manuum ex parte ministri pro ordinatione, et in actibus confessionis, contritionis et satisfactionis ex parte pœnitentis in sacramento Pœnitentiæ.

Tandem in Matrimonio res consistit in *actu traditionis corporum* per contractum matrimonii ; ac proinde res hujusmodi est virtualis simul et formalis : virtualis quidem, quatenus consistit in *actu* traditionis ; formalis autem, quatenus traditio hujusmodi pro objecto habet contrahentium *corpora*. Tract. *de Matrim.*, n. 86.

Hæc omnia sic explicat S. Th. 3 p., q. 84, a. 1, ad. 1. Scilicet, nomine *rerum corporalium* intelliguntur *large* etiam ipsi *exteriores actus sensibiles*... In sacramentis, in quibus confertur *excellens gratia*, quæ superabundat omnem *facultatem actus humani*, adhibetur aliqua *corporalis materia exterius*, sicut in Baptismo, ut sit plena remissio peccatorum quoad culpam et pœnam; in Confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus Sancti; in Extrema Unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis, quæ provenit ex virtute Christi, quasi ex quodam principio extrinseco... In sacramentis autem, quæ habent effectum *correspondentem actibus humanis*, *ipsi actus humani sensibiles* sunt *loco materiæ*, ut accidit in Pœnitentia et Matrimonio. Sicut enim in medicinis corporalibus quædam sunt res exterius adhibitæ, sicut emplastra et electuaria; quædam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quædam. »

2. Pro sex sacramentis, nempe, pro Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctione et Ordine, verba sunt formalia seu vere oralia; pro Matrimonio autem verba virtualia seu oralibus æquivalentia, uti nutus, gestus, sufficere possunt, quatenus illi gestus aut nutus exprimunt corporum *acceptationem* ex parte contrahentium.

34. — *Quæritur* 3º utrum sacramenta novæ legis constent *rebus* tanquam *materia*, et *verbis* tanquam *forma*?

Resp. affirmative. Etenim, ex Conc. Florent., « omnia sacramenta novæ legis perficiuntur *rebus tanquam materia*, *verbis tanquam forma*. » Insuper, ex Conc. Trid., sess. 14, c. 3, ipsius *pœnitentis actus* sunt *quasi materia* Sacramenti Pœnitentiæ. » — Idem sic clare docet S. Th., 3 p., q. 60, a. 6, ad 2, a. 7 : « Ex *verbis* et *rebus* fit quodammodo *unum* in sacramentis, sicut ex forma et materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum... In sacramentis *verba* se habent per modum *formæ*, *res* autem sensibiles per modum *materiæ*. »

Revera, illud habet rationem materiæ quod est determinabile et perfectibile per aliud; illud habet rationem formæ, quod est alterius determinativum et perfectivum : atqui, in

sacramentis, qua talibus, seu quatenus sunt signa rei sacræ, res determinantur per verba; siquidem res ex se indifferentes sunt ad multa significanda; dum per verba determinantur ad unum designandum : sic, v. g., effusio aquæ ex se significat vel ablutionem, vel refrigerationem; si addantur vero verba Baptismi, illa effusio determinatur ad significandam ablutionem spiritualem, juxta hæc S. August., Tract. 80 in Joan. : « Detrahe *verbum*, quid est aqua *nisi aqua?* Accedit *verbum* ad *elementum*, et fit *sacramentum*. »

Jam vero, res et verba sunt de essentia sacramenti ex dictis, n. 32; ac proinde « quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam sicut in *partes essentiæ*. » S. Th. 3 p., q. 90, a. 2. Aliunde materia et forma sunt partes essentiales cujusvis compositi, sive naturalis, sive artificialis seu moralis, quale est sacramentum novæ legis.

35. — Denominatio rei per vocem *materiæ*, et verborum per vocem *formæ* in sacramentis, ex Aristotelis philosophia in Theologiam introducta est a Guillelmo Antissidiorensi, ut videtur, circa annum 1215; brevi in scholis fuit communiter recepta, et usu ac sanctionibus Ecclesiæ consecrata, a qua ideo recedere non licet. Antiqui, quod nunc vocamus materiam et formam in sacramentis, dicebant *mystica symbola*, *signum*, *sacramentum*, *verbum* et *elementum*. Per *formam* sacramenti intelligebant interdum totum ritum seu cæremonias sacramenti, non præcise verba, ut S. August. lib. 1 *de Peccat. merit.*, c. 34, et Conc. Milevitanum.

Insuper a Scholasticis, S. Th. 3 p., q. 63, a. 3, ad 2; q. 84, a. 1, ad 3; Scotus, in 4, Dist. 8, q. 1, a 1, tria in sacramentis distinguntur, nempe, *sacramentum* tantum, *res* tantum, *res simul et sacramentum*.

Porro id est *sacramentum* tantum, quod *significat* et *non significatur*; *res* tantum id, quod *significatur* et *non significat*; *res simul et sacramentum*, id quod *signficat* et *significatur*. Sic in Eucharistia, species sunt sacramentum tantum, quia significant corpus Christi et gratiam, ipsa vero non significantur; gratia vero est res tantum, quæ significatur et non signi-

ficat; denique corpus Christi est sacramentum simul et res, quia significat gratiam, et significatur a verbis et speciebus; quoad alia sacramenta, præsertim Pœnitentiam, magis in hisce elementis assignandis laborant, et etiam inter se dissentiunt Theologi; S. Th. 3 p., q. 84, a 1, ad 3; de Lugo, disput. 2, sect. 8.

Attamen in illa distinctione 1. nomen *sacramenti* accipitur latius pro signo pertinente ad sacramentum, licet non sit pars constituens sacramentum seu ipsum signum sensibile; et ita caracter *res* et *sacramentum* dicitur, ut infra. n. 96 : 2. quando aliquid appellatur *sacramentum tantum*, non est sensus, quod in illo solo consistat tota ratio illius sacramenti, sed quod illud ita sit signum, ut non sit simul res significata; 3. ante Scholasticos, auctores tria præfata distinguebant tantum in Eucharistia; ita Hugo a S. Vict., lib. 2 *de Sacram.*, p. 8, c. 7 (Mign. 172, 1295), Innoc. III, c. 6, tit. 41, lib. 3 Decret.

36. — *Quæritur* 4° quotuplex esse possit materia Sacramentorum?

Resp. Multiplex esse potest, prout sumitur ratione distinctionis, modi et necessitatis.

Et quidem 1. ratione *distinctionis*, materia a forma distinguitur vel *realiter*, ut in Baptismo, vel tantum *virtualiter*, ut in Matrimonio.

2. Ratione, *modi* est vel *remota*, vel *proxima* : prior est ipsa res sensibilis, quæ ad Sacramenti confectionem adhibetur, seu res *circa quam* actio sacramentalis exercetur, v. g., aqua in Baptismo, panis et vinum in Eucharistia; posterior autem est ipsamet applicatio seu *usus* materiæ remotæ in actione sacramentali, v. g., *ablutio* ipsa per formam applicata ad Baptismum.

3. Ratione *necessitatis*, materia est *essentialis* vel *integralis* tantum, prout ad essentiam, vel ad integritatem Sacramenti pertinet; sic, in Sacramento Pœnitentiæ, confessio et contritio sunt materia essentialis, satisfactio in re est tantum pars integralis.

ARTICULUS II

De mutatione materiæ, aut formæ.

37. — *Quæritur* 1° *quotuplex* esse possit *mutatio* in materia vel forma Sacramentorum?

Resp. In materia vel forma Sacramentorum duplex fieri potest mutatio, *substantialis* nempe, aut *accidentalis*. Mutatio *substantialis* est, quando non adhibentur res et verba a Christo determinata, et quibus utitur Ecclesia; *accidentalis* autem, quando servantur quidem res et verba a Christo determinata, sed non adhibentur quædam cæremoniæ vel circumstantiæ ad essentiam Sacramenti non pertinentes. Ut id clare cognoscatur, quasdam hic apponemus regulas.

38. — Regula Prima. *Materia* Sacramenti mutatur *substantialiter*, quando, secundum communem usum et prudentium existimationem, *ejusdem non est rationis* et *nominis* cum ea materia, quam Christus determinavit, et quam usurpat Ecclesia.

Hæc regula vera est, sive id, quod materiæ debitæ loco substituitur, ab ea differat secundum speciem moralem: continget, v. g., mutatio substantialis materiæ in Baptismo, si naturalis aqua non adhibeatur, sed alias, ut, puta, aqua rosacea, vel aqua vinaria, aqua congelata, aut etiam nix. Similiter, si quis, in conficienda Eucharistia, loco panis adhibeat massam farinæ nondum coctam. Quamvis enim forsitan aqua congelata et nix, secundum speciem physicam non differant ab aqua liquida, nec panis a massa farinæ nondum cocta, nihilominus ab invicem specie morali differunt: quod sufficit ad substantialem materiæ sacramentalis mutationem. Ratio est, quia sacramentum est compositum *morale* ex institutione Christi ab hominibus exercendum et recipiendum humano et morali modo; et ideo in materia sacramentorum maxime attendi debet ejus aptitudo ad usum ipsius Sacramenti, et communis prudentium æstimatio. Porro aqua congelata, ut sic, idem de nive dicas, non est apta ad corporalem ablutionem, et ideo non vocatur specialiter aqua; pariter massa farinæ

nondum cocta, non est cibus humanus, nec a prudentibus nuncupari solet panis specialiter et sine addito; ergo aqua congelata, vel etiam nix, non potest esse Baptismi materia; et massa farinæ nondum cocta nequit esse materia Eucharistiæ.

Contra vero, toties *materiæ* mutatio consetur duntaxat *accidentalis*, quoties materia, quæ adhibetur, secundum communem usum et prudentium æstimationem, ejusdem est rationis communis cum ea, quam Christus instituit, et adhibet Ecclesia; quamvis tali materiæ forsitan desit quædam qualitas aut conditio ex præcepto ecclesiastico vel aliunde requisito; ut. g., si Sacerdos solemniter et absque necessitate baptizaret cum aqua non benedicta, vel si Presbyter Latinus consecraret in pane fermentato.

39. — Regula secunda. *Forma substantialiter* mutatur, quando, communi et prudenti hominum judicio, *non retinet eumdem sensum cum* verbis a Christo Domino institutis et ab Ecclesia usurpatis; quod sex præsertim modis potest contingere:

1. *Omissione* alicujus vocis essentialis: ut si quis baptizans omitteret unam ex Personis SS. Trinitatis.

2. *Additione* quorumdam verborum, quibus legitimæ formæ sensus destruatur: sic olim Ariani quidam baptizasse referuntur in nomine Patris majoris, et Filii minoris: ista autem Arianorum additio destruit formæ baptismalis sensum; quia forma Baptismi a Christo præcepta innuit Filium esse Patri æqualem, et unam tribus Personis divinis communem dignitatem, essentiam et potentiam; quod indicatur, cum dicitur: *In nomine Patris, etc.*, non vero *in nominibus*.

3. *Variatione* verborum, qua essentialiter mutetur sensus formæ, v. g., dicendo: *Ego tibi remitto peccatum originale*, quia ille loquendi modus non exhibet modum *ablutionis*, per quem anima in Baptismate a labe originali mundatur.

4. *Transpositione*, per quam turbetur et auferatur formæ sensus: v. g., si quis diceret: *In te baptizo nomine Patris, etc.*

5. *Notabili interruptione :* v. g., si prolatis istis vocibus, *Ego te baptizo,* post quadrantem addat, *in nomine Patris,* et post alium quadrantem adjiciat : *et Filii, etc.*

6. *Totali corruptione* termini essentialis : v. g., si quis diceret : *Ego te baptizo, in nomine Matris.*

Contra vero, si forma, prudentium judicio, eumdem sensum cum verbis a Christo institutis et ab Ecclesia usurpatis retineat, qualiscunque adveniat mutatio, erit solummodo accidentalis. Quare mutatio est solum accidentalis :

1. Si quis idioma mutet, quo in tali regione Sacramenta solent administrari : v. g., si quis in Ecclesia Latina baptizet lingua græca aut vulgari, imo quamvis jungat verba diversi idiomatis, dicendo, v. g. : *Je te baptise, in nomine Patris, etc.* Ratio est, quia Christus Dominus non determinavit verba formæ Sacramentorum materialiter, id est, quoad sonum et numerum syllabarum, sed formaliter seu quoad sensum.

2. Si omittatur quædam vox ad formæ essentiam non pertinens : v. g., si baptizans reticeat vocem *Ego.*

3. Si addatur aliquid non varians legitimum verborum sensum; v. g., si inter baptizandum dicatur *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, et Filii ejus Jesu Christi, etc.*

4. Si fiat aliqua verborum transpositio, oratione eumdem retinente sensum : v. g., si Sacerdos Pœnitentiæ formam ita proferat : *A peccatis tuis absolvo te.*

5. Si consuetæ formæ verba mutentur in alia æquivalentia, quæ eamdem rem non quomodocunque, sed eodem modo æque explicite ac distincte significent : v. g., si Presbyter absolvens dicat : *Remitto tibi peccata tua.*

6. Si verba formæ proferantur modo corrupto et adulterato, ita ut tamen tota illa oratio corruptis dictionibus constans, saltem quantum ad aliquam usus accommodationem, et habita ratione materiæ quæ applicatur, aliarumque circumstantiarum, v. g., personæ, temporis et loci, eumdem moraliter habeat sensum, quem habet forma propria. Sic, tempore Zachariæ, S. Pontificis, Sacerdos, qui latinam linguam ignorabat, hoc modo pronuntiabat : *Baptizo in nomine Patria, et Filia, et Spirita Sancta;* quem

baptismum esse validum judicavit Pontifex, si ille, qui baptizaverat, non errorem aut heresim volens introducere, sed pro sola ignorantia latinæ linguæ eam infringendo, ita fuisset locutus; quia eo in casu, habita ratione omnium circumstantiarum, videbatur idem esse in illis verbis sensus ac in forma propria. Similiter cum Sacerdos ex Vasconia oriundus dicit *Ego te vaptizo, ego te avsolbo*; vel, si quis balbutiendo, aut ex ignorantia, verba proferat magdam adhuc similitudinem habentia cum verbis legitimis, tunc adest mutatio solummodo accidentalis.

7. Si verba formæ proferantur cum aliqua sed brevissima interruptione, adeo ut verba præcedentia moralem habeant cum sequentibus connexionem : tunc, sicut in aliis casibus, mutatio erit duntaxat accidentalis.

40. — Regula tertia. Si formæ sacramentali inseratur, vel addatur vox *æquivoca,* tunc, juxta communem Theologorum sententiam, valor Sacramenti pendet a ministri intentione. Unde, si minister vocem illam intelligat in sensu erroneo, et legitimæ formæ destructivo, tunc erit substantialis formæ mutatio, et invalidum Sacramentum. Si vero minister vocem æquivocam intelligat in sensu legitimo, nec formæ opposito, tunc erit mutatio duntaxat accidentalis. Supponamus, v. g., aliquem baptizando dixisse, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et B. Virginis :* si per hanc additionem voluisset minister errorem introducere, quasi B. Virgo foret persona divina, tunc forma substantialiter mutaretur, et nullum foret Sacramentum. Si vero id diceret absque ulla prava intentione, sed eo solo fine ut B. Virginis patrocinium imploraret pro persona baptizata, tunc remaneret legitimæ formæ sensus, validumque foret Sacramentum.

Tota regula patet ex responsione S. Pontificis ad Bonifacium, Episcopum Moguntinum, super eo Sacerdote, qui baptizaverat *In nomine Patria, etc.;* decernit enim Baptismum non esse iterandum, si baptizans, non errorem aut hæresim volens introducere, sed pro sola latinæ linguæ ignorantia sic illam infregerit; ubi indicat formam futuram

fuisse invalidam et nullam, si nominatus Sacerdos verba illa protulisset cum intentione hæreseos introducendæ, v. g., si asserere voluisset tres Personas divinas esse tres deas corporeas et feminei sexus.

Doctrina in regulis allatis contenta nititur communi Doctorum consensu, et catholicæ Ecclesiæ praxi, ampliusque patebit, cum agetur de Sacramentis in particulari.

Quibus sic evolutis, sit quadruplex assertio quoad effectus mutationis substantialis vel accidentalis, aut materiæ et formæ dubiæ, respectu validitatis aut licitatis.

41. — I. Invalidum *redditur Sacramentum per mutationem* substantialem, *non vero per mutationem* duntaxat accidentalem. Certum est.

Namque tunc Sacramentum est invalidum et nullum, cum non adhibentur res et verba quæ Christus instituit, et quibus utitur Ecclesia; illud enim quod minister propria substituit auctoritate, vim non habet producendi gratiam, vel alium Sacramenti effectum : atqui, cum materia vel forma mutantur essentialiter, tunc non adhibentur res et verba a Christo Domino instituta; ergo tunc nullum est Sacramentum.

Revera, ipsamet Ecclesia nihil potest circa sacramentorum *substantiam*, uti expresse docet Conc. Trid., n. 155.

Quando autem materia vel forma Sacramenti mutatur duntaxat accidentaliter, tunc integra Sacramenti remanet essentia; ergo tunc Sacramentum non est invalidum, licet possit esse, et sæpius sit illicitum, n. 43.

42. — II. *Sacrilegium est mutare* essentialiter *materiam*, vel *formam Sacramentorum*. Certum est.

Qui enim substantialiter mutat materiam vel formam Sacramentorum, peccat tum contra Religionem, quia indignissime tractat Sacramentum, quod est res maxime sacra, sicque se grandi sacrilegio adstringit; tum contra charitatem erga proximum, utpote qui illum privat gratia et effectu Sacramenti.

Imo, si fieri possit, tenetur iterare Sacramentum, quando

agitur de Baptismo, Pœnitentia et Ordine, ne proximus careat Sacramento ad salutem necessario, vel ne ex invalida Ordinatione gravissima mala oriantur.

43. — III. *Non licet mutare etiam* accidentaliter *materiam vel formam Sacramentorum,* nisi excuset legitima causa. Certum est.

Etenim accidentia respectu substantiæ Sacramentorum, sunt ritus ab Ecclesia præscripti in illorum administratione : porro « si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ *ritus, in solemni Sacramentorum administratione* adhiberi consuetos,.. *sine peccato a ministris pro libitu omitti posse*... anathema sit, » ait C. Trid., n. 14; ergo peccat, qui illos ritus mutat vel omittit absque legitima causa.

Itaque, ex dictis, quotiescunque mutatio materiæ vel formæ Sacramentum reddit invalidum, illud quoque reddit illicitum; sed quamvis Sacramentum sit illicitum, potest tamen aliquando esse validum.

44. — IV. *Aliquando* licet adhibere materiam vel formam *dubiam.* Certum est.

Scilicet, in Sacramentis, quæ necessaria sunt ad salutem necessitate medii, ut in Pœnitentia et Baptismo, licitum est in casu necessitatis extremæ, adhibere materiam vel formam dubiam, si certo valida non possit adhiberi.

In casu enim necessitatis extremæ, præstat magis adhiberi remedium dubium, quam nullum. Deinde non homines propter Sacramenta, sed Sacramenta propter homines instituta sunt; sicque magis præstat periclitari Sacramenti valorem, quam hominis salutem.

ARTICULUS III

De unione inter Materiam et formam requisita.

Quæstio est de unione inter materiam et formam requisita, ut validum sit Sacramentum, vel ut fiat licitum.

PROPOSITIO PRIMA

45. — *Ut Sacramentum sit validum, requiritur et sufficit unio moralis inter materiam et formam; illa tamen unio longe major et arctior esse debet in quibusdam Sacramentis, quam in aliis.* Certum est.

Et quidem 1° requiritur unio moralis inter materiam et formam, seu requiritur ut materia et forma *simul moraliter* existant aut ponantur; unio enim moralis ea dicitur, vi cujus prudenter judicatur ex materia et forma unum confici Sacramentum, considerata propria illius Sacramenti institutione et materia, ac salva verborum veritate : atqui talis unio requiritur, ut patet; ergo, etc.

2° Talis unio sufficit ad Sacramenti valorem. Nam ad compositum morale sufficit unio moralis inter illius partes : porro Sacramentum est compositum morale; ergo, etc.

3° Hæc unio longe major esse debet in quibusdam Sacramentis, quam in aliis, quia in Baptismo, Confirmatione et Extrema Unctione, materia et forma propius conjungi debent, quam in Pœnitentia vel Matrimonio.

Revera, in Baptismo, Confirmatione et Extrema Unctione, verba formæ actualem materiæ applicationem significant; proinde, ut servetur formæ veritas, tanta debet esse propinquitas inter materiam et formam, ut eodem moraliter tempore, quo forma profertur, actio per formæ voces significata exerceatur : sic ista verba, *Ego te baptizo,* designant actualem ablutionem, ac proinde inter verborum illorum prolationem et ipsam ablutionem ea requiritur unio, ut, qui talia verba profert, ex communi prudentium agendi et loquendi modo, censeatur tunc abluere; alioquin non servaretur formæ veritas; ideoque, si inter ablutionem et verborum prolationem notabilis intercedat distantia, nullum erit Sacramentum.

Quanta autem præcise requiritur distantia, ut nullum sit Sacramentum, certa definiri non potest regula, sed viri prudentis relinquitur judicio.

Quod spectat ad Pœnitentiæ Sacramentum, cum sit institutum per modum judicii, talem duntaxat requirit confes-

sionis et absolutionis propinquitatem, qualis in humano judicio requiritur inter rei accusationem et judicis sententiam, quæ necessario simul non debent existere : quamobrem valide absolvitur, qui, post data Sacerdoti pœnitentiæ signa, in phrenesim incidit aut animi delirium.

Similiter matrimonium, cum sit contractus humanus ad Sacramenti dignitatem a Christo Domino evectus, talem inter materiam suam et formam, mutuam, scilicet, traditionem corporum, habere debet unionem, qualis necessaria est in aliis conctractibus humanis, in quibus necesse non est, ut contrahens uterque uno et eodem tempore consensum exprimat; ideoque validum est Matrimonium inter absentes, per procuratorem contractum.

Quod autem attinet ad Eucharistiæ Sacramentum, talem requirit materiæ suæ, id est, panis et vini præsentiam, ut vere proferatur particula demonstrativa, *Hoc* vel *Hic*.

46. — *Quæritur* 1° utrum materia formam debeat præcedere?

Resp. In Sacramentis Eucharistiæ et Pœnitentiæ, materia aliquatenus debet formam præcedere, non autem in aliis Sacramentis. Hæc est communis Theologorum sententia, tres complectens partes, quæ facile possunt probari.

Scilicet 1. in Eucharistiæ Sacramento debet materia formam præcedere, quia propositiones demonstrativæ supponunt aliquid præsens; ergo cum dicitur : *Hoc est Corpus meum*, debet præsupponi panis, qui per consecrationis verba transsubstantiatur in corpus Christi.

2. In Sacramento Pœnitentiæ contritio et confessio, quæ sunt quasi materia, debent absolutionem antecedere, quia rei accusatio et contritio debent Judicis præcedere absolutionis sententiam.

3. In aliis Sacramentis non requiritur ut materia formam præcedat; vera enim in illis erit forma, modo materia tunc applicetur, cum applicatur et forma.

47. — Hinc, in Sacramentis, argumenta, quæ vocantur *a pari*, vix ullius sunt roboris, imo sæpius periculosissima

evadunt, eo quod tota Sacramentorum essentia pendet a sola Christi Domini institutione, quæ respectu diversorum Sacramentorum valde diversa est. Quamobrem de Sacramentis nihil est asserendum, nisi quod innotescit ex Scriptura, Traditione et usu Ecclesiæ, nullatenus autem ex sola ratione, vel ex factis ad libitum comparationibus et paritatibus argumentandum.

48. — *Quæritur* 2° quandonam *iterandum* sit Sacramentum, ratione dubii de sufficienti applicatione materiæ *aut* formæ?

Resp. 1. Sacramenta *possunt* iterari, quoties adest prudens dubium de mutatione substantiali materiæ aut formæ, vel de insufficienti unione inter utramque. Tunc enim dubium est an, qui accedit ad Sacramentum, revera hujus fructum perceperit, defectu materiæ aut formæ : atqui timor prudens tanti incommodi est ratio sufficiens Sacramentum iterandi, et quidem sub conditione.

Contrarium autem tenendum est, si absit dubium vere prudens de valore Sacramenti ex parte materiæ vel formæ. Tunc revera inutiliter prorsus iteraretur eique gravis irrogaretur injuria, dum in vanum materia et forma sacramentalis applicarentur.

2. *Debent* iterari, et quidem conditionate, Sacramenta, quoties, posito prudenti dubio de mutatione substantiali materiæ aut formæ, aut de utriusque sufficienti unione, id postulant charitas, justitia et religio, id est, quoties ex justitia, charitate aut religione confici et administrari debuissent. In hoc enim casu, nullitas Sacramenti, si forte adesset, in damnum proximi, et aliquando in contemptum et irreventiam religionis caderet.

49. — Hinc 1. facilius iteranda sunt Sacramenta magis necessaria, et quæ semel tantum conferuntur, scilicet, Baptismus et Ordo, etiamsi eorum validitas collationis sit probabilior.

50. — Hinc 2., qui leviter dubitat nescitque cur timeat,

aut solum non reflexe recordatur se verba formæ pronuntiasse, mortaliter *per se* peccat, si formam iteret, vel etiam si verbum unum ter aut quater repetat.

Et revera, sic agendo, mutat formam inducitque novum ritum circa actionem omnium gravissimam; atque Christum, quem repræsentat, ridicule loquentem exhibet. Attamen in praxi scrupulosi, qui formam repetunt, plerumque a peccato mortali, imo sæpe etiam a veniali excusandi sunt, quia nimis agitati scrupulis, ex perplexitate, vel sine advertentia ad irreverentiam, ita stulte agunt. Vide S. Ligor. n. 28, 224.

Quæ pertinent ad iterationem Sacramentorum et quidem sub conditione, fusius expenduntur, ubi de unoquoque speciatim agitur.

PROPOSITIO II

51. — *Ut licite Sacramentum conficiatur, talis inter materiam et formam unio servanda est, qualis ab Ecclesia præcipitur*. Certum est.

Etenim Sacramentorum ministri tenentur observare ritus omnes ab Ecclesia præscriptos ad licitam et religiosam Sacramentorum administrationem, ex dictis, n. 43.

Unde diligenter servandæ sunt regulæ omnes in Rituali præscriptæ, præsertim circa Sacramentorum materiam et formam, circa utriusque unionem, et modum pronuntiandi verba formæ, quæ scilicet, *reverenter, attente, distincte* et *continuate* proferenda sunt.

Curet igitur Minister, ut omnia graviter, religiose, et cum fidelium ædificatione perficiat. Caveat ne, propter nimiam celeritatem, aut agendi consuetudinem, vel etiam memoriæ defectum, quidpiam omittat. Tutius erit generatim, si in precibus recitandis Rituale præ oculis habeat.

CAPUT III

DE EFFECTIBUS SACRAMENTORUM

Præter materiam et formam, adest aliud elementum Sacramentorum novæ legis constitutivum, scilicet effectus.

Duplex autem præcipuus distinguitur hujusmodi effectus, nimirum, gratia sanctificans, quam omnia Sacramenta producunt, et character, qui a tribus duntaxat imprimitur. Unde

ARTICULUS PRIMUS

De gratia Sacramentis producta.

Dicemus, an Sacramenta producant gratiam ex opere operato, qualem, quantam, et an aliquando suspensa remaneat illa gratia.

§ I

An Sacramenta gratiam producant ex opere operato.

52. — *Quæritur* quid, et an sit gratia *ex opere operato* collata?

Resp. Gratia ex opere operato collata, ea est quæ *vi et efficacia ipsius operis externi sacramentalis* a Christo instituti, seu *virtute* supernaturaliter communicata *debitæ applicationis materiæ et formæ, producitur* ultra omne meritum ministrantis vel recipientis Sacramentum, modo nullus sit obex. In hoc discrepat a gratia *ex opere operantis* collata, quæ a Deo conceditur intuitu fidei et pietatis seu meriti vel ministrantis, vel recipientis Sacramentum.

Jam vero, Protestantes asserunt Sacramenta novæ legis vim solummodo habere, ad modum concionis et promissionis, excitandi fidem, qua credamus, juxta Dei promissionem, nobis revera imputari Christi justitiam ; atque ideo negant ullum Sacramentum conferre gratiam ex opere operato. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

53. — *Sacramenta novæ legis gratiam conferunt ex opere operato non ponentibus obicem.* De fide est.

Prob. 1° *Scripturæ* verbis ad unumquodqne Sacramentum pertinentibus, jam relatis, n. 29. Sic, inter alia : « Nisi quis renatus fuerit *ex aqua et Spiritu Sancto*, non potest introire in regnum Dei. » Joan. 3, ℣ 5 : porro hic evidenter regenerandi vis et efficacia aquæ non minus ac Spi-

ritui Sancto tribuitur, aquæ tanquam instrumento, Spiritui Sancto tanquam causæ principali ; ergo, etc.

« Admoneo te ut resuscites *gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum;* » II Tim. 1, ℣ 6 : porro gratia data per manuum impositionem, seu ex applicatione alicujus signi externi, certe confertur vi hujusce signi, seu ex opere operato. Quod etiam non minus patet ex his verbis : « Cum vidisset autem Simon, quia *per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus*, obtulit eis pecuniam, etc. » Act. 8, ℣ 18.

2° *Traditione*. « Caro abluitur, *ut anima emaculetur ;* caro *ungitur, ut anima consecretur ;* caro signatur, *ut et anima muniatur ;* caro manus impositione adumbratur, *ut et anima Spiritu illuminetur ;* caro corpore et sanguine Christi vescitur, *ut et anima de Deo saginetur ;* » Tertull. *de Resur. carnis*, c. 8. — *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat?* S. Aug., *in Joan.* 80. — « Dominus Jesus originem, quam sumpsit in utero Virginis, posuit *in fonte Baptismatis ;* dedit *aquæ*, quod dedit Matri : *virtus enim Altissimi, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem ;* » S. Leo, *Serm.* 5, *in Nativ.*

Idem sic definivit Conc. Trid, n. 7, 8, 9 : « Si quis dixerit, *Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant ;* aut *gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre,* quasi *signa tantum externa* sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus : anathema sit. »

« Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta *semper et omnibus, quantum est ex parte Dei,* etiamsi rite ea suscipiant, sed *aliquando* et *aliquibus :* anathema sit. »

« Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta *ex opere operato non conferri gratiam*, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere : anathema sit. »

3° *Ration. theolog.* Semper in universa Ecclesia, imo

ab ipsis Hæreticis, et etiam a Protestantibus, baptizati su sive infantes, sive amentes; imo olim parvulis conferebat tur insuper Confirmatio et Eucharistia : porro, si Sacra menta ex se non conferunt gratiam, sed solum excita fidem promissionibus Christi, cujus fidei virtute grat producatur, ut fingunt Protestantes, tunc inutiliter et om nino invalide Baptismus administratur sive infantibus amentibus, sive ab Hæreticis, utpote non recta fide baptis tum imbuentibus ; sed etiam Sacramenta effectum æq producerent in adstantibus ac in suscipientibus ; imo e dem virtute gauderent Sacramenta veteris legis, sacra mentalia in nova lege, verbi divini prædicatio, Sanctoru imagines, bona exempla : quæ autem omnia repugna sensui et praxi constanti et universali Ecclesiæ, et ipso rum Hæreticorum ; ergo ex se gratiam conferunt Sacra menta.

Et vero, in adultis Sacramenta supponunt fidem : *Q crediderit, et baptizatus fuerit*. Marc. 16, ✝ 16 ; — *Si cre ex toto corde, licet* (baptizari), Act. 8, ✝ 37 ; nec præt hanc fidem, alia necessaria est, quæ per Sacramenta fiat ergo, vel Sacramentum per se nihil facit, si sola fides just ficat, quum hæc fides et ideo justificatio ab hac fide pro ducta, præcedere debeant Sacramentum ; vel Sacramentum justificat, per se veram justitiam conferendo.

Aliunde valde conveniens fuit Sacramenta novæ legis conferre gratiam ad nostram utilitatem, ad perfectionem novæ legis, ad ostendendam efficaciam meritorum Christi, denique ad demonstrandam divinam potentiam et sapientiam, et erga homines misericordiam atque liberalitatem. n. 25.

Hæc thesis iterum confirmabitur cum de unoquoque sigillatim Sacramento tractabimus.

54. — Hinc 1° *verba formæ* in Sacramentis novæ legis. *non sunt necessario promissoria et concionatoria*, sed *consecratoria* seu gratiæ productiva.

Patet, ex dictis, siquidem concio in Baptismo parvulis aut amentibus collato, est prorsus inutilis ; et nihilominus

prolatione verborum simul cum applicatione materiæ, nfertur gratia illis suscipientibus.

55. — Hinc 2° verba, *ex opere operato*, quoad *rem ipsam* *sensum* leguntur in Scriptura et SS. Patribus, etsi non plicite quoad eosdem terminos.

Enim vero ex dictis, n. 53. sacræ Litteræ et veteres Pa- es summo consensu docent Sacramenta novæ legis esse re gratiæ causas, seu per illa animas etiam parvulorum nasci, a peccatis mundari, gratiam et Spiritum Sanctum onferri, ut vidimus : atqui hoc nihil aliud est quam pro- ucere gratiam ex opere operato ; ergo, etc.

Aliunde patet Ecclesiam habere potestatem novis utendi ocibus ad rectius et distinctius fidem antiquam explican- lam, eamque ab Hæreticorum fraudibus vindicandam. Sic onc. Nicæn. I vocem *Consubstantialis*, tanquam fidei eræ tesseram consecravit. Similiter, *Trinitatis* et *Incarna- ionis* voces, sicut et alias, in usum adhibuit, licet in Scrip- uris non legantur. Eodem jure Conc. Trid. voces, *ex opere perato*, adoptavit, ad Sacramentorum efficaciam nitidius xponendam. Nec refert hujusmodi loquendi modum esse arbarum (est enim *operari, operor*, verbum deponens, ctionem, non passionem significans) : « *Melius est, ut nos eprehendant grammatici, quam ut non intelligant populi*..... *Melius in barbarismo nostro vos intelligitis*, quam in nostra isertitudine vos diserti eritis. » S. August. in Ps. 138, in 's. 36, *serm.* 3. Cæterum, vox *operatum* in sensu passivo in- enitur apud Livium, Cæsarem, Tertullianum, Lactantium; c formula *ex opere operato* primum forte occurrit apud Petrum Pictaviensem, an. 1205 ; dein apud Innoc. III, *de Mysteriis missæ*, lib. 3, c. 5, apud S. Th. in 4, d. 1, a. 5.

56 — *Obj.* Sacramenta, ut gratiam in adultis producant, va- rias requirunt dispositiones, ex dicendis, n. 145, 147, 148 : atqui hoc supponit gratiam concedi virtute illarum disposi- tionum, non autem virtute sacramentorum seu ex opere operato.

Resp. Nego min. Præviæ enim dispositiones requiruntur ad obicem removendum, et tanquam conditio sine qua non, non

vero directe ad gratiam per se producendam, siquidem ultra et supra illarum dispositionum virtutem producitur gratia ex opere operato collata; sic, v. g., attritio *per se* non sufficit ad recuperandam gratiam per justificationem, ex dictis in Tract. *de gratia*, n. 284; posito autem sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ, sufficit illa attritio; ergo sacramenta gratiam conferunt ultra et supra virtutem præviarum dispositionum, quæ requiruntur tantum uti conditio sine qua non seu ad obicem removendum. Sic, sol illuminare cubiculum non potest, nisi aperiantur fenestræ : non idcirco autem fenestrarum aperitio est proprie causa huminis, sed solummodo conditio sine qua non, et ad instar removentis impedimentum lucis; n. 73, 74.

57. — *Inst.* In Pœnitentiæ sacramento actus pœnitentis, nempe, confessio, contritio et satisfactio sunt *quasi materia* sacramenti; ergo in hoc sacramento gratia confertur vi actuum penitentis.

Resp. Nego conseq. Etenim hoc speciale est huic sacramento, quod actus pœnitentis, quatenus præviæ dispositiones, ex se removent tantum obicem; quatenus vero informati per absolutionem, fiunt quasi materia illius sacramenti, et ideo, ut pars signi sacramentalis, concurrunt cum forma seu absolutione ad conferendam gratiam ex opere operato. Vide Tract. *de Pœnit.*, n. 81, 13, 176, 177.

Idem verum est de mutuo matrimonii consensu inter christianos, qui est materia et forma illius sacramenti, quatenus corporum traditio et acceptatio; atque ideo hujusmodi consensus mutuus non producit gratiam sacramentalem uti actus liber et supernaturalis, sed uti a Christo constitutus tanquam materia et forma sacramentalis, ex dicendis in Tract. *de Matrim.*

58. — *Quæritur* utrum sacramenta gratiam ex opere operato producant *physice* vel *tantum moraliter?*

Resp. Controvertitur; atque hujusce quæstionis solutio multis intricatur difficultatibus, quarum tamen expositio quasdam implicat notiones in scientia Theologica haud parum utiles. Videlicet,

Causa est physica vel moralis; utraque est principalis vel instrumentalis.

Causa *physica* ipsum effectum producit *reali influxu*. *Principalis* causa physica virtute *propria* ponit effectum, uti ignis causat calorem, sol lumen, pictor tabellam. *Instrumentalis*

causa physica effectum producit virtute non propria, sed a causa principali physica sibi transeunter communicata, ita ut ex sua virtute insufficiens est effectui producendo; v. g., penicellus, quo utitur pictor, est instrumentalis causa physica tabellæ; similiter, corpus motum ab aliqua substantia spirituali ad aliquem spiritualem effectum inducendum, est hujusce effectus physica causa instrumentalis. Hæc causa vel adhæret causæ principali, ut humanitas Verbo, calor igni, manus homini; vel reali unione non adhæret, ut penicellus pictori, sacramenta Deo.

Causa *moralis* non realiinfluxu ipsum effectum producit, sed causam physicam intelligentem ad effectum producendum movet et allicit sui positione, merito, imperio, consilio, precibus, imo omissione impedimenti, quando potest et debet impedire.

Principalis causa moralis ea est, quæ *proprio morali* influxu movet et allicit causam physicam intelligentem ad effectum producendum; sic, v. g., merita filii regis hunc movent ad concedendam reo veniam, quam erogat filius.

Instrumentalis causa moralis illa est, quæ physicam causam intelligentem ad producendum effectum movet et allicit virtute non propria, sed sibi a causa morali principali transeunter communicata; sic legatus aut epistola a regis filio missa ad patrem, ut reo veniam concedat, est hujusce veniæ instrumentalem causam moralem; item chirogrophum regium, quo agnoscitur aliqua pecuniæ summa uti a rege debita, est instrumentalis causa moralis ad illius summæ solutionem. Proinde causa moralis, sive principalis, sive instrumentalis, distinguitur a mera conditione *sine qua non*, et a mera *occasione*. Neutra enim movet et allicit causam physicam intelligentem ad effectum quemlibet ponendum. Tract. *de Act. hum.* n. 63.

Jam vero 1° Deus est principalis causa physica gratiæ sive in sacramentis, sive extra sacramenta, ex dictis in Tract. *de gratia*, n. 93, 187, 194, 304, 313, 358. Christus autem est cujuslibet gratiæ hominibus collatæ principalis causa moralis, ex probatis in Tract. *de Incarn.* n. 176-242, et ex dicendis. n. 105.

2° Sacramenta sunt gratiæ ex opere operato collatæ causæ *instrumentales saltem morales*, juxta omnes; et hoc quidem duplici modo. Scilicet, 1. eo sensu quod Christus, quatenus principalis causa moralis seu meritoria gratiæ, disposuit et pepigit, ut sacramenta, quoties rite administrarentur, censerentur vice, nomine et in persona ipsius administrata, atque

ejusdem valoris et pretii, ac si ipse passionem Patri pro gratia obtinenda offerret.

2. Insuper eo sensu, quod Deus ipse, utpote principalis causa physica gratiæ, determinavit Christum ad instituenda sacramenta, n. 108, 103, 105, et libere promisit se gratiam daturum ad illorum positionem; ac proinde, sacramentis positis, eo ipso Deus movetur ad promissæ gratiæ concessionem, sicut, exhibito chirographo regio, statim movetur rex ad solvendam pecuniæ summam in illo chirographo agnitam uti a rege debitam.

3° Utrum autem sacramenta sint gratiæ causæ instrumentales etiam *physice*, negant Scotus et Scotistæ, inter quos S. Bonaventura, Melchior Canus, Henno, quibus adhærent Vasques, de Lugo, Becanu, Juenin, Frassen, Tournely, Arriaga, Pallavicini, Franzelin, etc. Affirmant S. Thomas et Thomistæ fere omnes, et etiam Salmanticenses, Bellarminus, Suarez, Valentia, Ripalda, Isambertus, Drouvenin, Schäzler. Oswald, etc. Hanc controversiam sua contentione et disputatione celebriorem olim reddiderunt Suarez et Vasquez. Præcipua argumenta, quæ hinc et inde proferuntur hic contrahere tantum possumus.

Juxta Thomistas 1 ex Scriptura « renascimur *ex aqua, per lavacrum* regenerationis; » — ex SS. Patribus « *aqua* Baptismi *vim* sanctificandi *imbibit*; sacramenta fiunt et transeunt, *virtus* tamen, quæ *per ista operatur*, jugiter manet; *vis* hæc est *rore subtilior, fluens, incompleta, incomprehensibilis, inenarrabilis*; » — ex conciliis Florent. et Trid. « sacramenta novæ legis *continent gratiam*, quam significant... continent gratiam aliter, quam sacramenta veteris legis. »

Porro hujusmodi locutiones, per se significant instrumentalem causam physicam; nec necessario, semper et pro semper intelligi debent de instrumentali causa duntaxat morali; nec talibus locutionibus sufficienter satisfacit causa tantum moralis, quæ nec ex se producit gratiam, nec eam continet, nec ejus operandi modus est incomprehensibilis et inenarrabilis. Ergo ex Scriptura et Traditione sacramenta sunt gratiæ causæ instrumentales etiam physicæ.

2. Sacramenta novæ legis sunt gratiæ non solum signa, sed etiam causæ instrumentales, quatenus, ex divina ordinatione, hominibus adhibentur ad gratiam in eis causandam : atqui, si hujusmodi causalitas sit duntaxat moralis, eo ipso sacramenta novæ legis sunt tantummodo signa gratiæ, meriti

Christi, ac promissionis ex parte Dei de gratia concedenda, positis illis signis, non autem vere illius gratiæ causæ instrumentales; ergo sacramenta gratiam ex opere operato causant non solum moraliter, sed et physice. S. Th. 3. p. q. 62, a. 1.

8. Possibilis est et omnino conveniens hujusmodi operandi modus. Res enim sic se habet. Videlicet, Sacramentum pro termino habet gratiæ productionem, ita ut signum sacrum cum hoc effectu sit quid unum et indivisibile, uti requiritur pro causa physica; et ideo objici non potest quod sacramentum jam non existat, quando producitur gratia.

Sed etiam, ad causalitatem instrumentalem physicam, sufficit, quod instrumentum habeat *propriam actionem modificativam* virtutis principalis in se receptæ, qua actione constituitur in genere causæ, ita ut non sit purum vehiculum virtutis causæ principalis : et hoc fit, v. g., dum aqua per se corpus abluit, et, mediante hac ablutione, per virtutem sibi communicatam, animam supernaturaliter modificat seu abluit; Tract. *de Gratia*, n. 190.

Virtus illa spiritualis non recipitur in signo corporeo, quale est sacramentum, uti ejus qualitas seu accidens completum et permanens, et propter subjectum, cui inhæret, sed uti accidens incompletum, viale seu continuo tendens ad aliud, cui ideo proportionatur, potiusquam subjecto, quod e contra elevat ad quid nobilius et supernaturale; ac proinde tale accidens non est *secundum*, sed *supra* modum subjecti; S. Th. 3 p., q. 62, a. 1, 2; in 4, d. 1, q. 1, a 4; *de Verit.*, q. 27, a. 4. Vide Tract. *de Gratia*, n. 173.

Quare illud accidens non recipitur in signo corporeo sacramentali, quatenus hoc est corporeum formaliter, sed quatenus est ens et substantia; quia in eo recipitur ratione potentiæ obedientialis *passivæ*, quæ competit omnibus creatis sub ratione entis creati et creatæ substantiæ; Tract. *de Gratia*, ibid.[1].

1. Equidem accidens corporeum, etiam viale, non potest subjectari in subjecto spirituali, quia exigit subjectum extensum. Accidens vero spirituale non exigit subjectum inextensum, ut ipsum est, cum possit esse totum in toto, totum in qualibet parte, ut verum est de anima, quæ informat corpus. Accidens enim perficit subjectum, a quo recipitur : corpus autem natum est perfici a spiritu et ei obedire, non spiritus a corpore, quia natura inferior, per elevationem ad superiorem, nobilitatur ac perficitur; dum superior, ad inferiorem dejecta, deprimitur et destruitur.

Porro, his omnibus attente perpensis, nihil repugnat in hujusmodi operandi modo, sed ex omni parte convenit illa causalitas.

Respondent Scotistæ : 1. particulæ *ex, per* in Scriptura sæpe adhibentur ad significandam causalitatem tantum moralem, ut fatentur Thomistæ; nec in hoc casu adest necessitas de causalitate physica eas interpretandi, cum, e contra, hujusmodi interpretatio supramodum auget difficultatem absque ullo profectu.

2. Verba *inenarrabilis, incomprehensibilis, rore subtilior, fluens*, etc., a SS. Patribus adhibentur ad extollendum effectum seu causalitatem sacramentorum, abstrahendo a modo causandi, an physice, an moraliter tantum.

3. Sacramenta uti chirographa a Deo ipso et a Christo obsignata de gratia concedenda, positis illis sacramentis, non minus sunt causæ illius concessionis, quam regium chirographum de solvenda aliqua pecuniæ summa est causa hujus solutionis statim ac profertur coram rege : porro, juxta omnes, tale chirographum non solum est signum pecuniæ debitæ, sed etiam vere causa instrumentalis, licet moralis, solutionis infallibilis; et propterea in sensu morali proprie dicitur chirographum illud æquivalere pecuniæ, in eo pecuniam contineri, per ejus virtutem recuperandam, producendam esse pecuniam; ergo, posita instrumentali causalitate duntaxat morali, sacramenta dici non possunt signa tantum gratiæ, sed vere remanent causæ efficaces gratiæ, quam significant.

4. Magna remanet obscuritas in explicatione a Thomistis tradita de præfata causalitate physica : porro, ut ait de Lugo, disp. 4, sect. 4, n. 35, « non debemus res nostræ fidei absque necessitate difficiliores reddere. sed potius quantum fieri possit, faciliores et magis ad captum vulgi et infidelium accommodatas. »

Nec illa virtus sacramentalis consistit in potentia obedientiali *activa* omnibus rebus creatis congenita ad omnes effectus supernaturales, mediante solo concursu generali Dei, ut contendunt Suarez et quidam alii. Talis enim potentia obedientialis activa non existit in creaturis; aliunde foret naturalis simul et supernaturalis; atque per eam inverteretur omnis ordo gratiæ. Vide Billuart, *de Sacram.*, dissert. 3, a. 2.

PROPOSITIO II

59. — *Sacramenta veteris legis gratiam ex opere operato non producebant.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Galat. 4, ℣ 9, ubi Sacramenta veteris legis vocat Apostolus, *Infirma et egena elementa.* Et 6, ℣ 15 : *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* —Hebr., 7, ℣ 18 : *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem.* Unde sic : illa Sacramenta gratiam ex opere operato non conferebant, quæ infirma erant et egena elementa, et quæ reprobata fuerunt, eo quod inutilia essent et nihil valerent ad internam sanctitatem : atqui talia erant, ex Apostolo, Sacramenta veteris legis ; ergo non conferebant gratiam ex opere operato. Idem maxime probari potest ex Apost. Hebr. c. 9.

2° *Traditione.* « Per legem non potuit *comparari justitia,* nec sacerdotium vetus potuit prodesse et lætificare, » ait S. Chysost., *Homil.* 7, ad Rom., et *Homil.* 14, ad Hebr. — « Nova Sacramenta dant salutem, vetera *tantum promittebant* Salvatorem... : in veteribus sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed tautum *umbra futurorum,* » inquit S. August., *in Ps.* 73, et *Tract.* 41 in Joan. Eusebius, distinguens tria tabernacula, Synagogæ, Ecclesiæ et gloriæ, sic habet : « Primum in *umbra* fuit et *figura* ; secundum in *figura* est et *veritate* ; tertium in *veritate* solum : in primo *ostenditur,* in secundo *datur,* in tertio *possidetur.* Nec enim Sacramenta Ecclesiæ sicut Sacramenta Synagogæ, medicinam docent et ostendunt ; sed *ipsa* potius *sunt medicina* et *remissio peccatorum.* » *Homil. de Transfigur.*

Idem constat ex Conciliis. Decretum ad Armenos sic habet : *Antiquæ legis Sacramenta non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant : hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* — Conc. Trid. declarat anathema ei, qui dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta a Sacramentis legis *non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi ;* n. 3 : porro non viderentur a Sacramentis legis antiquæ, nisi ritu

externo differre, si veteris legis æque ac novæ Sacramenta gratiam contulissent.

3° *Ration. theol.* Gratia per sacramentum conferenda pendet a divina promissione: porro neque ex Scripturis, neque ex Traditione colligi potest hujusmodi promissio pro Sacramentis veteris legis, sed potius contrarium; ergo, etc. Revera, nulla erat absoluta necessitas, nec tanta efficacia et perfectio consentanea fuisset imperfectioni illius status et legis.

60. — Hinc circumcisio aliudve Sacramentum legis naturæ vel scriptæ, justificationem, vel augmentum gratiæ *ex opere operato adultis* non contulit, et ideo gratiam justificantem non fuit data nisi contritis, seu diligentibus Deum ex charitate et super omnia.

Attamen « tuto affirmari potest, ait P. Perrone, sententiam asserentem Sacramenta veteris legis produxisse gratiam ex opere operato *saltem per accidens*, fidei non adversari, » *de Sacr.*, 3 : « Sive dicas, addit Billuart, *de Sacram.*, dissert. 3, a. 6, Deum, illorum sacramentorum intuitu, adultis aliquem gratiæ gradum conferre ultra illum qui debetur merito, aut augere devotionem, aut fidem, aut attritionem, aut contritionem, quod est saltem concurrere mediate ad gratiam; sive aliquid aliud quod volueris, modo in eis salves rationem sacramenti, prout distinguuntur a non sacramentis, nec in ratione sacramenti sint inutilia. » Ita etiam S. Bonaventura, Soto, Cabrera, Estius Hugo.

61. — *Quæritur* 1° *quomodo* in lege naturæ et mosaica, *data fuerit justificatio parvulis, ex applicatione remedii peccati originalis?*

Resp. Patet his parvulis datam fuisse gratiam sine eorum actu; unde varie loquuntur Theologi circa modum, quo justificati fuerunt illi parvuli.

1. Plerique Theologi docent remedium peccati originalis non contulisse parvulis gratiam *ex opere operato simpliciter*. Ita S. Thomas, Suarez, Bellarm., et alii.

Quæ sententia potissimum fundari solet in generali doc-

trina de inefficacia legis antiquæ ad dandam gratiam, quam in præcedenti propositione demonstravimus; et deducitur præsertim ex decreto supra relato ad Armenos, tum ex reprobatione legis veteris ratione ejus infirmitatis et inutilitatis.

2. Remedium peccati originalis gratiam conferebat parvulis *præter opus operantis, seu solum ob specialem eorum necessitatem, qua sublata, jam nihil per se dabat.* Ita Suarez et alii plurimi.

Deus enim voluit, ex misericordia, et propter specialem parvulorum necessitatem, dare eis gratiam absque sufficienti dispositione ex parte eorum, posito aliquo signo ad hoc convenienti. Unde Sacramentum ipsum non erat operativum talis effectus; sed, *ratione necessitatis* parvulorum, Deus gratiam conferebat, supplendo inefficaciam Sacramenti. Propterea illud remedium a S. Thoma dicitur *Sacramentum necessitatis*; n. 26, 100.

Et vero, prius est continere gratiam, quam dare : porro dici nequit gratiam fuisse in Sacramentis antiquis contentam, quia nondum erat pretium illius gratiæ solutum; dum recte dicitur Sacramenta novæ legis continere gratiam Christi, quia jam Christus illam promeruit, atque eam in his sacramentis reliquit. Sic, inter duos homines, si unus, ad mercedem obtinendam, offerat testimonia earum rerum vel actionum, quas jam operatus est, alter vero offerat solum scripturam continentem promissionem futurorum laborum : merito dicitur prius instrumentum continere jam ipsum pretium, et esse de se efficax ad illud obtinendum ; posterius vero esse de se inefficax, quamvis interdum ex aliqua speciali concessione possit pretium obtineri seu anticipari.

62. — *Quæritur* 2° an Sacramenta legis antiquæ virtutem habuerint *excitandi fidem et charitatem erga Deum, sicque mediate gratiam contulerint?*

Resp. affirmative. Nam, ex Apost. Heb. 10, ℣ 1, *Umbram habens lex futurorum bonorum.* Unde sic : signa, quæ, ex divina institutione, prænuntiant Christum venturum, et

Salvatorem promittunt, apta sunt ad fidem et charitatem erga Deum excitandam : atqui Sacramenta veteris legis ex divina institutione prænuntiabant Christum venturum, et promittebant Salvatorem; ergo apta erant ad fidem et charitatem erga Deum excitandam, sicque mediate gratiam producebant.

Proinde homines justi, utentes illis sacrificiis vel Sacramentis, de condigno illis actibus merebantur coram Deo gratiæ augmentum. Vide Suarez, q. 62, disp. 10, sect. 3.

Præterea per Sacramenta veteris legis collata fuit sanctitas quædam corporalis, externa et legalis, per quam populus Deo peculiaris a cæteris discernebatur nationibus, et legalibus immunditiis purgabatur; eoque sensu plures Doctores intelligunt loca, quæ Sacramentis et sacrificiis legis mosaicæ vim remittendi peccata videntur tribuere, his aut similibus verbis, quæ passim leguntur in libris Levit. et Num.: *Anima, quæ peccaverit, offeret pro peccato arietem, rogabitque pro eo Sacerdos, et dimittetur illi.* Levit. 5, ℣ 15, 16. Quibus verbis existimant multi Scripturæ interpretes nihil aliud significare, nisi remissionem peccati quoad pœnam et immunditiam legalem, non vero quoad culpam et pœnam æternam; vel, ad summum, veteris legis Sacramenta et sacrificia profuisse ad obtinendas gratias, speciales, quarum ope elicerentur actus fidei, contritionis et charitatis.

§ II

Qualem gratiam conferant Sacramenta novæ legis.

Quæri potest utrum Sacramenta novæ legis conferant 1° gratiam habitualem, 2° gratiam *secundam,* seu gratiæ habitualis augmentum, iis qui jam illa gaudent, 3° gratiam *primam,* seu gratiam habitualem iis, qui illa carent; 4° gratiam sacramentalem. Hujusmodi quæstiones hic obiter solvere sufficiet; fusius enim evolventur, ubi de Sacramentis in specie. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

63. — *Omnia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam habitualem omnibus non ponentibus obicem.* De fide est.

Constat ex dictis, n. 53. Namque Sacramenta novæ legis, juxta definitionem Conc. Florentini et Tridentini, *conferunt gratiam, quam continent* : porro gratia simpliciter et sine addito, est gratia habitualis ; ergo hujusmodi gratiam producunt omnia novæ legis Sacramenta.

Et vero, 1. licet singula Sacramenta ad effectus proprios sint instituta, ut infra dicetur, omnium tamen principalis finis est vera hominis sanctificatio : porro hæc fit tantum per gratiam habitualem, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 300-304 ; ergo, etc.

2. Baptismus et Pœnitentia non possunt remittere peccatum originale, vel mortale, nisi per gratiam sanctificantem ; Confirmatio non nisi per eamdem gratiam dare potest Spiritum Sanctum ; atque eadem ratio est de aliis Sacramentis.

PROPOSITIO II

64. — *Omnia novæ legis Sacramenta dant secundam gratiam habitualem, si suscipientem inveniant jam in gratia constitutum.* Certum est.

Etenim, ex dictis, n. 53, 63, Sacramenta, *quantum est ex parte Dei, semper et omnibus non ponentibus obicem dant gratiam :* porro, qui in statu gratiæ accedit ad suscipiendum quodlibet Sacramentum, ex eo capite non ponit obicem, sed potius accedit bene dispositus ; ergo semper recipit gratiam habitualem. Porro, qui jam est in hac gratia constitutus, non est capax gratiæ primæ, sed tantum augmenti ; ergo illi augmentum gratiæ habitualis semper conferunt omnia Sacramenta.

PROPOSITIO III

65. — *Duo tantum Sacramenta, scilicet, Baptismus et Pœnitentia, ex primaria institutione, conferunt primam gratiam habitualem.* Certum est.

Etenim 1° Baptismus et Pœnitentia, ut fusius in propriis dicetur locis, instituta sunt ad remittendum originale et mortale peccatum : atqui hujusmodi peccata non tolluntur nisi per gratiam, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 302, 304,

307; ergo necesse est ut hæc Sacramenta per se instituta sint ad primam gratiam conferendam.

Propterea vocantur Sacramenta *mortuorum*, quia homines spiritualiter *mortui*, seu in peccato mortali jacentes, per illa Sacramenta vivificantur, aut spiritualiter resurgunt.

2° Cætera Sacramenta per se non sunt instituta ad tollendum peccatum originale vel mortale, nec proinde ad primam gratiam, sed ad vitam spiritualem roborandam per Confirmationem, nutriendam per Eucharistiam, perficiendam per tria cætera, et ideo ad secundam tantum gratiam, ut fusius dicemus, ubi de unoquoque Sacramento specialis erit discursus. Quapropter dicuntur Sacramenta *vivorum*, quia nempe soli homines vita spirituali fruentes, ad illa Sacramenta possunt accedere.

66. — *Quæritur* utrum *Sacramenta vivorum aliquando et per accidens conferant primam gratiam*; scilicet, quando quis, ex bona fide et inculpabiliter, putans se esse justificatum, etsi non sit, accedit cum *attritione* tantum ad illa Sacramenta?

Resp. Affirmativa sententia est magis *pia et probabilior*, juxta Suarez, disput. 7, sect. 2, S. Ligor., et hanc expresse docet S. Thomas, quem discipuli ejus et alii communiter sequuntur, eamque sic propugnant.

1. Sacramenta ex se gratiam semper conferunt non ponentibus obicem : porro, qui, bona fide putans se esse justificatum, cum peccato mortali et attritione tantum ad Sacramenta vivorum accedit, non iterum peccat, nec consequenter ponit actualem obicem gratiæ, nec ex parte subjecti repugnat expelli hoc peccatum et gratiam infundi ; ergo in hoc casu Sacramenta vivorum conferunt primam gratiam.

2. Sacramenta per se instituta ad primam gratiam, quando eam jam infusam inveniunt, illam augent; ergo e contrario, Sacramenta per se instituta ad augendam gratiam, quando jam non inveniunt infusam, illam infundunt, si aliunde obicem non invenerint.

Quidquid sit de hoc effectu, qui omnino pendet ex institutione Christi, Sacramenta vivorum, juxta affirmativam

sententiam, per se et ex intentione non sumuntur ad primam gratiam, sed ex accidenti tantum illam conferunt; sicut Baptismus non fuit ordinatus, ex divina institutione, ad gratiæ augmentum, sed tantum ex accidenti.

PROPOSITIO IV

67. — *Singula Sacramenta novæ legis conferunt propriam gratiam, quæ dicitur* sacramentalis. Certum est.

Etenim 1° Sacramenta ad varios et distinctos fines ordinantur, ut patet ex decreto Eugenii IV ad Armenos : « Per Baptismum, spiritualiter *renascimur;* per Confirmationem, *augemur in gratia,* et *roboramur in fide;* renati autem et roborati, *nutrimur* divina Eucharistiæ alimonia; quod, si per peccatum incurrimus ægritudinem animæ, per Pœnitentiam *spiritualiter sanamur; spiritualiter* etiam et *corporaliter,* prout animæ expedit, per Extremam Unctionem; per Ordinem vero, Ecclesia *gubernatur* et *multiplicatur spiritualiter;* per Matrimonium *augetur corporaliter.* »

Porro, ad varios illos fines assequendos, requiruntur varia media seu varii sacramentales effectus; ergo gratias proprias habent singula Sacramenta.

2° Si singula Sacramenta non haberent propriam gratiam, jam inter se differrent tantum materialiter in ritu seu cæremonia, non autem in significatione et causalitate gratiæ : atqui hoc admitti nequit; tunc enim omnia Sacramenta æqualiter essent necessaria ad salutem; nec reddi posset ratio, cur sint tot Sacramenta multiplicata, ad eumdem effectum gratiæ producendum.

68. — *Quæritur quid sit illa gratia sacramentalis?*

Resp. Gratia sacramentalis est ipsamet gratia habitualis, quatenus *ordinatur ad specialem finem,* et habet specialem vigorem, eique correspondet, ex divina institutione, ejusdem speciei actuale auxilium postea concedendum, quando eo indigemus.

Ita Suarez, Billuart, Tournely, et alii, contra quosdam dicentes illam gratiam esse habitum a gratia sanctificante distinctum.

Probatur ex singulis Sacramentis. Baptismus ordinatur ad delendum originale peccatum, et reliqua, quæ cum eo conjuncta erant, et ideo ad dandum primum *esse divinum*, seu gratiam per modum *regenerationis* : porro illa omnia producuntur per gratiam habitualem; ergo hæc gratia quatenus *regenerativa*, ac proinde inclinans ad hujusmodi generationis vitam, est gratia sacramentalis Baptismi. Sed insuper, per hanc regenerationem, baptizatus sese obligat ad se conformandum cum Christo per totam vitam; ergo illa gratia regenerativa jus includit ad gratias actuales necessarias, ut quis vitam christianam indesinenter agat. Idem facile declarari potest in aliis Sacramentis.

Et revera, nihil aliud relinquitur, quod possit esse gratia sacramentalis. Nam illa gratia est vel aliquod auxilium actuale, vel jus ad gratiam actualem, vel habitus sanctificans a gratia habituali dictinctus, vel ipsamet gratia habitualis in præfato sensu intellecta: atqui tria priora rejicienda sunt. Et quidem *primum;* talis enim auxilii sunt incapaces parvuli, quibus tamen confertur gratia sacramentalis; *secundum* etiam, cum tale jus speciale supponat speciale quoque fundamentum, ex quo oriatur; *tertium* tandem : omnes enim habitus sanctificantes secum trahit gratia habitualis, nec sine illa ullus hujusmodi habitus stare potest; vide Tract. *de Gratia*, n. 302; ergo gratia sacramentalis est ipsamet gratia habitualis, quatenus ad specialem finem et ideo sanctificationem ordinatur, et includit jus ad specialia auxilia.

§ III

Quantam gratiam producant Sacramenta.

Quæstio est, scilicet, 1° utrum inter septem Sacramenta alia majorem gratiam per se conferant, quam alia; 2° an idem specie Sacramentum æqualem; 3° vel inæqualem habeat effectum in subjecto æque aut inæqualiter disposito.

PROPOSITIO PRIMA

69. — *Alia Sacramenta majorem gratiam per se conferunt, quam alia.* Ita saltem probabilius.

Namque Sacramenta, ut vidimus, ordinantur singula ad fines speciales, et ideo gratias speciales ad illos fines assequendos conferunt : atqui, quo perfectior est finis Sacramenti, eo intensior debet esse ejusdem Sacramenti effectus seu gratia; ergo inter Sacramenta alia sunt aliis per se efficaciora.

Porro, sub respectu perfectionis et ideo causalitatis, juxta plures Theologos post S. Thomam, inter sex Sacramenta hic ordo statui potest, scilicet, Ordo, Confirmatio, Baptismus, Extrema Unctio, Pœnitentia, Matrimonium, n. 31.

Quoad autem Eucharistiam, nihil in hac re certum aut definitum invenio, ait Suarez. Namque, ex una parte, quia hoc Sacramentum institutum est veluti ad continuam nutritionem, et ideo ut sæpius et frequenter recipiatur, non videtur necessarium ut, quoties recipitur, toties majorem gratiam ex se conferat, quam Baptismus, semel susceptus, Confirmatio aut Ordo; ex altera vero, ratione præsentiæ Christi, probabile est majorem gratiam conferre, cæteris paribus. Hoc insinuare videtur S. Thomas, dum simpliciter præfert Eucharistiam omnibus Sacramentis, 3 p., q. 65, a. 3; nec parum hoc suadet Catech. Rom., qui comparat « Eucharistiam *fonti*, cætera vero Sacramenta *rivulis*, ita ut Eucharistia *vere* ac *necessario fons omnium gratiarum* dicenda sit... : ex quo divinæ gratiæ *amplissima* munera, quæ nobis hoc Sacramento impertiuntur, facile colligi possunt. » *De Euchar.*, n. 48.

Quidquid sit, fere in omnibus Sacramentis, ait Suarez, est aliquid excellens et singulare, in quo cætera superant; q. 65, disput. 12, sect. 1. Sed hoc pendet ex notitia omnium Sacramentorum, et ideo comparatio melius in singulis fiet.

PROPOSITIO II

70. — *Idem specie Sacramentum semper per se confert æqualem gratiæ effectum in subjecto æque disposito.* Ita communiter.

Etenim 1° ex Conc. Trid., n. 8, Sacramentum confert

gratiam ex certa et statuta lege : porro eadem est ratio de gratia et de tanta gratia per illam legem definita; alioquin non posset dici simpliciter gratiam, sed aliquam gratiam dari semper et omnibus per Sacramenta, quantum est ex parte Dei.

Posito enim quod æqualis non sit gratia ex parte Sacramenti, jam dici posset quodlibet Sacramentum nunc dare hunc effectum, postea alium, pro Dei arbitrio : atqui hoc repugnare videtur debitæ institutioni Sacramentorum et doctrinæ Conc. Trid., dicentis Sacramenta producere gratiam ex opere operato seu vi signi; ergo, cæteris paribus, æqualis est gratia ex parte Sacramenti.

Insuper, si Deus suo arbitrio augeret hujusmodi effectum in subjecto æque disposito, ille excessus jam non esset effectus Sacramenti, sed donum quoddam a Deo collatum concomitanter cum Sacramenti effectu.

2° Idem confirmant SS. Patres præsertim S. August., S. Chrysost., et S. Cypr.; hujus verba referre sufficiat: « Gratia ipsa, quæ baptizatis datur, non pro ætate accipientium, vel minor vel major tribuitur, cum Spiritus Sanctus non de mensura, sed de pietate ac indulgentia paterna, *æqualis* omnibus præbeatur : nam Deus, ut personam non accipit, sic nec ætatem; cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem æqualitate præbeat Patrem. » *Epist.*, 59.

Idem sic tenet S. Thomas : « Baptismus effectum suum *æqualiter* facit in omnibus, *qui æqualiter se habent ad illum*. Unde, quia omnes pueri æqualiter se habent ad Baptismum, omnes æqualem effectum percipiunt in Baptismo; » 3 p., q. 67, a. 8.

3° Nulla est causa in ordine intellectuali, morali aut physico, quæ non habeat effectum determinatum in gradu, sicut et in specie; hoc enim pertinet ad convenientem modum Providentiæ : porro Sacramenta sunt causæ physicæ aut morales gratiæ; ergo habent effectum determinatum in gradu, sicut et in specie.

71. — Hinc, secundum legem ordinariam, non augetur

effectus Sacramentorum ex solo merito vel impetratione ministrorum aut aliorum, pro subjecto æque disposito.

Hujusmodi enim augmentum non esset ex opere operato, ut constat ex propositione præcedenti ; nec ex opere operantis, siquidem nemo mereri potest gratiam sanctificantem pro alio sine hujus actu meritorio, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 349. Unde « effectus Sacramentorum, ait S. Thomas, non datur melior per meliorem ministrum, » 3 p., q. 64, a. 1 : et hoc contra Cajetanum, qui contrarium asserit.

Attamen oratio ministri sive aliorum ex congruo obtinere potest gratiam excitantem et adjuvantem, qua adultus suscipiens fiat magis dispositus et efficacius cooperetur, ac consequenter majorem gratiam in Sacramento recipiat, ex propositione sequenti.

PROPOSITIO III

72. — *Idem specie Sacramentum tanto majorem gratiam confert, quanto melior est dispositio et cooperatio adulti suscipientis*. Certum est.

Prob. 1° Ex Conc. Trid., sess. 6, c. 7, Baptismus est causa instrumentalis nostræ justificationis : porro, ex eodem Concilio, per Baptismum « unusquisque in seipso justitiam recipit suam secundum mensuram, quam Spiritus partitur singulis prout vult, *et secundum propriam cujusque dispositionem* et *cooperationem ;* » ergo eo major est gratia per Baptismum, et ideo per alia Sacramenta, quo melior est dispositio et cooperatio recipientis.

Et vero, si duo accedant ad Baptismum cum attritione tantum, sed majori in uno, quam in altero, vel accipiunt æqualem gratiam, vel non ; si prius, ergo non justificantur juxta propriam dispositionem, quod est contra Concilium ; si posterius, ergo hæc inæqualitas est ex opere operato, quum attritio per se non possit mereri gratiam sanctificantem, nec ullum ejus gradum.

2° Ex congruentiis idem confirmatur. Ratio quidem a priori est institutio Christi, qui certe potuit ita gratiam instituere et promittere per unumquodque Sacramentum :

porro, quod talis institutio facta fuerit, pluribus congruentiis suadetur. Etenim 1. ad suavem Dei providentiam, sapientem et justissimam distributionem pertinet, ut melius disposito major conferatur gratia. 2. Hoc fuit expediens, ut homines excitarentur ad recipienda Sacramenta cum majori devotione et reverentia, saltem propter spem majoris fructus. 3. Causæ naturales melius operantur circa subjectum melius dispositum : porro causæ supernaturales, in quantum fieri potest, legibus causarum naturalium accommodantur; ergo convenit causas gratiæ seu Sacramenta melius operari circa subjectum melius dispositum.

73. — Hinc 1° omnis adultus, in statu peccati constitutus, sed cum attritione rigorose sufficienti accedens ad Sacramenta mortuorum, ex duplici parte gratiam ex opere operato recipit.

Nam, ex dictis, illi adulto ex opere operato confertur sive gratia, quæ ex parte Sacramenti semper et pro omnibus est æqualis, sive gratia illi attritioni sufficienter disponenti quasi commensurata et adæquata.

74. — Hinc 2° omnis adultus, jam in gratia habituali constitutus, et cum dispositione meritoria accedens ad aliquod Sacramentum, ex triplici parte augmentum gratiæ sanctificantis recipit.

Siquidem illi adulto confertur 1, gratia ex opere operato semper æqualis ex parte Sacramenti; 2. gratia ex opere operato dispositioni commensurata; 3. gratia ex opere operantis, quam meretur de condigno illa dispositio activa et supernaturalis, quatenus ab homine jam justo perficitur, ut dictum est in Tractatu *de Gratia*, n. 345. Gratias igitur Deo, cujus misericordiæ non est numerus!

75. — *Quæritur quænam sit illa melior dispositio* hominis suscipientis Sacramentum, *ratione cujus crescit sacramentalis effectus?*

Estne, scilicet, in actuali aut saltem virtuali devotione; in gradu et perfectione hujus devotionis; sed etiam in

gradu gratiæ habitualis jam præexistentis in subjecto?

Resp. 1. Ad effectum Sacramenti confert virtualis, sed præsertim actualis dispositio : moraliter enim loquendo, hæc est proprie dispositio. Et revera, in ea homo aliquid de suo confert cum divina gratia, ut dignius suscipiat Sacramentum : porro, ex congruentiis supra allatis, Sacramentum dat gratiam juxta dispositionem suscipientis, præsertim ut cum majori devotione illud suscipiat subjectum, de suo, quantum in se est, afferendo ; ergo dispositio actualis, aut saltem virtualis, propria est, et maxime confert ad effectum sacramentalem.

2. Ad hunc effectum conferunt etiam omnia, quæ hujusmodi dispositionem directe perficiunt, scilicet, intensitas actus et ejus perfectio ex parte motivi, charitatis præsertim.

3. Gratia habitualis, saltem indirecte, dispositionem magis proportionatam ad effectum Sacramenti, efficit. Per se quidem illa gratia habitualis non est dispositio propria, sed directe potius pertinet ad dignitatem personæ, quæ eo nobilior est et majori æstimatione et amicitia coram Deo dignior, quo ampliori illa gratia informatur : porro, ex judicio prudentum et communi usu, in majori æstimatione sunt actus, cæteris paribus, viri nobilioris et amici, quam vulgaris et præsertim inimici ; ergo majoris dignitatis et valoris est dispositio hominis justi, cæteris paribus ; et ideo efficacius ducit ad augmentum gratiæ ex opere operato ; Tract. *de Gratia*, n. 341 ; Suarez, q. 62, disp. 7, sect. 5.

§ IV

Utrum aliquando suspensus remaneat effectus Sacramentorum.

76. — Quæstio est, scilicet, an, quoties Sacramentum eo tempore, quo suscipitur, non habet effectum gratiæ, propter obicem seu fictionem[1] suscipientis, postea incipiat illum habere, quando obex removetur.

1. Fictionis nomine hic non intelligitur simulatio, qua quis, dum, v. g., exterius recipit Baptismum, intra se tamen Sacramento reluctatur, nec intendit illud recipere ; sed intelligitur prava animi *dispositio*, qua quis gratiæ sacramentali obicem et impedimentum ponit.

De hac re non inter se consentiunt Theologi. Alii affirmativam tenent pro omnibus Sacramentis; alii vero hoc tribuunt Sacramentis characterem imprimentibus; alii tandem docent Baptismum et quidem solum, habere effectum gratiæ, recedente obice. Itaque per partes exponendum habemus quid certum, quid probabile.

PROPOSITIO PRIMA

77. — *Baptismus, impeditus ab effectu gratiæ per obicem suscipientis, illum habet, recedente obice.* Certum est.

Etenim, 1° juxta Conc. Trid., sess. 6 et 14, in lege nova, nullum peccatum, sive originale, sive mortale actuale, remittitur, nisi per aliquod Sacramentum in re vel in voto, nimirum, per Baptismum et Pœnitentiam : atqui peccatum originale aut mortalia ante Baptismum commissa, non tolluntur per Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto, siquidem non sunt ejus materia; ergo illa peccata remittuntur per solum Baptismum in re vel in voto susceptum. Porro, in eo, qui jam baptizatus fuit cum obice, non possunt tolli illa peccata per Baptismum in voto, quia est incapax talis voti sicut et alterius Baptismi; ergo tolli necessario debent per Baptismum jam susceptum, quamvis tempore præcesserit.

Et revera, peccatum originale, utpote contractum per generationem naturalem, non remittitur nisi per spiritualem generationem, juxta illud : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. : porro, qui cum obice baptizatus fuit, spiritualiter generari non potest per præsentem aut futurum Baptismum; ergo per præteritum.

2° Idem constat ex consensu Theologorum, qui, post S. Augustinum, hanc sententiam omnes propugnant, ait Suarez. « Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, inquit S. August., cum fictio veraci confessione recesserit, quæ, corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri; » *de Bapt. contra Donat.*, l. 1, c. 12. Baptismus est quædam spiritualis generatio, ait S. Thomas ; porro, cum aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquod impediens,

quo remoto, forma rei generatæ perficit suum effectum; ergo, quando quis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum seu gratiam remittentem omnia peccata; et, si quandoque impeditur per fictionem, ea remota per pœnitentiam, Baptismus statim consequitur suum effectum; 3 p., q. 69, a. 10.

PROPOSITIO II

78. — *Ordo et Confirmatio habent effectum gratiæ, recedente obice.*

Ita Suarez et multi alii, contra plures, qui illud asserunt tantum de Baptismo, hoc ratiocinio præsertim innixi: Baptismus confert gratiæ effectum recedente obice, eo quod iterari non possit, et ejus effectus sit simpliciter necessarius ad salutem : porro hæc duo simul non conveniunt in aliis Sacramentis; ergo ista non conferunt suum effectum recedente obice.

At 1° Confirmatio et Ordo, per characterem, constituunt hominem in statu, a quo retrocedere non potest : porro gratia iis Sacramentis propria, ordinatur ad bonum usum ipsius characteris seu muneris, ad quod homo per characterem destinatur; ergo moraliter necessarium fuit, id est, valde utile et conveniens, remoto obice, illa Sacramenta suum effectum consequi, ne homo illa gratia sacramentali perpetuo privaretur ex parte Sacramenti.

2° Ex S. Thoma, loquente de charactere baptismali, character est quasi forma, quæ perficit suum effectum statim ac removetur impediens : atqui Ordo per characterem est quasi forma, qua constituitur Sacerdos, et quam consequitur gratia necessaria ad illud munus convenienter peragendum; ergo, remoto obice, statim Ordinatio consequitur suum effectum. Idem ratiocinium formari potest de charactere Confirmationis.

79. — Hinc idem verum est de Matrimonio et Extrema Unctione, juxta plures.

Matrimonium enim iterari nequit vivente conjuge, et tamen constituit hominem in statu, in quo valde indiget

gratia sacramentali ad hujusmodi statum ordinata. Unde magis consentaneum est, ut aiunt, virtuti tanti Sacramenti, ut de se semper sufficiat ad dandam gratiam convenientem illi statui, recedente obice.

Similiter Extrema Unctio est initerabilis in eadem ægritudine, et ordinatur præcipue ut homo purior coram Deo e vita egrediatur, atque omnes difficultates speciales vincat, quæ in articulo mortis occurrere solent : porro credibile non est, ait Suarez, eum, qui primum cum obice recipit illud Sacramentum, jam omni spe privari consequendi gratiam hujus Sacramenti adeo utilem in tam gravi periculo ; nec etiam conciperetur cur hoc Sacramentum ita institutum esset, ut, posita prima susceptione cum obice, non posset in eadem ægritudine iterum suscipi ad fruendum ejus gratia et auxiliis.

80. — Quidquid sit, ille effectus sacramentalis datus post Sacramentum susceptum, proprie non fit vi ipsius Sacramenti, sed datur a Deo intuitu seu ratione Sacramenti prius suscepti. Nulla enim causa potest effectum habere nisi simul ipsa existat; siquidem causare et efficere supponunt esse : porro, in casu de quo agitur, materia et forma seu causa sacramentalis jam non existit, cum, recedente obice, effectus gratiæ in subjecto recipitur ; ergo tunc effectus ille non fit proprie vi Sacramenti, sed ratione illius : scilicet, eo sensu quod Deus hoc ita fieri potuit promittere et de facto promiserit, eo quod finis et natura Sacramenti id postulare videtur. Vide Suarez, q. 62, disp. 8, sect. 3.

81. — Quoad Eucharistiam, fere omnes consentiunt effectum suum non habere, recedente obice, si jam omnino desit præsentia Christi in sumente : tum quia nullus Sanctorum contrarium docuit ; tum quia nulla adest necessitas ; tum eo quod postulare videtur excellentia et perfectio hujus Sacramenti, ut, qui fictus accedit, omni spe fructus ex tali communione privetur, ut fusius dicemus in Tractatu de Eucharistia, n. 96.

Demum, actus pœnitentis sunt quasi materia sacramenti Pœnitentiæ ; et ideo, si desint illi actus, Sacramentum est invalidum, nec postea reviviscere potest effectus, cujus causa non fuit posita.

82. — *Quæritur* 1° quænam *dispositio* requiratur et sufficiat ad tollendum obicem, ut Sacramentum gratiæ effectum habere incipiat?

Resp. 1. Attritio sufficit ad tollendum obicem in eo, qui *nec in ipsa susceptione* Sacramenti, *nec postea,* novum peccatum mortale commisit. Namque illa attritio per se in Baptismo, et per accidens in quibusdam saltem Sacramentis vivorum, fuisset sufficiens, si in ipsa illorum susceptione adfuisset : porro, ex hypothesi, nullum novum supervenit impedimentum ; ergo postea etiam attritio sufficit per se aut per accidens, ut illa Sacramenta suum effectum habere incipiant. Ita Suarez et plerique Theologi.

2. Requiritur contritio, vel attritio cum susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, si, post Sacramentum cum obice receptum, aliquod mortale peccatum commissum fuerit. Etenim, ex una parte, nullum Sacramentum habet virtutem remittendi peccatum post ipsius susceptionem commissum ; ex altera vero, semota sacramentali virtute, non sufficit attritio ad delendum peccatum, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 284, 285.

Idem dicendum est, si in ipsa actuali et indigna susceptione Sacramenti, peccatum mortale committatur. Id affirmant S. August., S. Thomas, Suarez et Alii, de Baptismo. Character enim prius natura infunditur, quam gratia, ita ut, quando homo per sacrilegium ponit obicem gratiæ baptismali jam christianus est, et ideo jam Sacramento Pœnitentiæ subjectus pro illo sacrilegio. In Sacramentis autem vivorum, attritio juxta plures sufficit ad tollendum obicem, modo suscipiens ex bona fide putet se esse sufficienter dispositum : porro hujusmodi bona fides excluditur per sacrilegam susceptionem Sacramenti ; ergo ad tollendum illud sacrilegium non sufficit attritio.

83. — *Quæritur* 2° an, recedente obice, detur ex opere operato gratia in gradu semper æquali ex parte Sacramenti, vel etiam secundum dispositionem, qua removetur obex?

Controvertitur; utraque sententia probabilis est, ait Suarez; prior tamen eidem videtur verisimilior, magisque consentanea communibus legibus Sacramentorum et convenienti providentiæ.

ARTICULUS II

De Charactere per aliqua Sacramenta in anima impresso.

84. — *Quæritur* quid sit character sacramentalis?

Resp. Quoad *nomen*, character græce idem est, ac latine signum, forma, figura, tessera, nota, signaculum. Quoad *rem* autem, est signum seu sigillum, quo res aliqua signatur, cognoscitur et distinguitur ab aliis, vel etiam ad aliquod munus deputatur, quo modo milites.

Hic autem definiri potest: *Signum quoddam spirituale et indelebile in anima impressum, quo apta efficitur ad aliquid sacri suscipiendum aut peragendum, et quo proinde sub aliquo respectu supernaturali internoscitur.*

Dicitur 1 : *signum*, quatenus configurat Christo sub aliquo respectu, et distinguit ab aliis, qui illud non habent.

2 : *Spirituale;* et in hoc discrepat a signo simpliciter dicto, quod est semper sensibile, n. 18.

3 : *Indelebile;* quo innuitur causa principalis hujusmodi signi, scilicet, æternum Christi Sacerdotium.

4 : *In anima impressum,* ut indicetur illius signi subjectum.

5 : *Quo apta efficitur,* etc.; quibus verbis significatur finis et effectus hujusce characteris supernaturalis.

Jam vero, ad evolvendam et comprobandam hujusmodi definitionem, dicemus de existentia, effectibus, natura et perpetuitate characteris supernaturalis.

§ I

De existentia Characteris.

85. — Certum est per antiqua Sacramenta nullum spiritualem characterem fuisse in anima impressum.

Namque illa Sacramenta *per se* nullum internum conferebant effectum ex opere operato, ut vidimus, nec proinde ullum spirituale sigillum. Et revera, in lege naturæ, cultus non erat determinatus quoad cæremonias externas, sed arbitrio hominum relinquebatur; ergo speciali charactere divinitus infuso non oportuit homines designari ad hujusmodi cultum, qui per fidem et charitatem satis determinabatur.

In lege autem mosaica, quæ nullam vim internam habuit, sufficienter deputabantur fideles et ministri ad externas cæremonias per externum Circumcisionis *signaculum*, Rom. 4, v 11, vel per externam consecrationem et originem carnalem ex Levi et Aaron; unde dicit Chrysostomus : « Obsignati sunt Israelitæ, sed Circumcisione, quemadmodum pecudes. » S. Th. 3 p. q. 63, a. 1, ad 3. Itaque pro nova lege sit

PROPOSITIO

86. — *Character spiritualis in anima imprimitur per Baptismum, Confirmationem et Ordinem.* De fide est.

Prob. 1° *Scriptura*, quæ in hac re licet per se non omnino cogat, tamen, supposita Traditione Ecclesiæ et veritate characteris, verisimiliter loquitur de charactere saltem Baptismi et Confirmationis in his locis : « In quo (in Christo) et credentes *signati* estis *Spiritu* promissionis *Sancto;* » Eph. 1, ỳ 13. — « Qui *confirmat* nos Deus, unxit et *signavit* nos, et dedit *pignus* Spiritus in cordibus nostris; » II Cor. 1, ỳ 21, 22.

2° *Traditione.* Juxta SS. Patres, 1. Baptismus est signaculum, sigillum, quia hominem *consignat*, et *quasi sigillat per characterem*, S. Basilius; lavacrum, quia abluit; *sigillum* vero, quia est *significatio* et *conservatio* dominationis, S. Gregor. Naz.; vestimentum candidum et *signaculum*

sanctum et *indelebile*, S. Cyrill. Hierosol. — 2. Confirmatio est, sicut Baptismus, *initerabile*, ratum et *firmum* Sacramentum, S. Cyprianus; semel datum, *permanens* etiam *in pessimis*, S, August. — 3. Ordinis Sacramentum manet *integrum* in *hæreticis*, *schismaticis*, et viris vario criminum genere *iniquitatis*, SS. August. et Hieron. ; Sacerdos, post consecrationem, quoad externam speciem idem est qui antea, sed tamen invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam *transformatam gerit in melius*, S. Gregor. Nyss ; vide illa testimonia apud Suarez. Porro in his et aliis similibus verbis, SS. Patres vel expresse confitentur, vel necessario supponunt characterem imprimi per illa tria Sacramenta : ergo, etc.

Idem sic definivit Conc. Trid. ; « Si quis dixerit, *in Baptismo, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima*, hoc est, *signum quoddam spirituale et indelebile, unde iterari non possunt :* anathema sit ; » n. 10.

3° *Ex congruentiis*. Ratio hujus veritatis a priori est institutio et voluntas Christi, qui potuit hanc vim tribuere his Sacramentis. Quædam tamen congruentia afferri potest. Nam, quicunque ad aliquid deputatur, consuevit ab aliquo consignari : unde milites antiquitus solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, ait S. Th. 3 p. q. 63. a. 1, eo quod deputarentur ad aliquid corporale. Porro, ut statim evolvetur, « in Baptismo, datur character civitatis seu familiæ Christi ; in Confirmatione, character militiæ Christianæ ; in Ordine vero, character potestatis seu ministerii ; » Estius, 4 *dist. parag.* 20. Ergo valde conveniens est illos, qui sic deputantur ad aliquid sacrum, et ab aliis distinguuntur, speciali quadam nota ac signo consignari et consecrari.

Hinc cætera quatuor Sacramenta non imprimunt characterem. Certum est.

Nam 1. ex Conc, Trid., Sacramenta characterem imprimentia, iterari non possunt : porro cætera quatuor Sacramenta possunt iterari ; ergo non imprimunt characterem. 2. In his quatuor Sacramentis nulla fit deputatio specialis ad aliquid sacrum ; sed sunt tantum quidam speciales actus

divini cultus, ordinati ad effectus speciales, scilicet, ad remissionem peccati, ad augmentum vitæ divinæ, ad vires suppeditandas in articulo mortis, aut in oneribus Matrimonii; ergo per illa non imprimitur character.

§ II

De effectibus characteris.

Ad quatuor reduci possunt characteris sacramentalis effectus, quatenus est, nempe, *dispositivus, obligativus, configurativus, distinctivus.*

87. — I. *Dispositivus.* Namque character sacramentalis *directe* et *proxime disponit* animam ad ea, *quæ sunt cultus divini* secundum ritum *christianæ religionis exequenda*, in quantum per eum homo fit capax vel ad *suscipiendum*, vel ad aliis *tradendum* ea, quæ sunt divini cultus.

Mediate vero et *consequenter disponit* atque *dat jus ad gratiam* sive *habitualem*, sive *actualem*, per quam recipientes characterem *digne impleant ea, ad quæ deputantur*. Propterea character primum imprimitur, ac dein infunditur gratia per Baptismum, Confirmationem et Ordinem. Hæc in subsequentibus evolvuntur, et probantur in unoquoque ex illis tribus sacramentis.

88. — II. *Obligativus.* Etenim consequenter character in perpetuum obligat illos, qui eum receperunt, tum ad digne adimplenda ea, ad quæ per characterem in perpetuum deputantur, tum ad recipiendas illas gratias, quarum ope illa digne adimplentur. S. Th. 3 p., q. 63, a. 4.

Sic, per Baptismi characterem, homo deputatur ad alia sacramenta valide suscipienda; consecratur Christo Capiti et Ecclesiæ uti membrum et civis seu christianus, cum jure ad gratias tali statui correlativas, et ad bona spiritualia societati Catholicæ propria et communia; ac proinde contrahit in perpetuum obligationem sese gerendi uti Christi membrum et Ecclesiæ civem seu uti vere et practice christianum, prædictis gratiis obtemperando.

Similiter, per characterem Confirmationis, qui jam so-

cietatis catholicæ civis est ac membrum Christi, fit magis susceptivus aliorum Sacramentorum præsertim Ordinis, quatenus civis per se fit miles, antequam dux evadat in spirituali militia; jus acquirit ad efficaciores gratias in certando pro fide; contrahitque strictiorem obligationem militiæ spiritualis, ope illarum gratiarum.

Demum, per Ordinis characterem, qui jam civis est et miles societatis catholicæ et Christi, fit capax conficiendi Sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Confirmationis et Ordinis; eo ipso constituitur Christi et Ecclesiæ minister; jus ideo acquirit ad gratias pro digne et idonee illis muneribus obeundis, ac obligationem in perpetuum contrahit eadem munera digne implendi, gratiarum illarum ope.

89. — III. *Configurativus Christo.* Etenim Christus, utpote supremus sacerdos, deputatur ad omnia sacra perficienda apud Deum pro hominibus, et apud homines pro Deo; atque ideo ab illo sacerdotio derivatur totus ritus christianæ religionis, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 238-242: atqui, per characteres Sacramentales, homines deputantur ad recipiendum vel tradendum ea, qui sunt cultus divini secundum ritus religionis christianæ, ex dictis n. 87; ergo, per characteres, homines aliquomodo configurantur Christo uti summo sacerdoti, atque illi characteres nihil aliud sunt quam participationes quædam sacerdotii Christi, ab ipso Christo derivatæ, ut ait S. Th., 3 p., q. 63, a. 3.

Revera, ut addit S. Th., *ibid*, ad 2, « character, secundum suam propriam rationem, est signum *configurativum alicui principali*, apud quem residet auctoritas ejus, ad quod aliquis deputatur : sic milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur; et hoc modo illi, qui deputantur ad ea, quæ sunt cultus christiani, characterem accipiunt, quo Christo configurantur; unde proprie est *character Christi*.

Insuper, Christus est supremus Mediator seu Sacerdos sub triplici respectu, nempe, tanquam caput seu Dominus, dux seu legislator, et Pontifex in iis quæ sunt ad Deum :

porro huic triplici supremo muneri correspondet in Christi mystico corpore seu Ecclesia triplex status, scilicet, fidelium seu membrorum et subditorum, militum seu certantium pro fide, sacerdotum seu ministrantium pro mysteriis Redemptionis; ergo tres sunt characteres, fidelium, confirmatorum, sacerdotum, quibus illi homines consecrantur ac configurantur Christo Capiti, Duci ac Pontifici, ejus apta redduntur membra in ejusdem corpore mystico, atque passive aut active participes divini cultus secundum ritum religionis christianæ. Sic, in corpore humano, vi suæ configurationis et structuræ, apta redduntur organa ad percipiendum influxum vitæ, exerendasque animæ vires.

90. — Hinc in *anima Christi non est character proprie dictus.*

Character enim Sacramentalis est quædam diminuta, participata potestas sacerdotii : in Christo autem est tota plenitudo hujusmodi potestatis; ergo non est character, de quo agitur. Aliunde notari illo charactere proprium est membrorum, militum, ministrantium, non vero supremi capitis, Ducis ac Pontificis.

At ipsa Christi *persona* est *substantialis character* seu *imago* et *figura substantiæ Dei*, juxta illud : « Qui cum sit *splendor gloriæ* et *figura substantiæ ejus;* » Hebr. 1, v 3; S. Th. 1 p., q. 35, a. 1, 2; 3 p., q. 63, a. 3 : porro exinde habet Christus, quod sit supremus Sacerdos, juxta illud : *Ego hodie genui te : Tu es sacerdos in æternum;* Ps. 109; quasi diceret : « Quia tu es filius meus, seu substantialis imago, character substantiæ meæ, Ego te constitui supremum Sacerdotem in æternum », ut ipse S. Paulus expresse docet, Hebr. 5, v 4, 5, 6. Ego supremum sacerdotium nititur substantiali charactere, quod est ipsum Verbum; participatum vero sacerdotium novæ legis fundatur in charactere accidentali; et ita non est reale sacerdotium absque charactere accidentaliter vel substantialiter divino. Cur autem Filius, qua talis, potius quam Spiritus sanctus, constitutus fuerit supremus Sacerdos per incarnationem, expendimus in Tract. *de Incarn.*, n. 107.

91. — Tandem character Sacramentalis dicitur etiam *Dei* et *totius Trinitatis*, scilicet, 1, ratione *causalitatis*, quatenus character in anima imprimitur a tota Trinitate. 2. Ratione *similitudinis characteris;* siquidem, ex modo dictis, Sacramentalis character est quædam participatio ac similitudo supremi Sacerdotii Christi : porro Christus est supremus Sacerdos ratione suæ divinæ personæ, quæ est substantialis figura seu character substantiæ Dei, ut supra dictum est; ergo character Sacramentalis est etiam quædam similitudo Dei et totius Trinitatis, seu « distinctio *a charactere æterno,* impressa animæ rationali, secundum imaginem *consignans trinitatem creatam Trinitati creanti.* » S. Th. 3 p., q. 63, a. 3.

92. — IV. *Distinctivus* est character, seu distinctionis notam constituit, tum pro homine, qui illum suscipit, cum exinde habeat *distinctum posse* ab aliis; tum pro aliis hominibus, qui ex ipsa consignatione sacramentali exteriori admittunt sigillationem interiorem, a qua pendent spirituales actiones; tum pro Deo, qui spiritualibus actionibus characteris dat efficaciam. S. Th. 3 p., q. 63, a. 1. ad 2. a. 2, ad 4; in 4, dist. 4. q. 1, a. 1, ad 3; a. 2, q 2, ad 1. Nec minus constat, ex modo dictis, distinctivum esse characterem, non solum ex divina ordinatione, sed ex sua natura ; hoc in subsequentibus confirmabitur.

§ III

De natura characteris.

93. — Character est mera denominatio extrinseca seu relatio rationis, juxta Durandum ; relatio realis ab extrinseco adveniens, juxta Scotum; qualitas supernaturalis, juxta doctrinam catholicam ; inter vero qualitatum species, est habitus, juxta Bellarm., Suarez, Vasquez et alios ; potentia, juxta S. Thomam cum suis. Itaque

94. — I. *Character non est relatio, sed qualitas supernaturalis, et quidem potentia.*

1° Non est *relatio rationis ;* de fide est. Nam, ex defini-

tione Conc. Flor. et Trid., n. 10, character est *signum spirituale, indelebile in anima impressum;* ergo de fide est characterem non esse meram denominationem extrinsecam.

2° Nec est *relatio realis* ab extrinseco adveniens; certum est. Nam omnis relatio supponit aliquod ejusdem generis fundamentum : porro character, de quo agitur, nihil supernaturale in anima præsupponit; ergo non est relatio realis, sed potius relationis realis fundamentum. S. Th. 3 p., q. 63, a. 2, ad 3.

3° Est vero *qualitas* quædam, seu accidens animæ modificativum in seipsa ; certum est. Etenim, ex Conc. Flor. et Trid., character est *signum spirituale, indelebile in anima impressum;* ergo character non est substantia, sed accidens animæ inhærens ejusque modificativum in seipsa, seu qualitas quædam. Revera, character non est quantitas, cum sit spiritualis; nec actio aut passio, quæ cito transeunt, dum character est indelebilis; ergo restat quod sit qualitas.

4° *Supernaturalis*, tum ex parte causæ principalis seu sacerdotii Christi; tum ex parte causæ instrumentalis seu Sacramenti; tum ex parte effectus et finis, quatenus dat participationem quamdam sacerdotii Christi; tum proinde in se, quatenus animam sic sigillatam aliquo modo configurat ipsi Christo sacerdoti in ordine supernaturali, ex dictis n. 89. Unde qualitas illa est accidens ab extrinseco proveniens.

5° Demum illa qualitas est *potentia;* ita saltem longe probabilius. Etenim qualitatis quadruplex distinguitur species, nempe, forma et figura, passio aut patibilis qualitas, dispositio et habitus, potentia et impotentia.

Atqui character non est *forma* aut *figura* in sensu reali : hæc enim sunt determinationes quantitatis materialis; character autem est quid spirituale; et ideo in spiritualibus character non dicitur forma, figura nisi metaphorice; S. Th. 3 p. q. 63. a 2.

Nec character est *passio, patibilis qualitas,* quæ sunt qualitates sensibiles ac cito transeunt; nec *dispositio*, quæ de facile mobilis est : dum character est spiritualis, indelebilis et permanens.

Nec *habitus*. Nullus est enim habitus, etiam intellectualis, *praticus in re morali*, qui se possit ad bene et male habere; sic habitus virtutis nullus male utitur, et habitu malitiæ nullus bene : atqui character, ex una parte, est qualitas in materia morali seu cultus divini et perfectionis christianæ; ex altera vero, in hac propria materia morali se habet character ad bene et ad male : utuntur enim eo quidam bene, alii vero male seu sacrilege ad cultum Dei et perfectionem vitæ christianæ; ergo character non est habitus, ac proinde remanet ut sit potentia. S. Th. 3 p., q. 63, a. 2.

Revera per characterem, ut dictum est, n. 87, homo directe ac proxime disponitur ad suscipiendum et aliis tradendum ea, quæ sunt cultus divini : porro ad tradendum per se primo requiritur potentia activa; ad suscipiendum, potentia passiva; ergo character est potentia spiritualis et supernaturalis, ab extrinseco proveniens, perficiens potentiam naturalem animæ. S. Th., *ibid.*

95. — II. *Hujusmodi potentia est physica, instrumentalis, immediate subjecta in potentia animæ, et in intellectu practico.*

1° *Physica*, et non tantum moralis, ut quidam contendunt. Moralis enim potentia, qualis est, v. g., in præfecto, in judice, est relatio rationis seu denominatio tantum extrinseca; dum character est quid in anima impressum et indelebile, n. 94. Revera, quis contendere audeat sacerdotes non aliam habere potestatem in corpus Christi per consecrationem, et in animam per absolutionem, quam præfectus civilis habeat supra cives? Eadem potentia physice operatur juxta Thomistas, moraliter tantum juxta Scotistas, n. 58.

2° *Instrumentalis*, et uti accidens incompletum, fluens, viale seu continuo tendens ad ea, quæ sunt cultus divini, cui ideo proportionatur, potiusquam subjecto, cui inhæret, ut dictum est de virtute quæ est de sacramentis, n. 58; S. Th., *ibid.*

3° *Immediate subjecta in animæ potentia,* non vero immediate in ejus essentia. Ex dictis enim, character est potentia supernaturalis ac vialis ad ea, quæ sunt cultus divini, qui in actibus quibusdam consistit : atqui potentiæ animæ ordinantur ad actus, sicut essentia ad esse; ergo character immediate subjectatur in animæ potentia.

Et vero, character, directe ac proxime disponit animam ad ea, quæ sunt cultus divini exequendo; remote vero et consequenter ad gratiam, n. 87 : porro subjectum alicui accidenti

attribuitur secundum rationem ejus, ad quod proximo disponit; ergo subjectum characteris est animæ potentia naturalis, quam perficit, sicut essentia animæ est subjectum gratiæ, qua anima spiritualiter perficitur ac vivit. S. Th. ibid., a. 4.

4° Et *in intellectu practico.* Nam character ordinatur ad ea quæ sunt cultus divini per sacramenta præsertim, ita ut ille cultus sic sumptus consistat in quadam protestatione fidei per exteriora signa : atqui fides est in intellectu, et quidem practico; ergo et character. S. Th. *ibid.*, a 4, a 3.

Revera, qualitates voluntati inhærentes respiciunt bonum aut malum, ut supra dictum est de habitu, n. 94; character autem abstrahit a bono et malo; ergo non est in voluntate.

Sed etiam, in cultu duo distingui debent : ipsa reverentia Deo exhibita, in qua consistit actus virtutis religionis, quæ est in voluntate; et ipsi ritus seu cæremoniæ, quibus exercetur cultus : atqui tales cæremoniæ, quatenus *valide* sacramentaliter fiant, non sunt actus virtutis religionis, nec ideo spectant voluntatem, sed præcise respiciuntur a charactere; et propterea S. Thomas non dicit characterem ordinari *ad cultum*, sed *ad ea, quæ sunt divini cultus;* ergo character non est in voluntate.

96. — Tandem character dicitur potentia, relatio, figura, lumen, signum, res, sacramentum. Et quidem *potentia* supernaturalis secundum quidditatem, ut modo explicatum est; *relatio,* quatenus illa potentia est fundamentum relationum, quibus efficimur Christo similes, et infidelibus dissimiles; *signum,* rationè sacramenti sensibilis; *lumen, figura,* metaphorice; *res,* quia causatur a sacramento; *sacramentum,* quia, ratione sacramenti sensibilis, est signum ulterius gratiæ, n. 35. S. Th. 3 p. q. 63, a 3, ad 2; Billuart, dissert. 4, a. 2.

97. — III. *Character nec augeri, nec minui potest,* et ideo est *qualitas indivisibilis.*

Namque a principio non datur intensior propter dispositionem subjecti, cum per se nullam requirat; nec etiam postea augetur per iterationem Sacramenti, cum iterabile non sit. Et revera, ex parte ipsius characteris, omnibus datur æqualis potestas ad ea, quæ pertinent ad cultum divinum ; ergo in omnibus prorsus idem est.

Quæ omnia vera sunt etiam de charactere Ordinis, si se-

cundum se consideretur, et comparetur cum alio charactere ejusdem ordinis : non enim recipit majorem potestatem consecrandi unus Sacerdos, quam alius; et sic de cæteris ordinibus. Comparando autem characterem inferioris ordinis ad characterem superioris ordinis, quæri potest utrum sint distinctæ qualitates indivisibiles, an vero sit una et eadem, quæ paulatim augetur per diversos ordines. Posterior sententia videtur probabilior, quum plenitudo Ordinis et ideo characteris sit in Sacerdotio, in aliis autem ordinibus quædam tantum participatio Sacerdotii; vide Tract. *de Ordine,* n. 26, 39, ad 5. S. Th., *suppl.*, q. 37, a. 1.

Ex his omnibus, patet discrimen inter characterem et gratiam sanctificantem. Vide Tract. *de Gratia*, n. 304, et seq.

§ IV

De perpetuitate Characteris.

PROPOSITIO PRIMA

98. — *Character est perpetuus in hac vita.* De fide est. Nam 1° C. Flor. et Tridentinum declarant characterem esse *indelebilem*, et proinde iterari non posse Sacramenta quæ illum imprimunt : porro, quod dicitur indelebile sine addito, est perpetuum saltem in hac vita. Revera Sacramenta characterem imprimentia, nunquam iterantur; ergo character nunquam deletur, sed est in hac vita perpetuus.

2°. Omnis consecratio, quæ fit per participationem activam vel passivam Sacerdotii Christi, seu per deputationem quamdam ad ea, quæ pertinent ad cultum Dei, est de se perpetua. modo subjectum duret, et causa efficiens sit perpetua et sufficiens; sic ecclesiæ vel altaris manet semper consecratio, nisi destruatur : porro character est participatio quædam Sacerdotii Christi; ejus subjectum seu homo idem durat usque ad mortem; denique causa efficiens characteris, seu Sacerdotium Christi, est perpetua et semper de se efficax; ergo character est perpetuus in hac vita. S. Th. 1 p., q. 63, a. 5.

99. — *Obj.* Sanctificatio per gratiam fit per Sacerdotium Christi, et tamen non est de se perpetua in hac vita; ergo nec consecratio per characterem.

Resp. Nego conseq. Sanctificatio enim per gratiam pertinet ad vitam et ad vitalem perfectionem animæ, et ideo pendet, sicut et illa vita et perfectio, a libero arbitrio. Character autem nullo modo ad vitam animæ, nec proinde ad ejus liberum arbitrium spectat, sed inest animæ propter perfectionem Sacerdotii Christi, a quo derivatur, sicut quædam instrumentalis virtus, quæ consequitur conditionem principalis agentis. Unde consecratio quælibet non est de se perpetua, sed tantum ea, quæ fit per participationem activam vel passivam Sacerdotii Christi; S. Th., *ibid.*

PROPOSITIO II

100. — *Character est perpetuus etiam post hanc vitam.*

Et hoc non videtur esse de fide, ait Suarez, siquidem characterem esse indelebilem, ex eo præsertim colligitur, quod Sacramenta illum imprimentia iterari non possunt: porro ad hoc satis est, quod sit indelebilis quandiu vita durat. Attamen propositio communiter asseritur.

Nam 1° Concilia absolute loquuntur, et possunt commode sine limitatione intelligi.

2° Ratio jam allata, ex perpetuitate consecrationis, quæ fit per Sacerdotium Christi, hic etiam valet. Nam, ex una parte, causa characteris seu Sacerdotium Christi, est perpetuum et efficax post hanc vitam; et, ex altera, subjectum characteris per mortem non destruitur. Equidem homo est, qui per characterem consecratur; sed hæc consecratio formaliter recipitur in anima, quæ perpetuo durat.

3° Si quis moriatur Sacerdos, et rursus suscitetur, manebit Sacerdos, nec indigebit nova ordinatione; ergo conservatur character post mortem. Idem argumentum fieri potest de quolibet homine baptizato et confirmato.

4° Non repugnat, sed e contra omnino convenit manere characterem 1. in Beatis; est enim qualitas in se bona, imo et divina atque perficiens animam; et deservire potest in statu beatifico ad specialiter designandos, qui accepere beneficium abundantius fruendi divitiis Christi in lege gratiæ;

2. in damnatis, ut notior sit eorum ingratitudo, qui, cum in hac vita Sacramentis Christi potiti fuerint, illorum gratia bene uti noluerunt. Unde « post hanc vitam, ait S. Thomas, remanet character et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt, ad gloriam, et in his qui sunt victi, ad pœnam; » 3 p. q. 63, a. 5, ad 3.

CAPUT IV

DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS INSTITUTORE

101. — *Quæritur* 1° an Deus solus, *auctoritate propria* et *suprema*, sit sacramentorum institutor?

Resp. affirmative; et certum est. Etenim ille solus tali auctoritate gaudet, qui solus potest fundare veram Ecclesiam Religionemque, cujus Sacramenta sunt signa et columnæ; tribuere signis exterioribus vim producendi gratiam et spiritualem characterem, quorum ille solus est fons et prima causa; illabi animæ, in qua Sacramenti effectus existit; siquidem nemo potest aliquid immediate operari, ubi non est: atqui hæc omnia ad Deum exclusive pertinent, ex dictis in Tractibus *de Revelat.*, *de Ecclesia*, *de Gratia*, 93, 187, 194, 204, 313, 358; ergo et institutio Sacramentorum auctoritate propria et suprema; S. Th., 3 p., q. 64, a. 1.

102. — *Quæritur* 2° quotuplici modo Deus instituere possit Sacramenta?

Resp. Duplici modo, scilicet, *immediate per seipsum*, vel *mediate* tantum et *per homines*. *Immediate* quidem per seipsum, ita ut ipse omnia Sacramenta novæ legis instituerit, nec ullam Apostolis dederit potestatem instituendi signa, quibus promiserit alligandi gratiam, et etiam characterem. *Mediate* vero et per homines, si hujusmodi potestatem Apostolis commiserit, et illam gratiam signis alligandam promiserit.

Præterea, *immediate* Deus seu Christus per seipsum po-

tuit omnia Sacramenta instituere vel *in genere*, vel *in specie*.

In genere quidem, si ipse *gratiam* unicuique Sacramento *propriam determinaverit*, sed tantum *præscripserit assumendum esse signum aliquod* exterius, *aptum* et *idoneum* ad finem instituti Sacramenti significandum, sicque ab Ecclesia *eligendum* ac *determinandum*.

In specie autem, si ipsemet Christus, *non solum gratiam* unicuique Sacramento propriam, sed *etiam signum ipsum* seu materiam et formam quoad *verborum sensum*, cujusque Sacramenti *expresse et nominatim designaverit*, imposita lege iis semper utendi.

Jam vero, 1. certum est, pro *lege naturæ*, Deum immediate et per seipsum instituisse externum ac sensibile remedium saltem originalis peccati : solus enim Deus potuit promittere remissionem peccati originalis, posito aliquo sensibili signo; sed verisimile est reliquisse arbitrio hominum ut hoc vel illo signo uterentur, et ideo hujusmodi signum in specie divinitus non fuisse determinatum; n. 26, 61.

2. Certum est omnia Sacramenta legis scriptæ fuisse *immediate* et *in specie* a Deo instituta, et per Patriarchas ac præcipue per Moysen promulgata, ut de Circumcisione constat ex Gen. 17, ✝ 10; de reliquis vere ex toto Exodo et Levitico, n. 27. Et revera, Deus voluit lege ac cæremoniis a seipso latis, Hebræos singulariter sibi conjungere, et a ritu Gentilium segregari. Sed etiam illa Sacramenta gravida erant mysteriorum et Sacramentorum novæ legis, quæ in illis præfigurabantur et promittebantur : porro, sine divina sapientia et auctoritate, nec cognosci poterant futura mysteria, nec accommodatis signis judicari, nec promitti talia mysteria, gratiamque per ea conferendam.

Itaque inquirendum superest an Christus omnia Sacramenta novæ legis instituerit 1° immediate; 2° in specie; 3° quatenus Deus simul et homo.

PROPOSITIO PRIMA

103. — *Omnia novæ legis Sacramenta fuerunt a Christo immediate ac per seipsum instituta*. Certum est.

Constat 1° *Script.* 1. Nullum est ex septem Sacramentis, cujus aperta non fiat in Scripturis mentio, ut vidimus, n. 29; ac proinde cujus immediata institutio ad Christum non sit referenda. 2. Apostoli declarant se duntaxat *Ministros Christi esse*, ac *dispensatores Mysteriorum Dei*, I Cor. 4. ỳ 1; ergo horum mysteriorum non sunt auctores. 3. Juxta S. Lucam, Act. 1, Christus a mortuis suscitatus, per dies quadraginta cum discipulis conversatus est, et de regno Dei collocutus; in his autem colloquiis « confirmata sunt Sacramenta et magna sunt revelata mysteria, » ait S. Leo, *Serm. de Ascens.*

2° *Traditione*. S. Aug. *Epist.* 118, ait Christum Dominum Sacramentis suis societatem novi populi colligasse.

Conc. Trid. sic habet: « Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse *omnia* a Jesu Christo Domino nostro *instituta*... : anathema sit; » n. 2. Concilium prætermisit particulam *immediate, per seipsum,* et ideo propositio non est fide, sed hanc fuisse Concilii mentem vix potest dubitari. Nam Concilium dicit omnia Sacramenta novæ legis fuisse a Christo instituta simpliciter : porro, quæ Christus immediate non præcepit, etiamsi ab Ecclesia præcipiantur per potestatem ab ipso acceptam, non dicuntur esse præcepta a Christo, sed ab Ecclesia; ergo, eadem ratione, si Ecclesia, ex potestate a Christo accepta, omnia vel aliqua Sacramenta instituisset, non posset proprie ac simpliciter dici omnia Sacramenta esse a Christo instituta.

Idem Concilium dicit Extremam Unctionem fuisse a Christo *institutam*, et a S. Jacobo *promulgatam*, sess. 14, can. 1, contra quosdam asserentes hoc Sacramentum fuisse a Christo mediate tantum, sed a S. Jacobo vere institutum; ergo Concilium, sic institutionem Sacramentorum opponendo eorum promulgationi, evidenter declarat verba « Christum *instituisse* omnia novæ legis Sacramenta, » intelligenda esse de institutione proprie dicta, non autem de potestate instituendi.

Ex eodem Conc. Trid., Ecclesia nullam potestatem habet *mutandi substantiam* sacramentorum : porro, quod Ecclesia instituit, et hoc mutare potest; revera idem Concilium,

n. 14, longe aliter loquitur de Cæremoniis ab Ecclesia, ex auctoritate a Christo concessa, institutis, ac de substantia Sacramentorum. Sed etiam, in tota antiquitate altum est silentium de alicujus Sacramenti per Ecclesiam institutione, nec unquam Ecclesia eam sibi vindicavit; ergo solus Christus immediate per seipsum instituit omnia novæ legis Sacramenta. S. Th. 3 p., q. 64, a. 2.

3° *Ex congruentiis*. 1. Omnino conveniens fuit Sacramenta novæ legis ab ipso Christo institui, tum ne in ullo alio spem nostram collocaremus, si alterius nomine Sacramentum ministraretur, I Cor. 1, ℣ 12; tum ut esset magis stabilis ac firma unitas ritualis, defectu potestatis in Ecclesia mutandi Sacramenta quoad substantiam; tum ut Christus, quatenus Ecclesiæ auctor et caput, ejusdem etiam præcipua poneret fundamenta per Sacramenta; tum denique ut ipsa Sacramenta sint actiones ipsius Christi vicariæ, et ideo dignitatis majoris, ac si interponeretur quædam *humana* institutio. S. Th. *ibid*,. a. 4, ad. 1, 3.

2. Omnes consentiunt quædam saltem Sacramenta novæ legis fuisse immediate a Christo instituta, puta Baptismum, Eucharistiam : atqui omnium et singulorum eadem est ratio.

3. Tandem Deus per se et immediate instituit omnia Sacramenta veteris legis : porro, non minus Deo curæ fuit legis novæ quam veteris institutio; imo quo lex nova lege veteri perfectior est, eo majorem, ut sic dixerim, Dei diligentiam requirebat; et hoc in primis intelligi debet de Sacramentis, quæ sunt pars præcipua Religionis; ergo, etc.

PROPOSITIO II

104. — *Christus omnia novæ legis Sacramenta instituit in specie.*

Hæc assertio omnino certa est de Baptismo et de Eucharistia. Idem communiter sentiunt Theologi de Pœnitentia, de Extrema Unctione, de Matrimonio.

Olim dubium aliquod ortum est de materia et forma Confirmationis et Ordinis, eo quod diversitas aliqua exstare

videtur in Ecclesia Latina et Græca de specie infima substantiæ illorum Sacramentorum. Hodie vero vix ac ne vix quidem remanet hujusmodi dubium, ex dicendis in Tract. *de Confirm.*, n. 8, 13, 16; *de Ordine*, n. 28, 29.

Revera, 1. nullum est ex septem Sacramentis novæ legis, cujus sufficiens non occurrat in Scripturis expressa materia et forma; ergo quidquid ad hanc materiam et formam ex Ecclesiæ usu aut præcepto temporis lapsu accessit, est tantum pars accidentalis, vel ad summum integralis. 2. Ex Conc. Trid., Ecclesia mutare non potest substantiam Sacramentorum : porro, si Ecclesiæ datum esset in specie derminandi materiam et formam alicujus Sacramenti, quæ certe ad Sacramenti substantiam pertinent, jam mutationi subjacerent partes substantiales Sacramenti, perinde ac ritus et cæremoniæ; ergo non Ecclesia, sed Christus in specie determinavit materiam et formam Sacramentorum. 3. Congruentiæ supra allatæ pro institutione immediata, vim suam retinent etiam pro institutione in specie a Christo.

PROPOSITIO III

105. — *Christus omnia novæ legis Sacramenta instituit ut Deus et ut homo.* Certum est.

Et quidem 1° *ut Deus.* Nam ex dictis n. 101, solus Deus propria et suprema auctoritate est Sacramentorum auctor; ergo Christus ut Deus habet in sacramentis potestatem *auctoritatis* propriæ et supremæ. S. Th. 3 p., q. 64, a. 3.

2° Sed etiam *ut homo.* Etenim, ex dictis in Tract. *de Incarn.* n. 176-242, Christus, ut homo, est cujuslibet gratiæ hominibus collatæ causa principalis moralis seu satisfactoria ac meritoria, in quantum ejus humanitas est instrumentum conjunctum divinitati in persona; ita ut exinde procedat potestas ministerii principalis seu *excellentiæ*, respectu instrumentorum non conjunctorum seu extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiæ.

Ex hujusmodi potestate quatuor respectu Sacramentorum consequuntur : 1. omnis virtus et dignitas Sacramentorum ex meritis Christi, quatenus est homo, procedit: 2. proinde Sacramenta in Christi nomine et auctoritate ad-

ministrantur ; 3. consequenter nullum ex Sacramentis, cujus institutio non sit facta saltem dependenter a Christi meritis et voluntate ; 4. nullum denique Sacramentum, cui ita alligata sit Christi potestas conferendi gratiam aut characterem, ut eam absque ullo exteriori Sacramento exercere nequeat. In his continetur discrimen inter illam excellentiæ potestatem ab unione hypostatica derivatam, Christoque ideo exclusive propriam, a potestate participata ministrorum in sacramentis conficiendis. S. Th. *ibid.*

CAPUT V

DE MINISTRO, ET EJUS QUALITATIBUS

106. — Sacramenti minister dicitur, qui Sacramentum conficit, illudque hominibus administrat. Necessitas alicujus ministri patet, tum ex natura rei, tum ex decreto ad Armenos, ubi dicitur : « Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, *rebus* tanquam materia, *verbis* tanquam forma, *et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum, si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* »

Sed quæritur 1° quisnam sit hujusmodi minister ; 2° an attentio ; 3° intentio ; 4° fides et probitas requirantur in Ministro ; 5° an sit obligatio Sacramenta ministrandi. Unde quinque articuli.

ARTICULUS PRIMUS

De Sacramentorum Ministro quoad validitatem, et liceitatem.

108. — *Quæritur* 1° an *soli Sacerdotes* aut *Episcopi* habeant potestatem *valide conficiendi Sacramenta*, exceptis *Baptismo* et *Matrimonio?*

Resp. affirmative; et de fide est. Namque 1. Conc. Trid., n. 11, hoc sic generatim definivit : « Si quis dixerit, christianos *omnes* in verbo, et *omnibus Sacramentis habere potestatem :* anathema sit. » Præterea, idem Concilium definivit characterem *sacerdotalem* requiri ad validam confectionem Eucharistiæ, Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis ; characte-

rem vero *episcopalem* ad validitatem confirmationis et Ordinis, ut in proprio loco statuetur.

2. In veteri lege cuilibet licitum non fuit se sacris immiscere, sed iis tantum, qui erant de stirpe Aaron; quanto magis ergo in lege Christi a sacro ministerio removendi sunt, qui ad illud speciali consecratione non vocantur?

3. Tandem, apud omnes populos semper fuere Sacerdotes, seu quidam homines inter alios electi, atque pro aliis specialiter et exclusive constituti in iis, quæ sunt ad Deum; a fortiori ergo, quando agitur de rebus adeo sacris, quæ in lege nova peraguntur.

Dixi : *exceptis Baptismo* et *Matrimonio*. Baptismus enim, ratione ejus necessitatis, potest valide ministrari a quolibet homine, modo sit rationis compos; Matrimonii autem ministri sunt ipsi conjuges, præsupposita tamen auctoritate Ecclesiæ ad tollendum canonicum impedimentum, quod in multis reperitur. Cæterum idem fusius probabitur, ubi de unoquoque Sacramentorum.

109. — *Quæritur* 2° an ad *licitam administrationem* Sacramentorum insuper requiratur in ministro potestas *jurisdictionis* ordinariæ vel delegatæ, excepto necessitatis casu?

Resp. affirmative. Sacramentorum enim administratio ad eos directe pertinet, quibus directe animarum incumbit cura : quamobrem, ut docet Rituale Romanum, nullus hoc munere fungi debet, nisi proprius Sacerdos, vel delegatus; nec alienæ parochiæ fidelibus Sacramenta ministrabit Sacerdos, nisi necessitatis causa; et qui aliter se gerit, peccat, utpote qui jus usurpet alienum, et sanctæ Ecclesiæ ordinem ac pacem perturbet. Imo, excepto necessitatis casu, *invalida* est administratio sacramenti Pœnitentiæ sine sufficienti jurisdictione collati. Hæc evolventur in unoquoque Sacramentorum, et in Institutionibus canonicis.

ARTICULUS II

De attentione in Ministro requisita.

110. — *Quæritur* 1° quid sit *attentio*, et quotuplex?

Resp. 1. Attentio est voluntaria *applicatio mentis ad ea*,

quæ peraguntur, seu est actus intellectus, quo homo considerat id, quod agit. Unde hujusmodi actus perficitur intellectu, et voluntate imperatur.

2. Duplex est attentio, *interna* scilicet et *externa* : prior consistit in interiori mentis advertentia ad id, quod agitur; posterior ea est, quæ excludit omnem externam actionem physice cum attentione interna incompossibilem, ut esset fabulari, scribere, etc.

111. — *Quæritur* 2° quænam attentio requiratur ad *validam* aut *licitam* Sacramentorum collationem?

Resp. 1. Ad *validam* collationem Sacramentorum non requiritur alia attentio, nisi ea quæ in omni actu vere humano invenitur; ac proinde valide ministrari possunt Sacramenta a Ministro distracto, seu de aliis negotiis simul cogitante. Moralitas enim actus non ab attentione actuali, sed ab intentione saltem virtuali agentis procedit. Aliunde attentio sæpe a voluntate hominis non pendet : porro Christus conditionem aliquando impossibilem in Ministro requirere non potuit. Suarez, *de Sacram.*, disp. 13, sect. 3; S. Ligor., n. 14.

2. Ad *licitam* Sacramentorum collationem requiritur talis attentio, ut absit *omnis voluntaria* distractio. Reverentia enim Sacramento debita exigit, ut cum attentione tractetur. Voluntaria autem distractio ordinarie peccatum veniale non excedit, nisi periculo in applicatione materiæ et formæ graviter errandi exponat; S. Ligor. *ibid*. Attamen, juxta multos, voluntaria distractio in confectione Eucharistiæ, est peccatum mortale; eo quod distractio in tali Sacramento videtur non carere gravi irreverentia; S. Ligor. *ibid*. Juxta alios plures, voluntaria distractio etiam in præfato casu, est tantum veniale peccatum. Vide S. Th., 3 p., q. 64, a. 8, ad 3.

ARTICULUS III

De intentione in Ministro requisita.

112. — *Quæritur* quid sit *intentio* de qua hic agitur, et quotuplex esse possit?

Resp. Intentio, in genere, est actus voluntatis, quo quis

vult aliquem finem per aliquod medium; et sic discrepat ab attentione, quæ est actus *intellectus* aliquid considerantis et de eo cogitantis.

Prout hic sumitur, intentio est actus voluntatis, quo *minister sacramenti*, actionem sacramentalem perficiendo, *vult facere quod Christus instituit et usurpat Ecclesia.*

Hujusmodi intentio varia esse potest, prout consideratur ex parte finis, modi, effectus, subjecti et materiæ.

1° Ex parte *finis*, intentio potest esse vel jocosa, vel externa tantum, vel etiam interna. *Jocosa* est, quando, per jocum et irrisionem *externam* et manifestam, ut solent mimi et histriones, ritum sacramentalem minister intendit non serio facere, sed fingere ac repræsentare.

Externa vero, si minister *exterius serio* et in debitis circumstantiis *externum* Ecclesiæ opus perficit, dum intus et animo *statuit* illud quatenus sacramentum *non conficere,* sed fingere tantum ac simulare.

Interna tandem, si minister, non tantum exterius serio, sed etiam intus et animo vult simpliciter facere, quod facit Ecclesia, et ideo sacramentum.

2° Ex parte *modi*, intentio est actualis, virtualis, habitualis, interpretativa.

Actualis intentio est voluntas actu præsens conficiendi sacramentum, v. g., *volo* tantem parvulum baptizare.

Virtualis intentio, quam et *habitualem* quidam vocant, est voluntas conficiendi sacramentum non actualiter elicita, sed *perseverans virtute volitionis antea elicitæ :* v. g., Sacerdos, cum elicuerit voluntatem audiendi confessiones, confessionale ingreditur, audit confessionem et dat absolutionem, quin novam eliciat volitionem conferendi sacramentum Pœnitentiæ; et ideo absolvit vi volitionis antea elicitæ, seu ex intentione virtuali.

Habitualis intentio nihil aliud est quam quædam *proclivitas* seu *facilitas* ex eorumdem actuum repetitione oriens, ad Sacramenta conficienda.

Interpretativa tandem intentio est hypothetica voluntas administrandi Sacramentum quoddam : v. g., si præsens fuissem, absolvissem Petrum.

3° Ex parte *effectus*, intentio est absoluta vel conditionata.

Absoluta aut *absolutæ æquivalens* intentio est conficiendi Sacramentum a nulla dependens conditione, ex qua confectio Sacramenti in suspenso hic et nunc maneat. Talis adest intentio, quando minister vult Sacramentum conficere, nulla prorsus apposita conditione, v. g. : *te baptizo in nomine Patris*, etc. : *te absolvo a peccatis tuis*; vel quando apponitur conditio de *præterito* vel de *præsenti*, v. g. : *Si tu es homo*, vel, *si nondum fueris baptizatus, ego te baptizo ;* hujusmodi intentio est abolutæ æquivalens, cum in his casibus adest vel prorsus deficit intentio baptizandi et quidem hic et nunc, prout hic et nunc adest vel deficit apposita conditio.

Conditionata simpliciter intentio est voluntas conficiendi Sacramentum dependenter a conditione, ex qua illa voluntas et ideo ipsa confectio Sacramenti in suspenso hic et nunc maneat : talis est conditio de *futuro incerto* ; v. g. : Ego te baptizo, te absolvo, *modo cras restituas injuste ablatum*.

4° Ex parte *subjecti* et *materiæ*, intentio est determinata vel indeterminata.

Determinata intentio est voluntas administrandi sacramentum certæ personæ, vel Sacramentum conficiendi cum certa materia, v. g. : volo absolvere personam *præsentem*, consecrare *omnes præsentes* particulas.

Indeterminata intentio est voluntas administrandi Sacramentum alicui vel aliquibus personis, quæ sufficienter ab aliis distingui non possunt ; vel conficiendi sacramentum cum materia, quæ a qualibet alia sufficienter discerni nequit : v. g., absolvo quatuor ex septem personis præsentibus, consecrare intendo decem ex viginti particulis præsentibus.

Quibus sic explicatis, inquirendum est quænam ex præfata multiplici intentione requiratur et sufficiat ad validam sacramentorum administrationem. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

113. — *Ad valorem Sacramenti, non sufficit intentio jocosa, nec externa, sed absolute requiritur interna.*

Et quidem 1° *non sufficit* intentio *jocosa*. Certum est. Etenim, ex Conc. Trid., n. 106, « in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, *requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia:* » porro, qui, per jocum et irrisionem *externam* et manifestam, formam sacramentalem materiæ applicat, sane non intendit facere ritum *etiam externum* Ecclesiæ, sed eum duntaxat fingere, simulare ac nude repræsentare; et ideo ille nequidem exterius apparet, nec est Ecclesiæ minister; ergo ad valorem sacramenti non sufficit intentio jocosa. S. Th. 3 p., q. 64, a. 10.

2° Nec *sufficit* intentio *externa*, sed *interna* absolute *requiritur*, juxta communiorem et longe probabiliorem sententiam.

Ita contra Petrum Aureolum, Catharinum, Contensonium, Jueninum, Serry, Drouvenium, Oswald, etc.

Prob. 1° *ex institutione Christi.* Etenim, ex verbis, quibus Christus sacramenta instituit, colligitur signa non fuisse a Christo posita ad significandum et efficiendum in seipsis, quacunque ratione conficiantur; sed Christum in primis et per se commisisse hominibus *potestatem* conficiendi Sacramenta, ut patet ex his verbis : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; Hoc facite in meam commemorationem*; *Baptizantes eos,* etc. Unde sic : repugnat Christum hominibus potestatem sacramentalem concessisse, ut ea uterentur, etiamsi, illam potestatem exercendo, non perficerent actionem vere *rationalem* et *humanam*: atqui res ita se haberet, si homines potestate sacramentali uterentur, etiamsi de illa non cogitarent, imo etiamsi illa hic et nunc uti interne nollent; ergo ad valorem Sacramenti requiritur in ministro interna intentio utendi potestate sacramentali, seu faciendi Sacramentum.

2° *Traditione.* Conc. Trid. declarat pœnitentem non debere sibi sua fide blandiri, *si Sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit;* sess. 14. c. 6 : porro, qui tacitus dicit apud se : *Nolo absolvere,* huic non est animus absolvendi; ergo non sufficit intentio externa.

Idem Concilium in ministro requirit, ad validitatem Sacramenti, *intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia,*

n. 12 : porro, quod Ecclesia facit, non est cæremonia exterior, materialiter tantum seu ut res sensibilis sumpta, sed ut est Sacramentum; ergo requiritur intentio rem sacram faciendi.

Et vero, præter materiam et formam, Ecclesia intentionem requirit: porro id frustra exigeret, si hæc intentio mere externa foret : sive enim irrisio sit externa, sive interna, intentio prorsus eadem est quoad naturam ritus externi, nec separari potest ab ipsa actione, quæ materiam cum forma conjungit.

Præterea Alex. VIII sequentem proscripsit propositionem, anno 1690 : « Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, *intus vero in corde resolvit : Non intendo quod facit Ecclesia :* » sed hæc propositio ipsissimam, quam impugnamus, sententiam exprimere videtur.

Benedict. XIV, *de Synodo Diœc.* lib. 7, c. 4, asserit 1. *Historiæ Concilii Trid. jejunos sese ostendere* eos, qui oppositam, quam hic impugnamus, Theologorum sententiam, a Synodo fuisse damnatam docent; 2. *nullam de ea re emanasse Sedis Apostolicæ definitionem expressam;* verum hæc addit: *Negari tamen non potest, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab. Alex. VIII*, (quando nempe laudatam superius propos. damnavit); et postea declarat nostram sententiam esse *communiorem, tutiorem, et omnino servandam in praxi.* « Quare si constet, prosequitur S. Pontifex, quempiam, aut Baptismum contulisse, aut aliud Sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito ritu, *sed intentione retenta...* urgente quidem necessitate, erit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum. »

3° *Ex congruentiis.* 1. Cum Sacramentum sit cæremonia sacra, pertinet in primis ad ejus reverentiam, ut non fiat joco, sed ex animo, nec casu, sed ex intentione. 2. Actiones sacramentales ex se indifferentes sunt, ut sint sacræ vel profanæ; ergo oportet ut definiantur ad esse sacramentale per intentionem ministri ; S. Th. 3 p., q. 64, a. 8.

3. Modus utendi potestate sacramentali humano modo nobilior est, magisque ad dignitatem tanti ministerii, ipsorumque ministrorum spectans.

114. — Nec objiciatur; supposita necessitate intentionis internæ, fideles in perpetua versarentur anxietate circa valorem Sacramentorum a se susceptorum.

Nam 1. nemo similiter certus esse potest, an legitimam formam secreto adhibuerit minister, an vero eam adulteraverit. 2. Moralis eo loco sufficit certitudo; ad hanc autem certitudinem satis est, quod nulla sit dubitandi ratio de malitia et improbitate ministri. Cum enim debitam intentionem habere sit facillimum, eam positive excludere diabolicum est :tantam autem suspicandi nequitiam nulla potest esse ratio, nisi probetur: atque tenendum est quod, pro sua providentia, non patietur Deus optimus nos ita dæmonis aut impiorum illudi simulationibus, ut in æternum pereamus.

115. — Cæterum, certum est nunc apud omnes, 1. non absolute requiri, ut minister intendat explicite ritum sacramentalem, sive prout est gratiæ productivus, sive prout est verum Sacramentum, sive prout adhibetur ab Ecclesia Christi : quia valet Baptismus a Paganis etiam collatus in legitima materia et forma, licet illi Christum et ejus Ecclesiam ignorent.

2. Sufficere saltem quod minister implicite et indirecte velit facere quod facit societas, quam Ecclesiam Christi vocant, aut quod ab ipso postulat, v. g., qui Baptismum ut ritum religiosum habet : puta, si Catechumenus in extremis positus Baptismum postulet ab infideli, ipsumque nonnisi ritum baptizandi materialem per tempus edocere queat; ratio est quod ille minister infidelis, in eo casu, postulantis annuens voto, implicite saltem et indirecte intendit facere quod facit et intendit Ecclesia Christi, quæcunque sit privata ipsius de Ecclesia, vel de Sacramento ejusque effectu et efficacia, opinione. Unde valet Baptismus, etiamsi expresse declaratum fuerit a ministro, antequam baptizet, Baptismum nullum habere effectum in

anima : quia, non obstante errore quoad effectus Baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Ita S. Congr. Inquis., 18 dec. 1872.

PROPOSITIO II

116. — *Ad valorem Sacramenti, requiritur et sufficit in ministro intentio virtualis faciendi quod facit Ecclesia.* Certum est.

1° *Requiritur saltem virtualis* intentio. Namque, ex dictis, n. 115, ad valorem Sacramenti necessaria est intentio, qua minister velit facere quod facit Ecclesia, et qua potestate sacramentali utatur rationabili modo : atqui, ex omnium consensu, intentio sive habitualis, sive interpretativa non est intentio proprie dicta, nulloque modo influit in actum, quo Sacramentum conficitur; ergo requiritur saltem virtualis.

2° *Virtualis sufficit.* Hæc enim vere est actus voluntatis movens ad actionem Sacramenti; aliunde sufficit ad merendum coram Deo, et in actionibus humanis, v. g., in contractibus, legationibus et procurationibus; ergo, etc.

Insuper, semper in ministri potestate non est habere actualem intentionem, scilicet, propter repentinas et indeliberatas mentis divagationes, a quibus ne ipsi quidem viri pii omnino liberi sunt : porro Christus eam noluit in ministris exigere intentionem, quæ nonnunquam est moraliter impossibilis, superatque vires humanas, ac viam innumeris aperiret scrupulis et dubitationibus, quæ circa Sacramentorum valorem possent oriri; ergo, quamvis actualis intentio sit optima, et conveniens, quantum fieri potest, eam adhibere, attamen ad Sacramenti valorem necessaria non est, sed virtualis sufficit.

Cæterum, ad eliciendam actualem intentionem, non requiritur ut ore dicantur formaliter ista verba, *volo baptizare*, etc., sed sufficit quod minister interius velit Sacramentum conficere.

Intentio virtualis non desinit, nec moraliter est interrupta, licet aliqua brevis exerceatur actio, quæ per se ad Sacramenti valorem non sit ordinata; v. g., si Sacerdos,

post efformatam baptizandi intentionem, aliquot describat lineas, vel paulisper cum aliquo in via occurrente colloquatur : istæ breves et minutæ actiones non obstant quominus Sacramentum valide conficiat, licet forte eo instanti sit distractus, quo Sacramentum operatur.

PROPOSITIO III

117. — *Ad valorem Sacramenti, non sufficit in ministro intentio vere conditionata conficiendi Sacramentum, sed absoluta vel absolutæ æquivalens requiritur.* Certum est.

Etenim, ex jam dictis, n. 112, intentio vere et proprie conditionata est voluntas conficiendi Sacramentum sub conditione de *futuro incerto;* v. g., *te absolvo, modo cras restituas injuste ablatum :* porro eo instanti, quo apponitur talis conditio, minister applicat quidem formam materiæ, sed non habet voluntatem conficiendi hic et nunc Sacramentum, et ideo hic et nunc Sacramentum non conficitur; eo instanti autem, quo advenerit conditio, aderit quidem voluntas ministri, sed jam forma et materia non existent, et ideo non conficietur sacramentum; ergo sacramentum confici nequit cum intentione sub conditione de futuro, ac proinde omnino requiritur intentio absoluta vel absolutæ æquivalens, qualis est intentio sub conditione de præterito, vel de præsenti.

Non autem absolutæ æquivalens est intentio, quando objectum conditionis, licet sit de præsenti, non cadit in humanam cognitionem, v. g., si tu es prædestinatus, ego te baptizo. Hujusmodi enim conditiones impossibiles reputantur pro actibus humanis, sicut et pro humana cognitione. Tunc enim semper dubium saltem remaneret Sacramentum. Vide Tract. *de Pœnit.*, n. 100.

Aliunde, sufficit ad reverentiam Sacramenti, ut mente concipiatur conditio, nec requiritur verbis exprimi. Imo, juxta quosdam, satis est, si habeatur implicite et virtualiter, veluti habet, qui voluit confessiones audire secundum institutionem Christi vel Ecclesiæ intentionem. Apponi tamen ore debet, ubi hoc præscribit rubrica, ut in baptismo conditionato, præsertim si publice conferatur, ne

adstantes credant baptismum absolute iterari; S. Ligor., *Hom. ap.* tr. 14, n. 3, etc.

PROPOSITIO IV

118. — *Ad valorem sacramenti requiritur in ministro intentio determinata ad certam personam et ad certam materiam.* Certum est.

Non enim vera est Sacramentum conficiendi voluntas, v. g., baptizandi, vel absolvendi,, nisi ad certam dirigatur personam : pariter, vera non est consecrandi voluntas, nisi ad hanc vel illam materiam dirigatur; operationes enim sunt circa singularia. Idem etiam patet ex Sacramentorum formis, *Baptizo te, Absolvo te, Hoc est Corpus meum,* etc.

Hinc in praxi, suam debet intentionem dirigere minister ad materiam, vel personam præsentem, quæcunque illa sit, v. g., velle debet minister baptizare hunc infantem, sive sit puer sive puella, sive filius sit Petri sive Jacobi, alioquin Sacramenti valor in discrimen nonnunquam adduceretur.

ARTICULUS IV

De fide et sanctitate requisitis in Ministro.

119. — *Quæritur* quænam fuerit controversia de necessitate fidei et sanctitatis in Sacramentorum ministro?

Resp. Circa initium tertii seculi, Agrippinus, Carthaginensis Episcopus, coacto Episcoporum Africæ et Numidiæ Concilio, ex ipsorum consensu statuit Hæreticos omnes ad Ecclesiam redeuntes, esse rebaptizandos, ut referunt S. Cyprianus, Epist. 74, ad Pompeium, 73 ad Jubaianum; et S. Aug. lib. 2, *de Bapt.*, c. 1.

Agrippino successit in Episcopatu S. Cyprianus, qui prædecessoris errorem confirmavit in tribus Conciliis ex Africa, Numidia, et Mauritania coactis. In eodem errore versati sunt Orientales multi, quorum duces exstitere Firmilianus et Helenus, quemadmodum videre est in Epist. 75 Firmiliani [1].

1. Acta Conciliorum sub S. Cypriano congregatorum ex Africa, Numidia et Mauritania, Epistolæ S. Cypriani ad Jubaianum, Pompeium, Firmilianum, aliaque

2. Nec tamen S. Cyp., nec Episcopi ipsi adhærentes, Hæreticis annumerandi sunt : 1. quia hæc quæstio de valore Baptismi ab Hæreticis collati, clare nondum fuerat ab Ecclesia definita : 2. quia ejusmodi quæstio censebatur tunc ad disciplinam, non autem ad fidem pertinere; 3. quia vinculum pacis perseverantissime tenuerunt, ut testatur S. August., *Epist.* 48.

Intentata quidem, sed lata nunquam fuit a S. Stephano, S. Pontifice, adversus Rebaptizantes excommunicationis sententia; nullibi enim legitur.

Non modo S. Cyprianus, sed et Episcopi ipsi adhærentes, a sua recesserunt sententia : de S. Cypriano testatur S. Aug., *Epist.* 48, ad Vincentium ; de Episcopis S. Cypriano adhærentibus testatur S. Hieron., sub finem Dialogi adversus Luciferianos, his verbis : *Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos Hæreticos cum eo* (S. Cypriano) *statuerunt, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum.*

3. Eumdem errorem jam ab universali Ecclesia proscriptum, pertinaciter IV Ecclesiæ seculo defenderunt Donatistæ, qui Ecclesiam diu, præsertim in Africa, vexavere, ac 400 et amplius in schismate suo habuerunt Episcopos.

Donatistarum hæresi adhæserunt seculo XII Apostolici; Waldenses et Albigenses, seculo XIV; et XV, Wiclefitæ et Hussitæ; tandem XVI, Anabaptistæ. Itaque

quædam scripta eidem auctori tributa de Baptismo hæreticorum tractantia, in quibus auctor acriter de S. Sede loquitur, multosque errores propugnat, quorum authenticitatem in dubium revocata sunt etiam tempore S. Augustini, ut constat ex hujus Doctoris scriptis *Contra Crescon.*, II, 33, I, 31, et *Epist. ad Vincentium.*

Eorumdem actorum et scriptorum authenticitas impugnata fuit, et adulteratio aut suppositio Donatistis attributa a Missorio, ordinis S. Francisci, 1733; a Tournemine, *Mémoires de Trévoux*, p. 2247, an. 1734; a Georgio Gotti, 1738; a Morcelli; a Molkenburh, 1790, 1794; a Froclich, 1808; a DD. Tizzani, in Collegio Sapientiæ professore, 1862. Nec sane nobis spernenda videntur argumenta, quæ in illis scriptis congeruntur. Vide *Analecta*, 1873, col. 327, 1880, col. 876; *Revue des sciences ecclés.*, avril, mai, juin, 1863; Héfélé, *Histoire des Conciles*, t. 1; Bollandistes, *Act. Sanct.*, t. 4, septembre; *Revue des questions hist.*, t. 1, p. 405.

PROPOSITIO PRIMA

120. — *Nec fides, nec sanctitas in Ministro requiruntur ad validitatem Sacramenti.*

Quæ propositio, quod spectat *sanctitatem*, de fide est; quod vero spectat *fidem*, de fide est, si agatur de Baptismi collatione; certa est et fidei proxima, si quæstio sit de aliis Sacramentis, excepta Pœnitentia, non quidem ex defectu fidei, sed ex defectu jurisdictionis, qua carent hæretici.

Prob. 1° *Script.*, quæ, etsi non sufficiat, ut notavit S. August., potest tamen propositionem confirmare. Namque 1. Christus jubet obedire scribis et pharisæis super cathedram Moysis sedentibus, et ideo potestas jurisdictionis manet in ministris iniquis; cur etiam non potestas Ordinis? 2. Verba Christi, quibus suis ministris dedit potestatem conficiendi Sacramenta, sunt absoluta, et generalia : *Hoc facite... Quorum remiseritis*, etc.; ergo non est, quod nos ea limitemus ad ministros sanctos, vel fideles. 3. Sacerdotes agunt tanquam instrumenta seu ex Christi auctoritate et virtute, ut constat ex Scriptura : porro, fides et sanctitas ad formam et virtutem ministro propriam pertinent; ergo non requiruntur ad Sacramenti effectum. S. Th. 3 p., q, 64, a. 5.

2° *Traditione.* « *Primus* omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem et justitiam majorum, rebaptizandum esse censebat Agrippinus. Quis ergo tunc universi negotii exitus, quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas. » Vincent. Lirin.

Quam traditionem contra S. Cyprianum et Orientales, S. Stephanus his verbis strenue propugnavit : « Si quis a *quacunque hæresi* venerit ad nos, *nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* » Idem contra Donatistas sic asserit S. August. : « Consuetudinis robore tenebatur universus orbis; et hæc sola opponebatur introducere volentibus novitatem ; » *de Bapt.*, lib. 2, c. 9.

Idem dogma declaratum est in Conc. Nicæno I. can. 8, Constantinop. I, can 7, Florent. Tandem sic illud definivit Conc. Trid. : « Si quis dixerit, *Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis,* in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, *non esse verum Baptismum :* anathema sit. » *De Bapt.*, can. 4.

« Si quis dixerit, ministrum *in peccato mortali existentem,* modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, *non conficere aut conferre Sacramentum :* anathema sit ; » n. 13.

3° *Ratione.* Quamvis hoc pendeat ex Christi voluntate, hæc tamen inferri potest congruentiis. Scilicet, maxime expediens fuit dari ministris absolutam potestatem independenter ab eorum malitia vel bonitate. Alias enim Ecclesiasticus ordo et regimem valde esset perturbatum ac incertum, et quidem incertitudine omnino communi, morali ac humana ; cum fides vel sanctitas ministri frequenter desit ac moraliter deesse possit.

Aliunde manere hanc potestatem in malis ministris non repugnat ex parte indignitatis ministri, nec ex parte Dei. Non prius quidem : manet enim in peccatore ipsa fides, et character baptismalis in hæretico ; cur ergo non manerent bona ad aliorum utilitatem ? Et revera, gratiæ gratis datæ sæpe dantur peccatoribus, quamvis illis indigni sint ; quia ad aliorum utilitatem ordinantur. Nec posterius ; Deus enim sæpe evangelizat, convertit et justificat per verbum hominis peccatoris ; et in hoc maxime commendatur divina sapientia et potentia, quod quorumdam malitia in aliorum bonum utatur.

Tandem, in Sacramentis, ministri tanquam instrumenta et quidem extrinseca seu non conjuncta, operantur, n. 56 ; et ideo non secundum propriam formam aut virtutem ejus, a quo moventur, seu Christi ; sic medicus per membra infirma curare, semen sordidis licet manibus satum fructificare, aqua per fistulam sive argenteam sive plumbeam derivata irrigare, sigillum etiam ferreum regis imaginem imprimere potest. S. Th. 3. p., q. 64, a. 5, 9 ; q. 82, a, 5.

PROPOSITIO II

121. — *Sacerdotes, ut licite Sacramenta ex officio ministrent, tenentur esse in statu gratiæ sanctificantis.* Certum est.

Constat 1° *Script.* In ministris veterum Sacramentorum, Deus exigebat sanctitatem, munditiam : « *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* » Isa. 52, ℣ 11. — « Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, *sanctificentur, ne percutiat eos;* » Exod. 19, ℣ 22. — « Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus : *incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt;* » Levit. 21, ℣ 6. Quanto igitur major interna sanctitas requiritur in ministris Sacramentorum, quorum vetera fuerunt duntaxat umbræ et figuræ!

2° *Traditione.* « Videant qualem rationem habituri sunt cum Deo, *qui sanctis sancte non utuntur.* Ego dico, et omnes dicimus, quia *justos esse oportet tanti Judicis ministros;* » S. August., *in Psal.* 103, n. 9 ; *in Joan.* Tract. 5. — « Væ ministris infidelibus, *qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia apprehendunt!* » S. Bernard., *de Convers. ad cler.* c. 10. — « Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum peccent, et tale peccatum ex genere suo est mortale. ». S. Th. q. 64, a. 6[1].

« Pastores aliive Sacramentorum ministri, ait Catech. Rom., meminisse semper debent Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis inest, nunquam amittere, at vero *impure ea ministrantibus æternam perniciem et mortem afferre :* sancta enim... sancte et religiose tractanda sunt... Sanctitatem igitur sacrarum rerum ministri in primis sectentur, pure ad Sacramenta ministranda accedant, atque ita se ad pietatem exerceant, ut, *ex eorum frequenti trac-*

1. « Malis non est tangere symbola (Sacramenta), » ait S. Dionysius; et addit : « talis, scilicet peccator, audax videtur, sacerdotalibus manum apponens, et non timet, neque verecundatur, divina præter divinitatem exequens, et Deum putat ignorare, quæ ipse in semetipso cognovit; et decipere existimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum, et audet immundas infamias, non dicam orationes, super divina singula christiformiter enuntiare! » *ad Demophilum*, 8. Jam monuimus, licet moveatur dubium de authenticitate operum S. Dionysii, communiter tamen agnosci eorum doctrinam.

tatione et usu, uberiorem in dies gratiam, adjuvante Deo, *consequantur;* » 2 p., n. 24.

3° *Ration. theol.* 1. Minister se exhibet in illo ministerio tanquam *divinum* et *animatum* instrumentum, ex officio ad hujusmodi munus deputatum : porro ministri debent Domino conformari : « *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum;* « Levi. 19, ℣ 2. Sed etiam, eo quod sit instrumentum animatum, minister, quantum in se est, contaminat Sacramentum, tractando illud tanquam rem profanam, non disjudicans neque discernens pretiosum a vili, neque ministerium sacrum a communi et vulgari, ut in simili dixit S. Paulus, I Cor. 11, ℣ 29.

2. Sacerdotes sunt specialiter consecrati ad hoc munus, et ad illud digne exercendum specialem gratiam recipiunt: ergo, vi talis muneris et consecrationis, oritur eis obligatio digne ac sancte tractandi Sacramenta, saltem quando illa ministrant ex officio.

3. In ministerio Sacramentorum, uti vase immundo est irreverentia propter indecentiam, quæ tanta esse posset, ut fieret mortale peccatum : porro, cum indecentia et immunditia peccati mortalis sit infinite major, et concursus ministri sit propinquior et excellentior, major erit irreverentia eum exhibere in peccato mortali ; ergo hæc irreverentia sacrilegium est ex genere suo grave, atque tanto majus, quanto iniquitas ministri major fuerit et Sacramentum dignius. S. Th. 3 p., q. 64, a. 6.

122. — *Quæritur* 1° an peccet Sacerdos sive laicus indignus, qui, non *ex officio* et *solemniter*, sed ex charitate et *necessitate* Sacramentum confert?

Resp. Alii negant sive pro laico, sive pro Sacerdote, eo quod tunc ministrans non se exhibet tanquam ministrum Ecclesiæ, sed potius necessitatis ; ita S. Thomas, 3 p. q. 64, a. 6, ad 3, Suarez, Billuart, etc. Alii vero affirmant, quia tunc ministrans se exhibet saltem ut ministrum Christi, cujus personam semper repræsentat ; et aliunde sancta sancte tractanda sunt ; ita Collet, Vasquez, Lugo, S. Ligorius, Scavini. Juxta omnes, *per accidens* minister, sive lai-

cus, sive Sacerdos, non peccat, si ministret in mortali Baptismum aut Pœnitentiam, in necessitate : quippe quando non posset tam cito conteri, et periculum esset quod moribundus decederet sine Baptismo aut absolutione.

Unde contrahentes matrimonium in mortali, non solum peccant in suscipiendo illud Sacramentum, sed etiam probabiliter in idem *ministrando*.

125. — **Hinc Sacerdotes ministrantes in amplis nosocomiis, aut in communitatibus, et a fortiori Parochi, aliive Sacerdotes, quibus ex officio incumbit Sacramenta ministrare, tenentur ex hoc speciali titulo, semper esse in statu gratiæ : « Parochus omnisque Sacerdos, ait S. Carolus Borr., cujus est Sacramentum administrare, meminisse debet *omni fere temporis momento, paratum esse oportere ad tam sanctæ administrationis munus*. » Idem rationabiliter dicendum est de obstetricibus, juxta S. Ligor., *de Sacram.*, n. 33, et Scavini.**

126. — *Quæritur* 2° an Sacerdos conferens Sacramenta teneatur *præmittere confessionem, si sit in mortali?*

Resp. In confectione Eucharistiæ, certum est ex C. Trid. præmittendam esse confessionem, ut dicetur in Tract. *de Euchar.*, n. 120. Quoad alia Sacramenta, communiter dicunt sufficere actum contritionis : ita Suarez, Lugo, Layman, Billuart, S. Ligor., Scavini. Etenim 1. juxta Rituale Rom., « si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, *convenit* confiteri ; » ergo confessio est tantum de convenientia, non de necessitate. 2. Non habetur præceptum naturale, neque divinum, neque ecclesiasticum de præmittenda confessione, sicut habetur in suscipienda Eucharistia ; ergo sufficit contritio *prudenter* existimata.

127. — *Quæritur* 3° an peccet mortaliter Sacerdos, aut Diaconus, *ministrans Eucharistiam in mortali?*

Resp. Ratio dubitandi est, quia distribuens Eucharistiam, non conficit Sacramentum, et ideo remote tantum cooperatur ad productionem gratiæ. Unde quidam negant. Sed alii multo plures et probabilius affirmant, inter quos Sua-

rez, Collet, Layman, S. Ligorius, Scavini. Hic enim valent fere omnes rationes supra allatæ circa necessitatem status gratiæ in ministro. Nam 1. Sacerdos, ex consecratione, est minister ordinarius et ex officio; Diaconus vero ex commissione, ad Eucharistiam dispensandam; et ideo gravem irrogant irreverentiam huic Sacramento, dum illud indigne ministrant. 2. Sicut in aliis Sacramentis minister proxime per confectionem concurrit ad sanctificationem suscipientium, ita hic proxime concurrit per dispensationem.

128. — Hinc celebrans in mortali, *quatuor* sacrilegia committit, ait S. Ligorius, quatenus, scilicet, Sacramentum conficit, suscipit, sibi indigno ministrat, aliis confert. An autem ministrans Eucharistiam unum peccatum committat, vel tot peccata, quot sint ii qui successive suscipiunt? Alii affirmant; sed probabilius est pluralitatem communicantium constituere tantum circumstantiam aggravantem; cum verius sit una actio moralis, et unum convivium. S. Ligor., *de Sacram.*, n. 35.

129. — *Quæritur* 4° an peccet mortaliter qui, in mortali existens, *Eucharistiam ex officio tangit immediate*, vel *mediate?*

Resp. Negat Suarez his verbis : « Cum aliæ actiones, præter Sacramenta, non sint ad sanctificationem per gratiam proxime ordinatæ, neque in eis se exhibeat Sacerdos ut minister Dei sanctificantis animam, non est tam gravis causa et ratio exigendi internam animæ sanctitatem ad eas exercendas. » Juxta alios valde probabile est graviter peccare. Distinguit Billuart, dicendo peccare graviter tangentes immediate Eucharistiam in mortali, non vero tangentes mediate; gradus enim irreverentiæ valde diversus est in uno casu, quam in alio.

Ex principio a seipso jam allato, Suarez infert non peccare graviter Diaconum aut Subdiaconum, qui in mortali suum ordinem exercet, nisi ex habitudine in hoc statu et ideo ex aliquo contemptu ministret. Hanc sententiam sequuntur S. Ligorius et Scavini. Contrarium vero tanquam probabi-

lius tenent S. Thomas, Lugo, Billuart, quia actio Diaconi et Subdiaconi est aliquo modo sacramentalis, utpote proxime ordinata ad Sacramentum.

Tandem probabilius est et fere certum, ait Suarez, non peccare graviter qui in mortali exercet ex officio Ordines minores, sed non posse omnino excusari a culpa saltem veniali[1].

ARTICULUS V

De obligatione Sacramenta ministrandi.

Quæri potest an Sacerdotes teneantur ex justitia, vel ex charitate conferre Sacramenta, etiam aliquando indignis, et cum quanta vigilantia. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

130. — *Ex officio ministri ovibus sibi commissis tenentur ex justitia Sacramenta ministrare, per se, vel per alium idoneum.* Certum est.

Namque tales ministri ex proprio tenentur officio animarum salutem procurare : atqui salus animarum per dignam præsertim Sacramentorum administrationem procuratur ; ergo tenentur ex justitia Sacramenta ministrare per se, vel per alium idoneum, cum eo nomine stipendium accipiant

131. — Hinc 1° Parochi aliive ex officio ministri, tenentur Sacramenta ministrare, 1. quotiescunque fideles Sacramenta tenentur suscipere; 2. quando in gravi et extrema necessitate versantur : vocatur autem extrema necessitas, in qua proximus æterna salute privandus est, nisi Sacramentum ad salutem necessarium ipsi conferatur; gravis

1. Peccat venialiter qui in statu mortali, vasa sacra, vestes sacerdotales, cineres, aquam lustralem benedicit, ait S. Ligorius. Probabilius et communius *concionator* in mortali non peccat nisi venialiter ob aliquam tantum irreverentiam; nulla enim est lex graviter obligans, nec doctrinæ scopus impeditur, cum sit crimen occultum : et aliunde prædicatio non est exercitium Ordinis, sed officii Ordini annexi. Sed fere omnes consentiunt concionatorem, si sit peccator publicus, non excusari a mortali, quia doctrinæ finem impedit, facit ut contemnatur prædicatio, ac scandalum præbet. Unde ait Apostolus : *Qui alios doces, te ipsum non doces!* Rom. 2, ℣ 21. Ita Suarez, Layman, Lugo, Scavini.

vero necessitas ea est, in qua proximus sine maxima difficultate sibi succurrere non potest, nec ab alio juvari. Quare Ministri tenentur ovibus suis Sacramenta conferre, quando graviter et periculose decumbunt. 3. Quoties, extra casum necessitatis, fideles in tentationem versantur, et gratia Sacramenti opus habent; vel festum notabile per susceptionem Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ colere, indulgentiam lucrari, aut devotionem statui suo congruentem exercere volunt. Excusabitur tamen a mortali, si semel, aut iterum extra necessitatem Sacramenta deneget Parochus, nisi subditus petat ex urgente occasione, v. g., festi solemnis. S. Ligor., *de Sacram.*, n. 58.

132. — Hinc 2° Ministri cum proprio vitæ periculo tenentur populis suis in extrema necessitate constitutis, Sacramenta ministrare.

Etenim *bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*: atqui hoc maxime fieri debet, cum oves in extrema necessitate versantur. Itaque, furente peste, non licet pastori gregem suum deserere, nisi ministrum idoneum substituat. Ita S. Congr. Conc., 13 apr. 1630; Benedict. XIV, *de Synod.*, lib, 13, c. 19, n. 6.

Parochis aliisque vicariis deficientibus, cæteri ministri, et etiam laicus, si agatur de Baptismo, tenentur ex charitate Sacramenta ministrare, etiam cum periculo vitæ in extrema, vel gravi necessitate alicujus communitatis. In gravi autem privati alicujus necessitate, tenentur tantum cum incommodo levi.

Hæc servanda sunt pro fidelibus recte dispositis; de aliis indignis sit

PROPOSITIO II

133. — *Peccatori sive occulto, sive publico, sed occulte petenti, deneganda sunt Sacramenta.* Certum est.

Notandum. Peccatores alii sunt occulti, alii notorii. Isti autem tales sunt notorietate *juris* aut *facti*: notorii notorietate *juris* ii dicuntur, quorum crimen notum est vel per propriam eorum juridicam confessionem, vel per deposi-

tionem testium, vel per Judicis sententiam; notorii notorietate *facti* ii dicuntur, quorum crimen adeo evidens est, ut nulla tergiversatione celari possit.

Peccatores autem sive occuli, sive notorii, vel *occulte* Sacramenta petunt, vel *publice*. His prænotatis.

Prob. propositio. Etenim, cui commissa est Sacramenti administratio, consequenter et ex natura rei præceptum est, ut illud munus peragat, tanquam fidelis dispensator et prudens : atqui non dare Sacramentum indignis pertinet ad fidelem et sapientem ejus dispensationem, ad cultum ac reverentiam ei debitam; ergo, etc. Quare dicitur : *Nolite dare sanctum canibus;* Matth. 7, ỳ 6.

Et revera, tenetur Sacerdos Eucharistiam in loco decenti collocare, atque adeo, si illam projiceret in terram, graviter peccaret contra suum officium; ergo similiter dando indignis quolibet Sacramentum.

Tandem in casu, de quo agitur, nullum grave incommodum ex ipsa Sacramenti denegatione timendum est, dum in concessione Sacramenti adesset, ex parte ministri, vera cooperatio ad indignam susceptionem.

154. — Quid autem, si pœnitens indignus *occulte petat confessario, qui hanc indignitatem cognoscit per confessionem tantum?* Denegare potest Sacramentum, juxta Vasquez, Suarez, et alios. Concedere debet, juxta Sanchez, Layman, S. Ligor., Scavini et alios; tunc enim sigillum confessionis læderetur, et confessio fieret odiosa. Et hoc verum est, etiamsi confessarius extra confessionem aliunde notitiam habuerit, nisi notitia sit moraliter certa, ait S. Ligor. Vide Tract. *de Pœnit.*, n. 383.

PROPOSITIO III

155. — *Peccatori occulto,* publice *petenti, denegari non debent Sacramenta.* Certum est.

Nam Christus, dum corpus suum Judæ proditori porrexit, praxim determinavit ministrandi Sacramenta peccatoribus occultis, ubi ea publice dispensantur. Rem ita esse testatur totius Ecclesiæ sensus et traditio constans. Ratio

est, quia tunc censetur Christus cedere de jure suo, ne peccator famam deperdat, ad quam adhuc jus habet, ad vitanda gravissima incommoda, quæ alias evenirent, ait S. Ligorius. Si enim Sacerdoti licitum esset, propter crimen occultum, *publice* petenti Sacramenta denegare, pii ac timorati ab eorum susceptione quandoque deterrerentur, ne propter imprudentiam vel malitiam Sacerdotis ejicerentur; sæpe etiam multis Sacramenta denegarentur ob culpam quæ, licet in se levis, imperito vel male affecto Sacerdoti gravior videretur, et hinc jurgia, lites scandala, etc., quibus occurrere voluit Christus propter bonum Ecclesiæ.

Nec dicas Sacerdotem cooperari sacrilegio peccatoris, cui Sacramentum ministrat : in eo enim casu, duntaxat permittit quod, pro officio, permittere tenetur.

PROPOSITIO IV

136. — *Peccatori notorio, notorietate sive juris, sive facti, Sacramenta etiam* publice *petenti denegari debent, exceptis Pœnitentia et nonnunquam Matrimonio.* Certum est.

Dictum est enim : *Nolite dare sanctum canibus :* atqui, per canes, peccatores manifestos intelligi omnes consentiunt cum S. Thoma.

Quod sic edocet S. Chrysost., Sacramentorum dispensatores compellans : « Non parva vobis imminet ultio, *si quemquam illius improbitatis conscium hujus mensæ participem esse concedatis.* Sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis dux militiæ sit, sive præfectus, sive princeps diademate coronatus, *indigne ne accedat, prohibe.* Sed unde, inquies, ego illum atque illum, qualis sit, cognoscere possum? non de ignotis, *sed de notis hæc disputo.* » *Homil.* 83 in Matth.

« Arcendi sunt publice indigni, ait Rituale Rom., quales excommunicati, interdicti, manifestique infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii ejus generis publici peccatores, nisi de eorum pœnitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint. »

Et quidem eatenus licitum foret peccatori hujusmodi Sacramenta ministrare, quatenus jus reale vel apparens haberet ad ea suscipienda : atqui nullum jus, sive reale, etc. Nullum habet jus reale, siquidem, ex hypothesi peccator est, proinde indignus : nullum etiam jus apparens, cum sit peccator publicus, ideoque ejus indignitas palam innotescat.

Dicitur 1. in propositione : *excepta Pœnitentia*, quia Sacramentum illud omnibus peccatoribus, quantumvis scelestissimis, semper patere debet, cum pro iis potissimum institutum sit.

2. *Excepto nonnunquam Matrimonio*, quia hodie toleratur Matrimonium cum parte hæretica.

137. — *Quæritur* 1° quid agendum sit, quando de notorietate criminis omnino non constat?

Resp. 1. Si indignitas petentis *nota quidem sit plerisque ex præsentibus, non* autem *omnibus*, ut probabilius docent Theologi non esse tunc indigno deneganda Sacramenta ; reus enim famam suam adhuc possidet respective ad illos, qui ejus crimen ignorant. Attamen, addit Suarez, si suspicio publica æquivaleret certitudini morali, sufficeret ad denegationem.

2. Si adsit notorietas criminis, et dubium versetur *circa sufficientem pœnitentiam*, denegandum est, donec de pœnitentia constet ; tunc enim infamia possidet ; ita Suarez, Scavini, et alii.

3. Si petentis indignitas *non sit nota in loco, ubi petit* Sacramentum, *sed in alio*, denegandum est juxta plures, eo quod ille utpote indignus jam amiserit jus ad famam ; juxta vero alios et probabilius, concedendum, nisi indignitatis notitia prævideatur etiam eo facile esse perventura. Nam denegando orirentur in populo scandalum, in petente infamia ; et aliunde ille indignus servare videtur jus reputationi in loco, in quo crimen non cognoscitur, nec probabiliter unquam cognoscetur.

4. Tandem, si dubitetur de notorietate præsertim *facti*, postulat prudentia quod non denegetur Sacramentum ; vel

saltem in hoc et similibus casibus consulatur Episcopus, in quantum fieri potest.

138. — *Quæritur* 2° an liceat *simulare* administrationem Sacramenti, ne indigno conferatur?

Resp. Simulatio Sacramenti, juxta communem sententiam, consistit in appositione ficta formæ ad materiam, aut in ficta formæ prolatione.

Duplex est ex parte motivi, *formalis* scilicet, vel *materialis* : prior ea est simulatio, qua Minister directe intendit decipere; posterior vero ea est, qua quis non directe intendit decipere, sed ex alio motivo ad simulandum inducitur, v. g., si gravi metu cogatur, etc.

Jam vero nunquam licet, ne *materialiter* quidem, Sacramentum simulare. Constat ex damnatione sequentis propositionis ab Innoc. XI : *Urgens metus gravis est causa Sacramenti administrationem simulandi.* Sed etiam Innoc III, cap. *de celebratione Missæ*, dicit quod ille, qui fraudulenter præsumpserit *simulare se consecrare*, gravius peccat, quam si celebraret in mortali, quia videtur Deo illudere. Insuper ex decis. S. Pœnitent. 1 mart. 1878, qui fingunt absolvere complicem in peccato turpi, non minus incurrunt excommunicationem, ac qui in hoc casu vere absolvunt; vide Tract. *de Censuris*, n. 49.

Et vero, Minister, per simulationem Sacramenti, Christo illudit, abutendo rebus sacris ab ipso institutis, et sic eum falso operantem inducit : porro in hoc adest injuria et irreverentia gravis in Christum ; ergo, etc.

139. — Hinc 1. peccaret graviter Sacerdos, qui verba consecratoria super panem et vinum pronuntiaret sine intentione consecrandi; aut qui celebraret Missam, non proferendo verba consecrationis, aut verba absolutionis proferret sine animo absolvendi, etiamsi id ageret ad se facilius expediendum a pœnitente indisposito et absolutionem instanter petente, vel etiam gravissimo metu exigente.

Non autem simulat Sacramentum Pœnitentiæ, qui recitat

preces super pœnitentem indispositum, ne adstantes advertant illum sine absolutione dimitti.

140. — Hinc 2. peccaret graviter Sacerdos, qui hostiam non consecratam pro consecrata porrigeret etiam *scienti* et *consentienti*. Tunc enim, licet non simuletur Sacramentum, quod ibi non est, tamen exponitur panis adorationi tum adstantium, tum ipsiusmet etiam scienter recipientis cum reverentia externa; quæ enim reverentia idololatriam externam et materialem, ac proinde quid intrinsece malum, constituit.

Secus vero, si Sacerdos, ex prævio pacto cum adstante ad simulationem communionis, nullam porrigeret hostiam, sed super ipso pronuntiaret verba: *Corpus D. N. Jesu Christi custodiat,* etc. Tunc revera non simularetur Sacramentum, cum desit et materia et forma. Nec etiam peccarent saltem graviter, qui metu gravi coacti, matrimonium inire simularent. Nam, cum desit voluntarius consensus, eo ipso deest materia et forma; ac proinde non est simulatio Sacramenti, sed tantum simulatio contractus. Et in hoc casu, error sufficienter adverti posset ex circumstantiis, et sic deceptio necessaria non adesset. S. Lig., n. 60, 61, 62.

PROPOSITIO V

141. — *In Parochis et eorum Vicariis maxima cura requiritur ad ministranda Sacramenta.* Certum est.

Parochi enim et eorum Vicarii « *pervigilant quasi rationem pro animabus reddituri;* » Hebr. 13, ℣ 17 : porro, inter omnes pastoralis officii functiones, Sacramentorum administratio præcipua est, et maximi ad populorum salutem momenti; n. 15, 23.

142. — Hinc 1° ministri ordinarii Sacramentorum sæpe sæpius *docere* debent fideles circa naturam, effectus, necessitatem Sacramentorum, et dispositiones ad illa recipienda.

« Sacramentorum *disciplina*, ait Catech. Rom., quæ et Dei jussu necessaria et utilitate uberrima est, *Parochi fa-*

cultatem et industriam postulat *singularem*, ut ejus *accurata ac frequenti perceptione* fideles tales evadant, quibus præstantissimæ ac sanctissimæ res digne et salutariter impertiri possint.[1]. »

143. — Hinc 2° omnem studiosam *vigilantiam* adhibere tenentur, ut nemo hac saluberrima receptione diutius careat, sed omnes quam commodius, frequentius et utilius ad Sacramenta accedant.

Scilicet 1. quacunque diei vel noctis hora Parochus vel ejus Vicarius vocetur, nullam interponat moram. 2. Populum monebit ut, cum sacro opus habebit ministerio, ipsum statim advocet; ita S. Carolus Borr. 3. Nulla habita incommodi temporis ratione invigilabit, ne quis ex ovibus suis Sacramenta recipere negligat, aut diutius, quam par sit, differat. 4. Ea de causa, suam identidem parochiam perlustrabit, et subditos ut ad Sacramenta accedant, si opus sit, hortabitur : quibus etiam, si necesse sit, opem suam et auxilium offeret, ut Sacramenta opportune accipiant. 5. Frequenter, et præsertim festis ac dominicis diebus, aderit in ecclesia, ad Sacramenta ministranda proxime paratus; rustici enim et pauperes vix audent a Pastore Sacramenta petere, nisi ipsum jam paratum reperiant.

Unde peccant *graviter* Parochi, qui non tantum sine ratione ministerium suum denegant, sed etiam qui se *morosos ac difficiles sæpe præbent ;* quia tali modo fideles videntur a Sacramentis deterrere, idemque est in praxi ac si Sacramenta ipsis denegarent[2].

1. Tous les Théologiens avouent qu'il est du devoir d'un pasteur d'instruire son peuple sur l'excellence et les effets des Sacrements, et surtout sur les dispositions qu'ils exigent pour les recevoir; si, par sa faute, les fidèles confiés à ses soins vivent dans l'ignorance là-dessus, il peut se rendre coupable de péché grave; car, combien de fidèles qui, faute d'instruction sur les effets des Sacrements et sur les dispositions qu'ils requièrent, les recevront sans fruit et les profaneront! Il doit surtout leur faire sentir la profonde vénération que méritent ces dons célestes et divins, et avec quel empressement nous devons y avoir recours, Dieu les ayant établis, dans les vues de sa miséricorde, comme les moyens les plus efficaces pour opérer l'œuvre de notre sanctification. » Valentin, *Devoir des Prêtres*, c. 1.

2. « Un Prêtre, un pasteur surtout ne saurait se montrer trop exact à se

Quæ omnia in primis servanda sunt *pro viris*, qui profecto nimis negliguntur in nostris regionibus, adeo ut ad Sacramenta accedant solum instante morte, sicque plus minusve miserabiliter totam vitam agant, efficacissimis auxiliis et supernaturalibus medicamentis destituti.

Utinam in re tam gravis momenti quisque suum officium ita adimplere studeat, ut, obeunte die supremo, ab animarum summo Pastore ac judice audire mereatur : *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui!*

Hæc evolventur ubi de unoquoque Sacramentorum, et etiam fusius in Institutionibus canonicis, Tract. 5, n. 251-57, 320, 330.

CAPUT VI

DE SUSCIPIENTE, ET SUSCIPIENTIS DISPOSITIONIBUS

144. — Patet sive Scriptura, sive rationibus jam allatis circa necessitatem et existentiam Sacramentorum, solos homines viatores posse Sacramenta recipere, cum sint pro iis solis a Christo instituta. Attamen observandum est, singulis posse, tum valide, tum licite, si requisitas habeant dispositiones, tria conferri Sacramenta, Baptismus scilicet, Confirmatio et Eucharistia : sed non omnes posse alia quatuor Sacramenta recipere; etenim infantes rationis usum

rendre pour administrer les Sacrements, lorsqu'il est appelé; il court risque de faire bien des fautes sur ce point, s'il est négligent, et *s'il ne s'accoutume point à se faire violence*. Combien de circonstances où ses goûts, ses projets seront contrariés, et où il sera tenté de renvoyer à une autre heure celui qui se présente à contre-temps! Non pas qu'il veuille sacrifier son devoir à son plaisir; mais il se persuadera qu'il peut différer; il demandera *si cela presse*, d'un ton à obtenir une réponse conforme à ses désirs; s'il n'ose refuser, il témoignera de l'impatience et de l'humeur. On ne saurait croire combien ces délais et cette conduite d'un homme, qui ne se prête qu'à regret, sont capables d'éloigner des Sacrements. Un Curé ne peut donc être trop attentif à se rendre exactement aux heures indiquées, ou *lorsqu'il est demandé*; à choisir les moments les plus commodes pour les paroissiens, *se gênant pour eux*, *et tâchant de ne jamais les gêner*, en sorte qu'il les invite par sa complaisance autant que par ses paroles à fréquenter les Sacrements. » Valentin, *Devoirs des Prêtres*, c. 1.

non habentes, capaces non sunt Pœnitentiæ, nec sani Extremæ Unctionis, sicut et feminæ sunt Ordinum incapaces; Religiosi pariter, et in sacris Ordinibus constituti arcentur a Matrimonio.

Itaque inquirendum superest, in duplici articulo, quænam dispositiones ad Sacramenta recipienda sint necessariæ, et an liceat a malis ministris Sacramenta recipere, vel petere.

ARTICULUS PRIMUS

De dispositionibus ad Sacramenta recipienda requisitis.

PROPOSITIO PRIMA

145. — *Ut adultus valide Sacramentum, excepta Eucharistia, suscipiat, necesse est ut aliquam habeat voluntatem illud suscipiendi.*

Prob. 1° *Sum. Pontif. et Doctorum auctoritate.* Innoc. III, cap. *Majores* de Baptismo : *Qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Ita S. Thomas, Scotus, et alii fere omnes. Unde, qui se habet mere passive, neque volens, neque nolens, a fortiori qui reluctatur, non percipit sacramentum. Revera congruum est, ut, sicut adultus non justificatur absque concursu propriæ voluntatis, ita nec sine illo seu humano modo Sacramentum recipiat.

Dixi : *excepta Eucharistia,* quia cum hæc consistat in re permanenti, vere et realiter, quamquam sine fructu, a quovis, scive inscio, sive invito, percipi potest.

Cæterum, etsi, speculative loquendo, non omnino constaret quodlibet Sacramentum fore invalidum, si adulto prorsus invito administraretur, omnino tamen constat id nunquam esse licitum; et si Sacramentum ad suscipientis vel aliorum salutem necessarium, tali modo ministratum fuisset, iterandum foret, saltem sub conditione.

146. — *Quæritur* qualis in *suscipiente* requiratur *intentio* ad validam, vel licitam Sacramenti susceptionem?

Resp. Distinguendum est, scilicet, vel agitur de Baptismo,

de Confirmatione, de Eucharistia et de Extrema Unctione; vel de Pœnitentia, de Matrimonio et de Ordine.

Si prius, non requiritur actualis intentio, nec proprie virtualis vi cujus hic et nunc moveatur ad suscipiendum tale vel tale Sacramentum; sed sufficit late virtualis seu quæ præcesserit, nec sit revocata, sed moraliter perseveret, qualis implicite includitur in vita christiana, vel in proposito vivendi aut moriendi christiane. Hoc ipso enim quod quis vivit aut proponit pie et catholice vivere aut saltem mori, habet implicitam et sufficientem intentionem recipiendi Sacramenta ad salutem valde utilia, et a fortiori quæ sunt necessaria, uti revera sunt illa de quibus agitur. Unde hujusmodi intentio late virtualis sed realis, omnino improprie a pluribus dicitur habitualis aut interpretativa.

Sic, v. g., Baptismus, Confirmatio, Extrema Unctio tribui possunt graviter decumbenti et jam sensibus destituto, modo antea manifestasset propositum christiane moriendi; similiter in articulo mortis perpetuo amenti confertur Eucharistia, si antea signa pœnitentiæ dederit, nec sit irreverentiæ periculum; Tract. *de Euchar.*, n. 110; *de Extrema Unct.*, n. 38.

Si posterius, id est, si agatur de Pœnitentia, de Matrimonio, de Ordine, requiritur intentio actualis aut saltem virtualis stricte sumpta, vi cujus moveatur ad illa præcise Sacramenta suscipienda. Etenim 1, ex dictis in Tract. *de Pœnit.*, n. 81, 82, 85; *de Matrim.*, 54, 55, 57, actus suscipientium sensibiliter expressi et ad hoc ordinati, sunt sacramentorum Pœnitentiæ et Matrimonii materia proxima; ergo non sufficit quod præcesserint, sed necesse est ut adsint illi actus, et ad talem præcise finem. 2. Matrimonium et Ordo non sunt necessaria ad vitam cujusque christianam, atque per se inducunt omnino speciales obligationes; ergo implicite non intenduntur in proposito generali christiane vivendi, sed ad utrumque recipiendum requiritur specialis et directa intentio.

Præterea intentio sive late virtualis, sive actualis, sive stricte virtualis non sufficit, ut sacramentum in omni casu et modo valide suscipiatur; sed tunc solum et eo modo,

quo *christiano more* et *rationabiliter potest* ac *debet* conferri et suscipi, nempe, in periculo mortis, in perpetua amentia, et, extra casum necessitatis, cum advertentia et cognitione. Unde quis, etsi antea habuisset intentionem recipiendi Baptismum, etc., nihilominus illa Sacramenta valide non susciperet in ebrietate, somno, amentia transitoria, ignorantia, etc., nisi forte ejus intentio ad hos casus se extendisset, et tunc valide quidem, sed illicite illa Sacramenta reciperet.

Tandem *fides* in suscipiente non est necessaria ad valorem Sacramenti adulto collati, excepta Pœnitentia, cujus materia est contritio supernaturalis, quæ ut talis fidem præsupponit, n. 58.

PROPOSITIO II

147. — *Ut adultus Sacramenti gratiam consequatur, non sufficit intentio suscipiendi Sacramentum, sed insuper aliæ requiruntur dispositiones.* Certum est.

Etenim 1., ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 272, 273, homo lapsus ad justificationem sese disponere debet per actus fidei, timoris Dei, spei in Deum, amoris divini, odii peccati, et propositum novæ vitæ; ergo hujusmodi dispositiones requiruntur, ut Sacramenta mortuorum digne recipiant adulti.

Sed insuper, ut fructuose recipiantur alia Sacramenta, requiritur status gratiæ, ut dicetur agendo de Sacramentis in specie.

148. — Hinc graviter peccat suscipiens, qui effectui Sacramenti ponit obicem. Certum est.

Quod enim ait S. Paulus de Eucharistia : « Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, *Non dijudicans corpus Domini,* » 1 Cor. 11, ℣ 29, ad omnia Sacramenta applicari potest. Nam, qui indigne illa sumit, non dijudicat inter ea et elementa vacua et egena.

Et vero, Sacramenta sunt instituta, ut sint efficacia gratiæ signa : porro, qui illa recipit, ponendo huic effectui obicem, quantum in se est, inanem et falsam reddit eorum significationem; ergo grave sacrilegium committit.

Sed etiam graviter peccat minister, qui sancta indigne dispositus tractat; multo magis ergo peccat indigne suscipiens, quia propinquius et intimius concurrit ad Sacramentum, cum ipsi quodammodo adhæreat, et in ipso recipiatur.

ARTICULUS II

An liceat ab indignis recipere Sacramenta, vel petere.

149. — *Nota.* 1. Hic de illis duntaxat ministris quæstio instituitur, qui *notorie* in aliquo mortali peccato versantur; de peccatis enim occultis nemo judicare debet, et a temerariis judiciis præsertim erga personas Deo sacras, maxime cavendum est.

2. Ministri notorie indigni duplicis sunt generis : alii non sunt ab Ecclesia tolerati, quales sunt hæretici, nominatim excommunicati, interdicti, suspensi, etc.; alii vero sunt ab Ecclesia tolerati, qui, quamvis in mortali peccato existant, nondum tamen sunt ab Ecclesia præcisi, nec a Sacramentorum ministerio per ecclesiasticam censuram prohibiti. His observatis, sit

PROPOSITIO PRIMA

150. — *Non licet Sacramenta petere, vel recipere a ministris non toleratis, nisi in extrema necessitate.* Certum est.

Qui enim a ministro non tolerato petit aut Sacramenta recipit, illius peccato communicat, quandoquidem minister non toleratus nequit absque mortali peccato Sacramentum administrare.

Dixi : *nisi in extrema necessitate,* id est, mortis articulo; quando enim tunc alius non adest, ordinarie licet a ministro non tolerato petere et recipere Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ; idque omnino certum est, quia permisit Ecclesia. Unde Conc. Trid. sess. 14, de Pœnit. 7, sic ait : « In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut *nulla sit reservatio in articulo mortis*, atque ideo *omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.*

PROPOSITIO II

151. — *Licitum est Sacramenta petere a malis ministris in Ecclesia toleratis, modo desit alius minister, justa sit petendi causa, et nullum sit scandali aut seductionis periculum.*

Quando enim res per se bona est, et ab alio sine peccato, imo et meritorie per se præstari potest, tunc licitum est illam justas ob causas petere, maxime si ad illam jus habeatur. S. Th. 3 p., q. 64, a. 6, ad 1.

152. — *Quæritur* 1° quænam sit causa ob quam juste ac rationabiliter Sacramenta peti possunt a malis ministris toleratis?

Resp. Duplex est causa, necessitas scilicet, et spiritualis utilitas.

1. Si urgeat aliqua necessitas, v. g., si mors immineat, vel si Ecclesiæ præcepto statim sit satisfaciendum : tunc licitum est Sacramenta a ministro malo tolerato petere, sive proprii Pastoris vice fungatur, sive non : et hoc certum est, tum quia in casu necessitatis jus habent fideles Sacramenta petendi a quolibet ministro legitimam habente potestatem, tum quia quilibet Sacerdos ex status sui obligatione tenetur in casu necessitatis Sacramenta ministrare.

2. Licitum est propter spiritualem utilitatem Sacramenta petere et recipere a malis ministris toleratis, quibus ex officio Sacramenta ministrare incumbit, et hoc constat; subditus enim jus habet Sacramenta petendi a proprio Pastore, propter spiritualem profectum, nec jus illud ob Pastoris malitiam amittit. Vide Tract. *de Sacram. Pœnit.*, n. 328; Institut. canonicas, Tract. 2, n. 32.

153. — *Quæritur* 2° an, ob solam spiritualem utilitatem, liceat Sacramenta petere et recipere a malis ministris toleratis, qui ex officio Sacramenta ministrare non tenentur?

Resp. negative. Cum enim nullum tunc in petente aut recipiente adsit jus petendi, cumque Sacerdos ille non possit sine peccato Sacramenta ministrare, illicitum est ea

ab illo petere et recipere neminem enim inducere licet ad peccandum.

CAPUT VII

DE SACRAMENTORUM CÆREMONIIS, AC SACRAMENTALIBUS

In duplici articulo agemus 1° de Cæremoniis, 2° de Sacramentalibus.

ARTICULUS PRIMUS

De Sacramentorum Cæremoniis.

154. — *Quæritur* 1° quid sit *cæremonia?*

Resp. Cæremonia[1], in genere, est signum seu exterior manifestatio affectionum cordis. Sacramentalis autem cæremonia, de qua hic igitur, est *exterior actio religiosa aut circumstantia, vel conditio ejus, in Sacramentorum administratione et sacrificii oblatione, ab Ecclesia observata et instituta.*

Unde hujusmodi actio exterior distinguitur a materia et forma Sacramentorum, in eo quod prior sit ab Ecclesia instituta, nec per se necessaria ad ipsius sacramenti aut sacrificii essentiam constituendam. Propterea dicitur ritus *accidentalis;* dum materia et forma Sacramenti aut sacrificii nuncupatur ritus *substantialis.*

155. — *Quæritur* 2° an Ecclesia potestatem habeat instituendi cæremonias in Sacramentorum administratione?

Resp. affirmative. Etenim 1. S. Paulus, postquam multa dixit circa Eucharistiæ administrationem, addit : *Cætera*

1. « Opus externum ad cultum Dei pertinens, vocatur *cæremonia,* quasi *munia* seu dona *Cæreris,* quæ dicebatur dea frugum, eo quod primo ex frugibus Deo offerebantur; vel, ut Maximus Valerius refert, nomen cæremoniæ introductum est ad significandum cultum divinum apud Latinos, a quodam oppido juxta Romam, quod *Cære* vocabatur, eo quod, Roma capta a Gallis, illic sacra Romanorum oblata sunt et reverendissime habita; » S. Th., 1, q. 99, a. 3. — Alii existimant cæremoniam a *carendo* dictam, eo quod vulgus a cæremoniis tanquam rebus sacris deberet abstinere, eisque carere. Ita Aulu Gellius, *Noct. Attic.,* lib. 4, c. 9; S. August., *Retract.,* lib. 2, c. 37.

autem cum venero, disponam; I Cor. 11, ✝ 34: porro his verbis indicat Apostolus se a Christo accepisse potestatem instituendi, quæ ad convenientem Sacramenti dispensationem pertinent, quod fit præsertim per cæremonias; ergo, etc.

2. A primis seculis Ecclesia hac potestate usa est, ut constat ex usu constanti et universali quarumdam cæremoniarum in Sacramentorum administratione et Sacrificii celebratione. Quod sic contrahit Conc. Trid. sess. 21, c. 2: « Hæc *potestas perpetuo* in Ecclesia *fuit*, ut in Sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. »

3. Revera cæremoniæ multum juvant ad excitandam fidem et devotionem, ad explicanda Sacramentorum mysteria, ad renovandam præcipuorum Dei beneficiorum memoriam, ad Religionis conservationem et catholicorum ab hæreticis distinctionem.

156. — *Quæritur* 3° quænam sit observandarum cæremoniarum *obligatio?*

Resp. Quam obligationem sic declarat Conc. Trid. n. 14: « Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ *ritus*, in *solemni* Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut *contemni*, aut *sine peccato* a Ministris *pro libitu omitti*, aut in *novos* alios per *quemcunque* Ecclesiæ pastorem *mutari* posse: anathema sit. » Prætera, ex decisione S. Cong. Rit., 10 jan. 1852, Rituale Rom. est obligatorium.

Et vero, cæremoniarum observatio multum interest tum ob multiplicem finem earum institutionis, tum ad vitandum scandalum, et devotionis imminutionem, quæ ex illarum omissione aut mutatione orirentur.

157. — *Quæritur* 4° an laudabilis sit Ecclesiæ consuetudo utendi *lingua latina* in Sacramentorum administratione, et Officiorum celebratione?

Resp. affirmative, contra Protestantes. Etenim Scriptura sacra per multa secula exstitit duntaxat hebraice, græce et latine conscripta; atque S. Isidorus, Amalarius, Alcuinus, Rabbanus, aliique eo tempore, qui de divinis scripserunt Officiis in Gallia, Hispania, Germania, Italia, quo latina lingua vulgaris non erat, tamen latinis verbis ritum Sacracramenta ministrandi et celebrandi Officia describunt; ergo, etc.

Et vero, quamvis nihil ad Sacramentorum essentiam, sive ad divinorum Officiorum celebrationem referat, quo ministrentur idiomate, multa tamen sequerentur incommoda, si vulgari lingua celebrarentur. Etenim 1. unitas et Ecclesiarum commercium impediretur; neque si id fieret, in eadem Ecclesia convenire possent Germani, Galli, Hispani, et Itali, vixque posset christianus divinis extra suam regionem mysteriis interesse. 2. Divinorum Officiorum minueretur majestas ob mutationem, quæ in variis fit idiomatibus, v. g., in Gallico. Unde vel continuo mutandæ essent sacramentalium librorum editiones, vel certe res sacræ omnium exponerentur derisioni, si voces adhiberentur extra usum positæ. 3. Maxima inde sequeretur ministrorum ignorantia. Vide de Maistre *du Pape*. lib. 1, c. 20.

ARTICULUS II

De Sacramentalibus.

Tria sunt de Sacramentalibus exponenda, quid sint, quotuplicis generis, quisnam eorum effectus. Unde

158. — *Quæritur* 1° *quid sint* Sacramentalia?

Resp. Sacramentalium nomine quædam a Theologis intelliguntur res aut actiones ab Ecclesia institutæ, et per Ecclesiæ preces spiritaliter sanctificatæ, ac ad quosdam effectus spiritales producendos consecratæ, et præsertim ad producendam venialium peccatorum remissionem, et ad impugnandos dæmones.

Sacramentalia vocantur, quia signa sunt sensibilia et aliaquatenus sacra, quamdam cum Sacramentis habentia similitudinem.

159. — *Quæritur* 2° *quot* sint Sacramentalium genera? *Resp*. Sex communiter numerantur, hoc versu comprehensa :

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

1. Oratio facta in Ecclesia consecrata. 2. Aqua benedicta. 3. Panis benedictus, fructus benedicti, et alia hujusmodi precibus Ecclesiæ benedicta. 4. Confessio generalis quæ fit initio Missæ, atque etiam ad Primam et Completorium. 5. Eleemosyna, quæ magnam habet vim ad speciales gratias, quibus peccata remittuntur, impetrandas, juxta illud Daniel. 4. ℣ 24 : *Peccata tua eleemosynis redime.* Eleemosyna tamen non est ex sola Ecclesiæ institutione. 6. Variæ benedictiones et consecrationes ab Ecclesia institutæ, ut prima Tonsura, Sacerdotum unctio, consecratio Regum, data ab Episcopo benedictio; vel quædam substantiæ sensibiles benedictæ et precibus Ecclesiæ consecratæ, ut sal benedictum, Agni cerei a Sum. Pontificibus benedicti.

160. — *Quæritur* 3° quinam sint Sacramentalium *effectus?*

Resp. 1. Per Sacramentalia non remittuntur peccata mortalia, nec gratia sanctificans immediate producitur, sed mediate tantum et ex opere operantis, quatenus scilicet, virtute orationum et suffragiorum Ecclesiæ, impetrant a Deo gratias actuales ad eliciendos actus contritionis et charitatis, aut ad dignam Sacramentorum susceptionem, quibus peccata remittuntur, et confertur gratia sanctificans.

Sic, v. g., credendum est in templo consecrato, ratione consecrationis, Deum specialius assistere ad exaudiendas fidelium orationes, vel eorum animos ad devotionem excitandos ; et ita de aliis Sacramentalibus. Constat ex ipsis Ecclesiæ orationibus, quæ apud Deum magnam vim habent ad impetrandum; diligit enim eam tanquam sponsam; ita ut, ratione orationis Ecclesiæ, quæ semper alligatur sacramentalibus, hæc aliquatenus participant de efficacia ex opere operato. Aliunde frustra adhiberentur illæ orationes,

nisi haberent effectum saltem per modum *impetrationis*. Attamen hujusmodi effectus non est omnino infallibilis; quia non est fundatus in speciali aliqua Dei promissione, sed tantum in communi lege et efficacia orationis, quæ non semper habet effectum, præsertim cum pro aliis funditur. Proinde omnibus fidelibus consultum fit post sumptionem aquæ benedictæ, etc., se excitare ad actum doloris, sive amoris.

2. Peccatorum venialium remissionem obtinere possunt Sacramentalia, ex S. Thoma, 3 p., q. 87, a. 3, quatenus usurpantur vel cum aliquo motu detestationis peccatorum, qualis est confessio generalis, tunsio pectoris, etc.; vel cum aliqua reverentia in Deum et ad res divinas, tales sunt Benedictio episcopalis, aspersio Aquæ benedictæ, etc.; sed hæc omnia, ut addit S. Th., non causant remissionem peccatorum venialium, nisi in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum vel implicite, vel explicite. Unde, per Sacramentalia, conferuntur per modum impetrationis gratiæ *prævenientes* et pii motus ad detestationem peccati, vel ad actum divinæ dilectionis.

3. Sacramentalibus, v. g., Agnis cereis, Rosariis applicare potest Sum. Pontifex, ex Ecclesiæ thesauro, satisfactionem aliquam, ratione cujus temporalis aliqua pœna remittatur ultra meritum personæ his Sacramentalibus utentis, ut constat ex doctrina Ecclesiæ in materia de Indulgentiis.

4. Alius est Sacramentalium effectus, repellere tempestates, animalia fugare nociva, ipsosque dæmones[1] expellere

1. « J'ai éprouvé diverses fois qu'il n'y a rien, qui chasse plus tôt les démons, que l'eau *bénite*, et les empêche davantage de revenir. Le signe de la croix les met aussi en fuite; mais ils retournent aussitôt. Ainsi il doit y avoir une grande vertu en cette eau, et j'en reçois tant de soulagement, qu'elle me donne une consolation sensible et si grande, que je ne saurais assez bien expliquer de quelle sorte le plaisir que j'en ressens se répand dans toute mon âme et la fortifie. Ceci n'est point une imagination : je l'ai très souvent éprouvé, et après y avoir fait beaucoup de réflexion, il me semble que c'est comme si, dans une excessive chaleur et une extrême soif, on buvait un grand verre d'eau froide, qui rafraîchit tout le corps. Je reconnais par là avec grand plaisir, qu'il n'y a rien de ce que l'Eglise ordonne, qui ne soit digne d'admiration, puisque de simples paroles im-

et coercere, ut constat ex Ecclesiæ precibus, quas hunc in finem videmus usurpari. Observant tamen communiter Theologi istos effectus non semper et infallibiliter produci; cujus rei rationem profert S. Aug., lib. 83, *Quæst.* 79 : « Cum enim, inquit, non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum et utile judicat... vel ad confundendos malos... vel ad monendos bonos ut proficiant in fide. »

Cæterum, hæc efficacia adversus dæmones ex triplici veluti radice oriri videtur : 1. ex virtute impetrationis Ecclesiæ sacramentalia instituentis; 2. ex speciali potestate Ecclesiæ data adversus dæmones, qui huic cedere ex Christi obligantur voluntate; 3. ex ipsa crucis et nominis Christi virtute, sub cujus invocatione conficiuntur et adhibentur sacramentalia.

Hæc de Sacramentis in genere dicta sufficiant. Nunc vero de unoquoque Sacramento in specie agendum est.

priment une telle vertu dans l'eau, qu'il se rencontre une si merveilleuse différence entre celle qui est bénite, et celle qui ne l'est pas. » Sainte Thérèse, *Sa vie écrite par elle-même*, c. 31.

FINIS TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS

DE BAPTISMI SACRAMENTO

CANONES CONC. TRID. *Sess. VII.*

DE BAPTISMO

1. — Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi : anathema sit.

2. — Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, » ad metaphoram aliquam detorserit : A. S.

3. — Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam : A. S.

4. — Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum : A. S.

5. — Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem : A. S.

6. — Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere : A. S.

7. — Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ : A. S.

8. — Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint : A. S.

9. — Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi Baptismo : A. S.

10. — Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti Baptimi vel dimitti vel venialia fieri : A. S.

11. — Si quis dixerit, verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur : A. S.

12. — Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo : A. S.

13. — Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos : aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ : A. S.

14. — Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt : et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant : anathema sit.

OBJECTUM, UTILITAS, ET DIVISIO TRACTATUS

15. — Discussio de Sacramentis in specie exorditur a Baptismo, qui, ratione *necessitatis* pro individuis, primum est Sacramentum. Per Baptismum enim quisque a peccato originali mundatur, supernaturaliter regeneratur atque fit adoptivus Dei filius, aliorum Sacramentorum capax, et corporis Ecclesiæ membrum.

Unde S. Paulus adeo frequenter et gravibus verbis, Spiritu Dei plenis, Baptismi memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris nostri mortem, sepulturam et resurrectionem nobis ante oculos tum ad contemplandum, tum ad imitandum constituit, ut, si quis diligentius Apostolum legerit, sine dubitatione statuet, perfectam Baptismi *cognitionem* a fidelibus *magnopere requiri*. Quare Pastores nunquam se satis multam operam et studium, in hujus Sacramenti tractatione collocasse arbitrentur; nosque catholicum de eodem dogma accurate exponere et evolvere conabimur. Catech. Rom. *de Bapt.*, n. 1.

Inchoatam methodum prosequendo, eadem fere capita de Baptismo et de aliis Sacramentis in specie, disputabimus, quæ de Sacramentis in genere. Scilicet, dicemus de Baptismi 1° notione, existentia et necessitate; 2° materia; 3° forma; 4° effectibus; 5° ministro; 6° subjecto; 7° de patrinis, et cæremoniis[1].

CAPUT PRIMUM

DE BAPTISMI NOTIONE, EXISTENTIA, ET NECESSITATE

ARTICULUS PRIMUS

De notione Baptismi.

16. — *Quæritur* 1° quid sit Baptismus quoad nomen, et quoad rem?

1. Circa Tract. *de Baptismo*, consuli possunt auctores jam indicati pro Tract. *de Sacram. in genere*, n. 16; insuper *Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du sacrement de Baptême*, A.-J. Corblet, 2 vol. in-8°.

Resp. 1. Quoad nomen, Baptismus, a verbo græco βάπτω vel βαπτίζω, mergo, tergo, idem sonat ac *immersio*, *ablutio* (plonger, immerger, submerger, teindre, nettoyer, laver, purifier, tremper, mouiller). In Scriptura sumitur tum in sensu proprio : *Baptizabat* se in fonte *aquæ*, Judith 12, ℣ 7; tum in sensu metaphorico, pro afflictione abundante, qua veluti flumine homo mergitur, Luc 12, ℣ 50; vel pro abundantia gratiæ et gaudii spiritualis, Act. 1, ℣ 5; vel pro figura Baptismi christiani, I Cor. 10, ℣ 2; tum pro lotionibus legalibus et traditionalibus Judæorum, Hebr. 19, ℣ 10, et pro insigni ritu a S. Joanne usurpato, Marc. 1, ℣ 4; tum denique ad primum inter septem Sacramenta novæ legis designandum.

2. Quoad rem, Baptismus definitur : *Sacramentum a Christo institutum, in quo per exteriorem corporis ablutionem ex aqua, sub invocatione SS. Trinitatis, homo spiritualiter regeneratur, atque fit capax aliorum Sacramentorum.*

Dicitur 1 : *Sacramentum a Christo institutum;* quibus exprimitur signum, de quo agitur, et esse sacrum, et ad legem novam pertinere, non autem ad veterem legem.

Dicitur 2 : *in quo, per exteriorem corporis ablutionem ex aqua;* in his significatur tum materia remota seu aqua, tum materia proxima seu ablutio; propterea Baptismus nuncupatur *lavacrum aquæ;* Eph. 5, ℣ 26.

Dicitur 3 : *sub invocatione SS. Trinitatis*, in qua consistit forma huic Sacramento essentialis, ratione cujus vocatur Sacramentum *Trinitatis*.

Dicitur 4 : *homo spiritualiter regeneratur;* quibus verbis denotatur sive subjectum hujusce Sacramenti, id est, omnis et solus homo; sive ejusdem primarius effectus, seu modus quo gratia justificans per Baptismum confertur. Quare vocatur lavacrum regenerationis, renovationis, aut etiam *illuminatio*, Sacramentum *fidei*, ratione scilicet fidei, cujus, per Baptismum, solemnem professionem catechumenus emittit, et in cujus admirabile lumen baptizati, de potestate tenebrarum erepti, transferuntur. I Petr. 2, ℣ 9; Coloss. 1, ℣ 13.

Dicitur 5 : *atque fit capax aliorum Sacramentorum;* in

his indicatur secundarius Baptismi effectus seu character, sine quo homo remanet incapax suscipiendi alia Sacramenta, quæcunque sit ejus dispositionum perfectio. Exinde Baptismus vocatur *signum, signaculum*. Revera hoc nomen, quamvis commune sit cæteris Sacramentis characterem imprimentibus, tamen specialiter convenit Baptismo, quia baptismali charactere designantur membra Christi et Ecclesiæ, ut intrent in ovile ejus, ejusque pascuis frui possint.

17. — *Quæritur* 2° quænam fuerint præcipuæ Baptismi *figuræ?*

Resp. Baptismus adumbratus fuit arca Noe, columna nubis, maris et Jordanis transitu, lotione Naaman Syri in Jordane, lotionibus legalibus Judæorum et præcipue circumcisione atque Joannis baptismo. S. Th. 3 p., q. 66, a. 11, ad 3.

Prædicti vero Sacramenti mysterium manifestatum est potiusquam adumbratum, quando Christo in Jordane baptizato, cœli aperti sunt, et SS. Trinitatis majestas apparuit.

Primis Ecclesiæ seculis Baptismus frequenter figurabatur per piscinam seu vivarium, ubi Christus cum omnibus fidelibus tanquam in elemento suo habitaret: « Nos *pisciculi* secundum ἰχθὺν (piscem mysticum) nostrum Jesum Christum, *in aqua nascimur;* nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus; » Tertull. *de Bapt.*, c. 1; S. August. *de Civit.*, lib. 18, c. 23.

18. — *Quæritur* 3° quotuplex sit Baptismus?

Resp. Triplex distinguitur, nimirum *fluminis*, *flaminis* et *sanguinis*. Primus est Baptismus aquæ jam supra definitus.

Secundus est perfecta cordis contritio, aut quilibet actus charitatis super omnia, qui votum saltem implicitum Baptismi aquæ continet. Talis actus contritionis aut charitatis dicitur *baptismus*, in quantum in adultis supplet vicem Baptismi aquæ, quoad gratiam peccatorum remissivam. Idem actus dicitur baptismus *flaminis* a flamine, ab afflatu seu

virtute Spiritus Sancti, cujus est movere animum ad diligendum Deum et ad concipiendam pœnitentiam de peccatis. Exinde etiam vocatur baptismus *pœnitentiæ*, *desiderii*.

Tertius est martyrium pro Christo toleratum a non baptizato, quod vicem Baptismi aquæ supplet tam in infantibus, quam in adultis, quoad remissionem culpæ et totius pœnæ, ex dicendis, n. 34, 35.

Itaque triplex est quidem Baptismus, sed unum est tantum Baptismi Sacramentum, scilicet *fluminis* seu aquæ, juxta illud : « Unus Dominus, una fides, *unum baptisma* ; » Eph. 4, ℣ 5. « Confiteor *unum* baptisma. »

ARTICULUS II

De existentia Sacramenti Baptismi.

Baptismum esse verum Sacramentum negant hodierni plerique Protestantes ; et ex his, qui illud admittunt, nullam ei efficaciam ex opere operato tribuunt. Contra sit

PROPOSITIO

19. — *Baptismus est verum novæ legis Sacramentum.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Nisi quis *renatus* fuerit *ex aqua* et *Spiritu Sancto*, non potest introire in regnum Dei ; » Joan. 3, ℣ 5. — « Euntes ergo, docete omnes gentes, *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* ;... et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi ; » Matth. 28, ℣ 19, 20. — « Qui crediderit et *baptizatus fuerit, salvus erit* ; » Marc. 16, ℣ 16.

Unde sic : ad Sacramentum novæ legis tria requiruntur et sufficiunt, nempe signum, et quidem gratiæ efficax, a Christo permanenter institutum : porro, in textibus allatis, indicatur 1. *signum* seu ablutio et verborum prolatio : *ex aqua, in nomine Patris*, etc. ; 2. signum *gratiæ efficax* : *renatus* ex aqua et *Spiritu Sancto* ; qui *baptizatus* fuerit, *salvus* erit ; non potest enim homo renasci spiritualiter et salvus esse per Baptismum, nisi hujusmodi ablutio sit gratiæ productiva ; 3. permanenter a Christo institutum : « Ego vobiscum (baptizantibus) sum usque *ad consumma-*

tionem seculi. » Ergo Baptismus est verum novæ legis Sacramentum.

2° *Traditione.* Semper fuit in usu Ecclesiæ quædam sensibilis cæremonia, ex ablutione aquæ, et invocatione Trinitatis coalescens, per quam remittitur originale peccatum, et initiantur fideles ut fiant Ecclesiæ membra. Quam traditionem sic definivit Conc. Trid. : « Si quis dixerit *Baptismum* non esse *vere* et *proprie Sacramentum novæ legis*: anathema sit. » Vide Tract. *de Sacram. in genere*, n. 2, 29.

3° *Ex congruentiis.* Quædam existit similitudo inter vitam spiritualem et vitam corporalem, sicut generatim inter spiritualia et corporalia : porro vita corporalis perficitur per generationem, per quam homo incipit esse et vivere; ergo in spirituali vita homo lapsus regenerari debet, et quidem per aliquod Sacramentum, quod est Baptismus. Vide Tract. *de Sacram. in genere*, n. 34.

2. Congruum est et etiam aliquo modo necessarium, ut homines non fiant Ecclesiæ membra nisi per signum sensibile, quo Ecclesiæ constare possit de illorum spirituali regeneratione. Sic nemo fit societatis civilis membrum et patriæ civis, nisi conficiatur aliqualis titulus externus, quo civis quasi signetur.

20. — *Quæritur* 1° quandonam Baptismi Sacramentum fuerit a Christo institutum.

Resp. Controvertitur. Juxta communiorem sententiam, Christus Baptismum saltem inchoate instituit ac veluti in exemplari delineavit, quando a S. Joanne baptizatus est. Tunc enim aquæ sanctificandi virtutem, Christi contactu, imbiberunt, ut apta Baptismi materia fierent; tunc etiam Baptismi forma designata est, manifestante se SS. Trinitate; proprius tandem ejus effectus declaratus fuit, aperto scilicet cœlo, ac paterna voce testante : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*; Matth. 3, ℣ 17. Quæ autem tunc delineata, Christus post resurrectionem, jam in cœlum ascendens, definitive instituit omnibusque imposuit, dicendo : *Euntes ergo, docete,* etc.

Euthymius, *in Joan.* 3, ait, Christum suis manibus ante

Apostolos sanctissimam Matrem suam baptizasse. Probabile est autem Apostolos fuisse Baptizatos, et quidem antequam Eucharistiam et Ordinem in ultima Cœna receperint. Nullum est enim fundamentum ad asserendum, quod Christus in hoc dispensaverit, præsertim cum per se videatur incongruum Apostolos fuisse prius Episcopos, quam baptizatos. Juxta S. Augustinum, *Epist.* 108, Christus per seipsum baptizavit omnes Apostolos; dum Nicephorus ex Evodio Antiocheno; refert Christum manibus propriis tantummodo Petro Baptismum contulisse; Petrum vero Andreæ ac filiis Zebedæi; hos deinceps reliquis. Vide Suarez, *de Bapt.* disp. 19, sect. 1, 2.

21. — *Quæritur* 2° an Baptismi Sacramentum sit a Baptismo Joannis diversum?

Resp. affirmative. Etenim 1. dicitur : « Ego quidem baptizo vos *in aqua in pœnitentiam;* qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit *in Spiritu Sancto* et *igne;* » Matth. 3, ℣ 11; ergo Joannis Baptismus per se non conferebat Spiritum Sanctum seu gratiam sanctificantem, quæ, veluti ignis, a peccatis purificat.

Et vero, S. Paulus, Act., 19, jubet ut, qui in Joannis Baptismate baptizati fuerant, Baptismo Christi baptizentur: atqui, hoc jubendo, sacrilegus fuisset Apostolus, si Baptismus Joannis idem fuisset cum Baptismo Christi. Unde Conc. Trid. adversus recentiores hæreticos sic habet, n. 1 : « Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse *eamdem vim* cum Baptismo Christi : anathema sit. »

2. Tota doctrina et operatio Joannis præparatoria erat ad Christum, sicut ministri et inferioris artificis est præparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex : atqui gratia conferenda erat hominibus per Christum, juxta illud : « *Gratia* et veritas per Jesum Christum, facta est; » Joan. 1, ℣ 17; ergo Baptismus Joannis gratiam non conferebat, sed solum ad gratiam præparabat tripliciter, scilicet, per doctrinam Joannis inducentem homines ad fidem Christi; assuefaciendo homines ad ritum Baptismi Christi; ad pœnitentiam excitando homines, sicque eos

præparando ad suscipiendum effectum Baptismi Christi; propterea dictus est Baptismus *pœnitentiæ*, Luc. 3, ℣ 3.

Itaque Baptismus Joannis non erat per se Sacramentum, sed quasi quoddam *sacramentale* disponens ad Baptismum Christi: et ideo aliqualiter pertinebat ad legem Christi, non autem ad legem Moysis. S. Th. 3 p., q. 38. a. 1, 2.

ARTICULUS III

De Baptismi necessitate.

In triplici paragrapho dicemus de necessitate Baptismi aquæ seu Sacramenti; et de modis illud supplendi per baptismum flaminis, aut sanguinis.

§ I

De necessitate Sacramenti Baptismi.

22. — Duplex esse potest necessitas, *medii* scilicet et *præcepti;* illud necessarium est necessitate medii, sine quo etiam inculpabiliter omisso, justificatio et salus obtineri nequit; illud autem necessarium est necessitate præcepti, sine quo, inculpabiliter omisso, justificatio obtineri potest, non vero si culpabiliter omittatur.

Duplici hoc modo necessarius esse potest Baptismus, nempe, in re vel in voto 1° quoad adultos, 2° quoad infantes fidelium et infidelium positivorum, 3° quoad infantes infidelium negativorum.

NUMERUS PRIMUS

De Baptismi necessitate quoad adultos.

23. — *Quæritur* quinam circa hoc punctum erraverint?

Resp. Manichæi, Pelegiani, Waldenses, et quicunque originale peccatum atque supernaturalem ordinem rejiciunt, uti, inter hodiernos, Rationalistæ aut Naturalistæ, negant Baptismum ullo modo esse necessarium.

Idem sentiunt Protestantes, atque asserunt Baptismum nonnisi valere ad signum et incitamentum fidei; et ex hac persuasione fit, ut eorum ministri oscitanter illud sacra-

mentum administrent, atque grave dubium ortum sit de valore Baptismi ab illis collati; n. 72, 74.

PROPOSITIO

24. — *Baptismi Sacramentum in re vel in voto necessarium est necessitate medii pro adultis.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « *Nisi quis renatus* fuerit *ex aqua* et Spiritu Sancto, *non potest introire in regnum Dei;* » Joan. 3, ỳ 5. — « Qui crediderit, et *baptizatus* fuerit, *salvus erit;* » Marc. 16, ỳ 16. Unde sic : in illis textibus Sacramentum Baptismi modo generaliori et expresse ponitur tanquam conditio, sine qua salus obtineri nequit ; porro necessitas medii non aliter unquam exprimitur ; ergo, etc.

2° *Traditione.* Antiqua Concilia contra Pelagianos illam Baptismi necessitatem vindicarunt. Eamdem tradit Conc. Flor., quod propter hanc causam vocat Baptismum *januam spiritualis vitæ.* Tandem Conc. Trid. declarat, « *post Evangelii promulgationem*, justificationem *sine lavacro* regenerationis aut *ejus voto* obtineri non posse, » sess. 6, c. 4; atque ideo definit *Baptismum esse ad salutem necessarium*, n. 5.

3° *Ration. theol.* Omnes homines nascuntur in peccato originali et filii iræ, ac proinde indigent medio, quo ab illo peccato liberentur : porro, ex dictis n. 19, hujusmodi medium in nova lege est Baptismi Sacramentum ; ergo adultis necessarium est hoc Sacramentum in re aut saltem in voto.

25. — Hinc 1° nullus adultus justificationem et salutem consequi potest, sine Baptismo *in re* suscepto, nisi eliciat actum contritionis aut charitatis perfectæ, vel pro Christo martyrium patiatur. In hoc sensu Baptismus *in re* necessarius est necessitate *medii.* Ex dicendis enim, n. 36, 40, Baptismus flaminis aut sanguinis supplere possunt vicem Sacramenti Baptismi quoad justificationem.

26. — Hinc 2° pro omnibus adultis stat præceptum recipiendi Sacramentum Baptismi ; ac proinde hoc Sacramentum *in re* necessarium est necessitate *præcepti.*

Etenim 1. Christus omnibus præcepit, ut baptizentur, ex modo dictis, n. 24; 2. exstat præceptum ingrediendi non solum animam, sed et corpus Ecclesiæ, ex statutis in Tract. *de Eccl.*, n. 148, 149, et etiam recipiendi alia Sacramenta tempore opportuno, ex dicendis in proprio loco : atqui nullus fit membrum corporis Ecclesiæ, nec aliorum sacramentorum capax, nisi per Baptismum in re susceptum, ex dicendis, n. 53; ergo pro omnibus adultis stat præceptum recipiendi Sacramentum Baptismi.

27. — Hinc 3° nullus adultus, etiam contritus, justificationem et salutem consequi potest sine *voto* illius Sacramenti, quando in re non suscipitur.

Nemo enim Deo placere et coram Deo justus esse potest, quin habeat voluntatem omnia Dei gravia præcepta adimplendi : atqui adest præceptum grave recipiendi Baptismum; ergo, ad justificationem et salutem, si non recipitur Baptismus *in re*, omnino requiritur votum seu voluntas saltem implicita et virtualis illud Sacramentum recipiendi. In hoc sensu Sacramentum Baptismi *in voto* necessarium est necessitate *medii*.

28. — *Quæritur* quid sit peccatum remitti per Sacramentum Baptismi *in voto?*

Resp. Peccatum remittitur per Baptismum in voto, eo sensu quod, ex voluntate Christi, requiratur voluntas saltem implicitæ recipiendi illud Sacramentum, ut per actum contritionis perfectæ aut charitatis removeatur peccatum, ac infundatur gratia sanctificans; ac proinde talis remissio peccati ac infusio gratiæ fit in ordine ad illud recipiendum Sacramentum.

Insuper, per Baptismum infunditur gratia, per se loquendo, ex institutione Christi necessaria ad peccati remissionem; ergo prior justificatio per charitatem aut contritionem est ex se minus perfecta, atque ordinata ad gratiam Baptismi tanquam ad suum complementum; S. Th. *Cont. Gent.*, lib. 4, c. 72. Propterea Baptismus veluti forma contritionem aut charitatem et ejus effectum perficiens dicitur.

NUMERUS II

De Baptismi necessitate quoad infantes fidelium et infidelium positivorum.

29. — *Quæritur* an pro hujusmodi infantibus Baptismus *in re* sit omnino necesarius?

Resp. Fideles sunt illi, qui non solum audierunt verbum Dei, sed et ei assentiunt ; infideles vero *positivi* sunt, qui sufficienter audierunt verbum Dei, et nihilominus non credunt ; et ideo pro his et illis sufficienter promulgatum est Evangelium.

Jam vero, de Baptismi necessitate pro parvulis etiam illorum, quibus promulgata est lex nova, Catholici aliqui a communi sensu Theologorum et Ecclesiæ recesserunt. Scilicet, parvuli, de quibus agitur, si eis applicari nequeat Baptismi Sacramentum, vel *interdum*, ex misericordia Dei et speciali dispensatione, nihilominus salvantur, uti sentiunt Gabriel, Gersonius ; vel, non solum interdum et ex speciali privilegio, sed *semper* ac *certa lege* valet hactenus remedium originalis peccati applicatum ante adventum Christi, quoties parvuli baptizari non possunt ; ita ut illi parvuli *extrasacramentaliter* justificari possint atque salvari illis conferendi Baptismi desiderio, quod parentes concipiant, quodque, si fieri id possit, exteriori aliquo signo manifestent. Verba enim Christi : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., dicta sunt sub conditione, si Baptismus fuerit possibilis. Aliunde, hoc providentiæ genus videtur suavius, et sapientiæ, ac charitati Christi magis consentaneum ; nec ullum sequitur incommodum. Ita Cajatanus, Eusebius Amort, Ludovicus Bianchi. Vide Suarez, *de Bapt.*, q. 69, disp, 27, a. 7, sect. 3 ; Vasquez, in 3 p., disput. 151, c. 1 et seq.; P. Perrone, *de Bapt.*, c. 5, n. 156.

PROPOSITIO

30. — *Baptismus, in re, nisi suppleat martyrium, omnino necessarius est ad salutem pro parvulis sive fidelium, sive infidelium positivorum.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Verba enim, *Nisi quis renatus fuerit*, etc., per se sunt absoluta, atque respiciunt omnes prorsus tam præsentes quam futuros homines cujuscunque sexus, conditionis et ætatis; nec ulla opponi potest conditio, quin eo ipso lex a Christo tota corrumpatur; ergo Baptismus in re necessarius est pro infantibus saltem fidelium et infidelium positivorum.

2° *Traditione.* SS. Patres unanimi consensu docent assertam thesim. « Utique *nullum excipit* Christus, *non infantem, non aliqua præventum necessitate*, quia *nemo* ascendit in regnum cœlorum, *nisi per sacramentum Baptismatis;* » S. Amb., *de Abraham*, lib. 2, c. 11, 79, 84. — « Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur *etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt*, hic profecto et *contra apostolicam prædicationem venit*, *et totam condemnat Ecclesiam*, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, *aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.* » S. August., *Epist.* 166, *ad Hieron.*, c. 7., n. 21; *de Peccator. meritis*, lib. 1, c. 25. — « Antiquitus salvabantur parvuli in fide parentum, et *non modo; ad gratiam non potest parvulus disponi nisi per sacramentum;* ideo moritur sine gratia, et moritur in culpa, et ideo damnatur. » S. Bonavent., lib. 4, dist. 4, p. 2, dubium 4. Eodem modo loquuntur reliqui omnes Ecclesiæ Patres, sive græci, sive latini.

Insuper Pelagiani damnati sunt eo quod, inter alia, assererent parvulos sine Baptismo decedentes, introire, non quidem in cœlum, sed in paradisum.

Similiter, Conc. Trid., n. 23, declarat, « *post Evangelii promulgationem*, justificationem non fieri *sine lavacro regenerationis*, aut *ejus voto* : atqui, ex una parte, Evangelium promulgatum est pro parentibus infantium de quibus agitur; et, ex altera, votum Baptismi esse nequit in infantibus; ergo, sine lavacro regenerationis *in re*, justificatio non fit in parvulis illorum parentum.

Denique sententia Cajetani a congregatione Theologorum in Conc. Trid. improbata est ac censura digna dijudicata; vide Card. Pallav. lib. 9., c. 8, n. 3 et seq. Eadem jussu

cum sub lege naturæ aut veteri sufficeret quodlibet fidei signum externum, ex dictis in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 26.

Resp. Nego minor. Etenim 1. materia Baptismi tam communis est, et tam facilis applicatio formæ, ut moraliter non sit difficilior illius Sacramenti collatio, quam si sufficeret quælibet ceremonia. 2. Quin etiam ritus Baptismi facilius adhuc applicari potest propter majorem fidei cognitionem, certiorem illius sacramenti institutionem et significationem, et de æterna salute infantium sollicitudinem. Revera, ut historia constat, paucissimi ante adventum Christi veram fidem conservaverunt, ideoque paucissimis infantibus prodesse potuit fides parentum; dum e contra, sub nova lege, cum Evangelium ubique terrarum promulgatum fuerit, certe longe pluribus infantibus subventum est, et subvenitur per lavacrum regenerationis.

NUMERUS III

De Baptismi necessitate pro infantibus infidelium negativorum.

34. — *Quæritur* an pro hujusmodi infantibus Baptismus *in re* sit omnino necessarius?

Resp. Controvertitur inter doctores catholicos. Scilicet, infideles negativi sunt illi, qui nihil de Evangelio audierunt. Porro

1° Juxta plures, pro hujusmodi infidelibus eorumque infantibus hactenus deficit Evangelii promulgatio, et ideo in eodem statu et conditione versantur, ac ante adventum Christi, ita ut pro illis parvulis sufficiat peccati originalis remedium ante adventum Christi apud gentes usitatum, de quo diximus in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 26, 61, 102.

Etenim 1. verba Scripturæ, *Nisi quis renatus fuerit*, etc., sunt absoluta quidem pro iis quibus sufficienter promulgata sunt; non autem pro eis, quibus hactenus defecit illa promulgatio, infidelibus scilicet negativis; cum juxta omnes, nulla est lex insufficienter vel nullatenus promulgata.

2. In hoc consentire videntur SS. Patres et Doctores haud parvi nominis. Siquidem Origenes, S. August., Rufinus, S. Bernard., Hugo de sancto Vict., S. Bonavent., asserunt

suo tempore promulgatum non esse Evangelium in toto mundo; et ideo idem verum est etiam nostro tempore de infidelibus negativis. Vide apud Suarez, *de Legibus*, lib, 10. c. 4, n. 23.

Quædam tantum testimonia proferre sufficiat. « Ex eo tempore tantum *cuique* cœpit antiqua observatio non valere, et non baptizatus quisque novi præcepti (a Christo dati) reus existere, ex quo præceptum ipsum *inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam.* » S. Bernard., Tract. *de Bapt.*, c. 2, n. 6; *de Considerat.* lib. 3. — « Legalia quantum ad observantiam, non cessarunt ante legis novæ promulgationem; *nec etiam quantum ad efficaciam universaliter,* quia creditur, sicut dicit Bernardus, quod habuerunt *efficaciam in his qui distabant, et præceptis adhuc restringi non poterant.* » S. Bonavent., lib. 4, dist. 3, p. 2, a. 3, q. 2, in fine. — S. Thomas, lib. 4, dist., q. 1, a. 5, quæstiunc. c. 5, dicit « *Baptismum* fuisse obligatorium post passionem quantum ad omnes, *ad quos potuit institutio pervenire.* » Porro in illis textibus exigitur promulgatio legis relativa non solum ad gentes, sed etiam ad individua; ergo nec infideles negativi, nec eorum infantes hactenus astringuntur lege Baptismi.

3. Lex de Baptismi necessitate non obligat nisi post ejus sufficientem promulgationem; et hæc promulgatio, ut sit sufficiens, debet esse relativa non solum ad diversas gentes, verum etiam *individua,* ut patet, cum lex evangelica non solum gentes, sed et individua singula obliget et obstringat; hinc, si aliquis inculpabiliter illam ignoret, *ea minime obligatur* : porro infideles negativi sunt illi, qui nihil de Evangelio audierunt, et pro quibus ideo hactenus deficit Evangelii promulgatio quoad individua; ergo illi infideles, ante hujusmodi promulgationem, versantur in eodem statu et conditione, ac versabantur universæ gentes ante Christi adventum circa media salutis, sive respectu *adultorum,* sive respectu *infantium.* Ita P. Perrone, *de Bapt.*. c. 5.

Nec dicatur hic quæstionem esse de lege *irritante,* quæ effectum suum sortitur etiam in iis, qui illam invincibiliter ignorant. Hoc quidem verum est de lege humana irri-

tante, quæ alioquin inefficax evaderet etiam pro eis qui illam cognoscerent, cum omnes semper prætendere possent legis ignorantiam. At lex divina, ob sanctionem spiritualem, qua apud Deum nititur, plane efficax ex se remanet pro iis, qui illam cognoscunt, etiamsi non sit de facto irritans pro illis, qui eam ignorant; ergo nec natura legis, nec bonum commune postulant, ut lex divina irritans effectum suum sortiatur pro individuis eam invincibiliter ignorantibus.

2° Alii vero sentiunt *pro infantibus infidelium etiam negativorum Baptismum in re esse omnino necessarium.*

Etenim aliud est promulgatio legis, aliud hujus promulgationis notitia ab unoquoque subdito. Siquidem promulgatio publica cum sufficienti tempore ad integram legis divulgationem, requiritur et sufficit ut lex de se obliget subditos; illius autem promulgationis ignorantia in singulis subditis, non impedit quin obligatio producatur, sed subditos hac ignorantia laborantes a culpa excusat: porro lex de necessitate Baptismi et de irritatione alterius remedii fuit sufficienter promulgata ad integram divulgationem: ergo existit necessitas Baptismi et irritatio alterius remedii etiam pro illis, qui talem legem hactenus ignorant. Ita Suarez, *de Legibus*, lib. 10, c. 4, n. 24.

Eodem modo sentiunt communiter Patres et Theologi, qui manifeste supponunt legem evangelicam jam ubique esse promulgatam, nec requiri, pro lege *irritante* de Baptismo, promulgationem relativam ad individua, sed sufficere promulgationem ad gentes, ut infertur ex textibus et ratiociniis allatis n. 30.

Cæterum hæc difficultas, si theorice spectetur, magni ponderis esse videtur; si vero pratice, fere nullius momenti esse deprehenditur, ut ait P. Perrone, *ibid.*, n. 152. Paucissimi enim sunt apud infideles negativos, qui fidem supernaturalem in Deum remuneratorem servaverint, et multo minus qui de peccato originali et de qualicunque ejus remedio aliquid cogitent, ut constat ex missionariis, qui primi ad illorum oras appulerunt.

Insuper, hic agitur tantum de infantibus in lucem editis:

de cæteris vero, nemo est qui tradat ipsis prodesse vel unquam profuisse fidem parentum, ut dictum est, n. 30.

35. — *Quæritur* quonam jure Baptismus conferatur parvulis, antequam ad rationis usum pervenerint, ipsique religionis actum elicere possint?

Resp. Sunt equidem Rationalistæ et Athæi non pauci, qui, post J. J. Rousseau, autumant neminem alicui societati religiosæ consociandum esse aut cuilibet cultui consecrandum, ante rationis usum, ut, pro arbitrio quisque de re religiosa pronuntiet, cultumque sibi magis arridentem anteponat, vel etiam atheismum, si placet, profiteatur. Contrarium vero constat jure naturali, positivo divino et ecclesiastico.

1° *Jure naturali.* Deus enim, utpote omnium creator, supremo pollet dominio in omnem hominem venientem in hunc mundum, omnisque homo a nativitate ad cultum erga Deum tanquam finem ultimum retribuendum destinatur : atqui Deus non colitur cultu qualicunque, uti pagano, judæo, mahumetano, protestanti, alioquin mendacio æque ac veritate delectaretur, sed in veritate ac sanctitate exclusive adoratur; ergo quisque homo, a nativitate et ante rationis exercitium, ad veram religionem ex jure naturali exclusive pertinet, talique religioni a nativitate voveri ac consecrari debet.

2° *Jure positivo divino,* Namque Deus, ex supremo suo dominio, religionem revelatam generi hominum servandam imposuit, atque universalem et perpetuam seu catholicam Ecclesiam instituit cum suprema potestate ac perenni officio omnes docendi illam revelationem, omnesque homines ad ejus professionem vocandi per Baptismum, sub pœna æternæ damnationis; hæc probata manent in Tract. *de Revel.*, n. 67, 68 et seqq., *de Eccl.*, n. 35-70, 121-149, et supra, n. 24-34; ergo jure positivo divino Ecclesiæ catholicæ competit suprema auctoritas eique perenne incumbit officium omnes homines docendi religionem revelatam, eosque baptizandi; ac proinde omnes homines a nativitate ad Baptismum destinantur, Deoque per Baptismum a nativitate voveri debent ac consecrari. Contrarium expresse damnatur a Conc. Trid., n. 13, 14.

Unde nullo prævio parentum, sive fidelium, sive infidelium, consensu ad hoc indiget Ecclesia catholica. Ad Deum enim in primis pertinent parvuli, cum Deus sit eorum primarius auctor et finis ultimus : atqui Deus, absque ulla restrictione, omnes homines, sive adultos sive parvulos, commisit Ecclesiæ catholicæ docendos et baptizandos; ergo nullus prærequiritur parentum consensus ad licite, ex jure divino, baptizandos parvulos. Attamen, per accidens seu ob perversionis periculum, ex prudente regimine et ex jure ecclesiastico, requiritur ille consensus, in certis casibus, ut infra, n. 74.

3. *Ex jure ecclesiastico.* Nam, ex consuetudine, quæ vim legis obtinet, tenentur omnes illi, ad quos infantium cura pertinet, ipsis *quamprimum* procurare Baptismum, n. 71; atque ideo nullus hominum tali obligationi ex jure naturali saltem et divino se substrahere potest, et etiam ex jure ecclesiastico, si ipse sit jam baptizatus.

§ II

De Contritione aut Charitate perfecta, quatenus supplet Baptismi Sacramentum.

Natura contritionis et charitatis perfectæ expenditur in Tract. *de Pœnit.*, n. 137, 138. Hic igitur solum hujusmodi actus effectum respectu originalis peccati statuendum habemus.

PROPOSITIO

36. — ***Contritio aut charitas perfecta cum voto saltem implicito Baptismi, sufficit, ut adultus non baptizatus justificetur.*** Certum est.

Etenim, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 284, 285, justificatio semper consequitur contritionem aut charitatem perfectam : porro, ex ibidem dictis, talis contritionis aut charitatis actus elici potest antequam adultus in re baptizetur; ergo contritio aut charitas perfecta sufficit ad consequendam gratiam peccati originalis remissivam.

Et vero, ex Conc. Trid., post Evangelii promulgationem, homo justificari nequit sine lavacro regenerationis aut ejus

voto : atqui votum Baptismi, sicut et votum adimplendi quodlibet grave præceptum, essentialiter et implicite saltem continetur in actu contritionis aut charitatis perfectæ super omnia, n. 25, 26 ; ergo, etc.

37. — Hinc Baptismus *flaminis* supplet Baptismi Sacramentum, ex opere operantis tantum, et quoad gratiam peccati remissivam, non vero semper quoad remissionem totius pœnæ peccato actuali debitæ; nec unquam quoad Baptismi characterem; ac proinde, qui per contritionem aut charitatem jam justificatus est, tenetur quamprimum Baptismi Sacramentum recipere, ut fiat corporis Ecclesiæ membrum, aliorumque Sacramentorum capax, n. 25, 26, 65.

§ III

De Martyrio, quatenus vices Baptismi supplet.

38. — *Quæritur* quid sit martyrium, quænam ejus conditiones et effectus?

Resp. Martyrium, de quo hic agitur, est *perpassio mortis vel cruciatus de se mortiferi pro Christi fide, aut virtute christiana tolerata :* duas igitur requirit conditiones, et pœnam et causam. Duobus modis considerari potest martyrium, nempe, quatenus est *actus* voluntarius alicujus virtutis. fortitudinis nimirum, vel charitatis ; aut quatenus est simpliciter *pœna* in odium fidei inflicta. Priori respectu dici potest opus operantis; posteriori vero, opus operatum. Soli adulti capaces sunt martyrii, quatenus est opus operantis; infantes vero, quatenus est opus operatum. Tract. *de Virtut. Card.*, n. 18.

Jam vero quæri potest an martyrium in infantibus et in adultis suppleat vices Baptismi, et quidem ex opere operato, et quasnam in adultis præsupponat dispositiones.

PROPOSITIO PRIMA

39. — *Martyrium vices Baptismi supplet in infantibus.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Ad eos enim extenditur generalis ista

Christi sententia : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* Matth. 10, ℣ 39.

2° *Traditione.* Ecclesia universa infantes ab Herode in odium Christi crudeliter occisos, tanquam veros Martyres semper agnovit et coluit. *Deus,* inquit in oratione festivitatis SS. Innocentium, *cujus præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.*

Communis hæc est SS. Patrum sententia. « Quicumque, ait S. Augustinus, etiam *non percepto regenerationis lavacro,* pro Christi confessione moriuntur, *tantum eis valet ad dimittenda peccata,* quantum si *abluerentur sacro fonte Baptismatis.* Qui enim dixit : *Si quis non renatus fuerit ex aqua,* etc... alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit : *Qui me confessus fuerit,* etc. ; et alio loco : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam : de Civit.,* lib. 13, c. 7. « Necari omnes Bethleem parvulos jubet, inquit S. Leo... Sed quos Rex impius eximit mundo, Christus inserit in cœlo; et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem. » *De Epiph.*, c. 3.

3° *Ration. theol.* Baptismus aquæ vim habet delendi peccata, quia est in similitudinem mortis Christi, Rom. 6, ℣ 3, 4, 5 : atqui infantes in odium Christi occisi, verius Christo mortuo similes fiunt, ac per Baptismum aquæ; ergo in infantibus martyrium vices Baptismi supplet.

PROPOSITIO II

40. — *Martyrium in adultis vices Baptismi supplet.* Certum est.

Constat 1° *Script. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est;* Matth. 10, ℣ 32. — *Qui perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam;* Marc. 8, ℣ 35. Quibus verbis lex generalis exprimitur, a qua nullus excipitur, nequidem ipsi non baptizati, ut recte observat S. August. jam citatus.

2° *Traditione.* Ecclesia pro Martyribus etiam non baptizatis nec preces, nec sacrificia offert Deo, quibus eos non

indigere intelligit; sed suas eis coronas ac triumphos duntaxat gratulatur, eorumque apud Deum opem et gratiam implorat : *Injuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre,* inquit Innocentius III. — « Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos (Martyres) commemoramus, ait S. August., quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus. » *In Joan.*, Tract. 84. « Si quis non baptizatur, salutem non habet, *præter solos Martyres*, qui vel sine aqua regno cœlesti potiuntur. » ait S. Cyrillus Hieros.

3° *Ratione Theol.* Baptismus aquæ vim habet delendi peccata, quia est in similitudinem mortis Christi ; Rom. 5, ℣ 3, 4 : porro Martyres non per figuram, sed per veritatem, mortem pro Christo sustinent; ergo Baptismus sanguinis eamdem vim habet.

41. — Hinc martyrium vices Baptismi supplet quoad gratiam peccati remissivam, et etiam quoad remissionem totius pœnæ peccato actuali debitæ; non autem quoad Baptismi characterem; et ideo martyr superstes martyrio tenetur recipere Baptismi sacramentum, n. 23, 65.

PROPOSITIO III

42. — *Martyrium ex opere operato efficax est in infantibus et in adultis.* Certum est pro infantibus, et saltem probabilius pro adultis.

Etenim, ex citatis modo testimoniis, martyrium Baptismo aquæ comparatur, imo et illo excellentius esse dicitur ; sicut ergo Baptismus aquæ effectum producit ex opere operato, ita et Baptismus sanguinis. Quæ sententia videtur esse tum S. Augustini, dicentis, *tantum valere martyrium ad dimittenda peccata, quantum si ablueremur sacro fonte Baptismatis ;* tum S. Thomæ, qui sic loquitur : « Sicut *in pueris baptizatis*, per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita et *in occisis propter Christum*, meritum *martyrii* Christi operatur ad palmam martyrii consequendam. » 2.2, q. 12. a. 1,

Revera 1. in infantibus, propriæ dispositionis incapacibus, non alia ratione agere potest martyrium, quam vi propria seu ex opere operato.

2. Si in adultis tota martyrii vis et efficacia esset a charitate, inutilis foret divisio in Baptismum flaminis et sanguinis; tota siquidem Baptismi flaminis vis est a Spiritu Sancto, per charitatem diffusam in cordibus; at non alia foret efficacia martyrii, si ageret tantum ex opere operantis, seu ex charitate, ex cujus motivo elicitur.

3. Potest esse intensior charitas in Confessoribus, quam in aliquibus Martyribus; et tamen illi martyrii palmam non reportant, nec inter Martyres computantur et honorantur.

PROPOSITIO IV

43. — *In adultis præviæ aliquæ dispositiones requiruntur, ut martyrii plenum consequantur effectum.* Certum est.

Dicitur enim : *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest;* I Cor. 13, ℣ 3; ergo requiritur prævia charitas saltem inchoata et initialis.

« Effusio sanguinis, ait S. Th., non habet rationem Baptismi, *si sit sine charitate;* » 3 p., q. 66, a. 2. Unde Conc. Trid. docet contritionem quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum. Sess. 14, c. 4.

Et vero 1. mors pro Christo inflicta et tolerata in schismatico et hæretico, peccatum hæresis aut schismatis prius non remittit, quam homo Ecclesiæ Catholicæ fuerit aggregatus; ergo pariter in Catholico peccatore non remittit martyrium peccata sine aversione voluntatis a malo.

2. Martyrium verus est baptismus, et quidem aquæ Baptismo præstantior; ergo tam saltem requirit in adultis prævias dispositiones, quam Baptismi Sacramentum.

3. Tandem, ut valeat in adultis martyrium, debet esse voluntaria et supernaturalis Christi confessio; est enim actus fortitudinis et charitatis, et quidem inter cæteros actus humanos perfectior secundum genus suum, quasi maximæ charitatis signum, ut ait S. Th. 2. 2, q. 124, a. 3, juxta illud : *Majorem* hac dilectionem *nemo habet, ut ani-*

mam suam ponat quis pro amicis suis. Joan, 15, ✝ 13. Atqui non potest illa confessio esse voluntaria et supernaturalis, sine virtuali saltem peccatorum detestatione.

Propterea, instante et sæviente persecutione, Ecclesia semper curavit martyres nondum baptizatos baptizari, aut nondum per pœnitentiam reconciliatos reconciliari, ac Eucharistiæ participatione muniri, ut his præsidiis confirmati et roborati, paratiores essent et alacriores ad supplicia pro Christo constanti animo toleranda.

44. — *Quæritur* utrum sufficiat charitas inchoata et initialis, vel an requiratur charitas perfecta?

Resp. Controvertitur. Alii dicunt attritionem satis esse sicut ad Baptismum aquæ, alioquin martyrii vis et efficacia præcipua esset a charitate, ut jam dictum est, n. **42**; ita Suarez, Bellarm., Cajetanus, Tournely. Probabile est autem, juxta S. Ligor., requiri contritionem, vel charitatem Dei super omnia; et hoc innuere videtur S. Thomas, dicens, « effusionem sanguinis non habere rationem Baptismi, si sit *sine charitate*. » Cæterum, S. Ligorius cum aliis fatetur martyrium ex se non importare semper charitatem perfectam; quis enim potest velle potius mori, quam peccatum novum committere, propter metum inferni. *De Baptism.*, n. 88.

CAPUT II

DE BAPTISMI MATERIA

PROPOSITIO PRIMA

45. — *Baptismi materia necessaria et sufficiens est aqua vera et naturalis*. De fide est.

Prob. 1° *Script*. Ex verbis Christi, Joan. 3, ✝ 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc.; et ex verbis Apostoli, Ephes., 5, ✝ 26 : *Mundans lavacro aquæ;* quæ verba litteraliter esse sumenda patet ex modo, quo Apostoli eorumque Discipuli baptizaverunt, ut narratur in Actibus Apostolorum, 8, ✝ 36, et c. 10, ✝ 47.

2° *Traditione*. Conc. Trid. rem sic definivit : « Si quis dixerit, *aquam veram et naturalem* non esse *de necessitate* Baptismi ; atque ideo verba illa D. N. Jesu Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, ad metaphoram aliquam detorserit : anathema sit, n. 2 » ; Semper enim Ecclesia aquam naturalem inter baptizandum adhibuit.

3° *Ex congruentiis*. Cum Baptismus sit omnibus necessarius, ejus materia debuit esse communissima, ut facile haberi posset : porro talis est aqua naturalis ; ergo maxime conveniens est Baptismi materia.

Sed etiam aqua naturalis præ cæteris sordes corporis abluit ; ergo aptissima est ad repræsentandam peccatorum ablutionem, quæ fit per Baptismi Sacramentum.

46. — Hinc materia *valida* est omnis aqua elementaris, sive maris, sive fluminum, sive fontium, sive paludum, sive puteorum, quia ea tantum vera est et naturalis aqua. Nec refert ad Baptismi valorem, utrum aqua sit frigida an calida, benedicta an non, dulcis an sala, quia hæc aquæ nec substantiam, nec naturalem usum immutant.

Materia autem *invalida* est, quidquid, secundum communem æstimationem, non est aqua naturalis et elementaris, v. g., vinum, oleum, lac, sudor, saliva, urina, nix, glacies, lutum, atramentum, humores aquei ex vite aut radicibus incisis defluentes, aut ex fructibus herbisve incisis, vel ex ligno dum comburitur.

Materia tandem *dubia* est jusculum valde tenue, lixivium, cerevisia tenuis, aqua ex sale soluto, et etiam juxta S. Ligor. n. 104, aqua fluens e vite aliisque plantis.

In necessitatis casu, et altera certiori materia deficiente, cum materia dubia licitum est baptizare ; quia tunc melius est adhibere remedium dubium, quam nullum. Si vero, qui sic baptizatus est, supervixerit, sub conditione erit rebaptizandus.

PROPOSITIO II

47. — *Proxima Baptismi materia est ablutio ex aqua naturali*. De fide est.

Constat iisdem argumentis ac præcedens propositio. Aqua enim non potest esse materia Baptismi, nisi applicetur per ablutionem, ut expresse dicitur : « Euntes, docete... *baptizantes*, etc. »

48. — Hinc, ad proximam materiam, requiritur *contactus realis*, et *immediatus* aquæ ad baptizati corpus ; sed insuper contactus *successivus*, ita ut aqua *fluat*, et persona vere dici possit *abluta* ; n. 70.

Proinde invalidus est Baptismus, si aqua tangat tantum vestes ; probabilius autem validus est, si aqua crines tantum tangat ; sed in praxi tutior pars sequenda est.

Nec omnino certus est, si una sit tantum aut altera gutta, nisi aqua vere fluat. Unde communiter tenent Theologi materiam tunc esse certam, si baptizans motu digiti madefacti partem corporis abluat. S. Ligor. n. 107.

49. — *Quæritur* quot *modis* fieri possit ablutio ?

Resp. Tribus modis, nimirum, per *immersionem*, *infusionem*, et *aspersionem*. Porro ad Sacramenti valorem non refert, quonam ex iis modis fiat ablutio, tum quia Christus præcepit duntaxat fieri ablutionem, sed illius faciendæ modum non determinavit ; tum quia modo hunc, modo illum ritum adhibuit Ecclesia. In primis Ecclesiæ seculis, frequentior erat immersio ; iisdem tamen ipsis temporibus per infusionem, aut aspersionem Baptismus aliquando ministrabatur, præsertim ægrotantibus, ut testatur S. Cyprian., lib. 4, Epist. 7, ad Magnum, ubi sic ait : « Nec quemquam movere debet quod *aspergi*, vel *perfundi* videntur ægri, cum gratiam dominicam consequuntur. »

Pariter ad Baptismi valorem non refert, utrum unica fiat, an triplex immersio, aut infusio. In his omnibus quilibet Sacerdos Ecclesiæ suæ morem sequi debet ; unde in nostris regionibus retinendus est Baptismi conferendi modus per infusionem, ita ut ablutione trina baptizandi caput in modum crucis perfundatur, quemadmodum in Rituali præscribitur.

CAPUT III

DE BAPTISMI FORMA

PROPOSITIO

30. — *Legitima Baptismi forma his continetur verbis* : Ego te Baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ; *valida est etiam Græcorum forma :* Baptizatur *vel* baptizetur (N. seu talis) servus Christi, in nomine Patris, etc. De fide est.

Constat 1. ex verbis Christi ; *Baptizantes* eos in *nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ;* Matth. 28, ỷ 19. — 2. Ex praxi Ecclesiæ sive Latinæ, sive Græcæ ; et ex decreto Eugenii IV ad Armenos.

Et vero, in forma Baptismi tria essentialiter exprimenda sunt, scilicet 1. Baptismi *actio*, quæ per vocem, *baptizo, baptizetur*, connotatur. Unde Alex. III, cap. *Si quis puerum*, decrevit quod, si quis puerum ter in aqua immerserit, et non dixerit *te baptizo*, etc., non est puer baptizatus.

2. Persona *baptizanda*, ut patet ex forma tum Græcorum, tum Latinorum, et ex decisione jam allata Alex. III.

3. Expressa invocatio trium SS. Trinitatis personarum, ut propriis verbis indicavit ipse Christus. SS. Trinitas enim est primarium objectum et fundamentum totius fidei, et principalis causa tam ipsius Baptismi, quam omnium Sacramentorum novæ legis : atqui Baptismus est janua Ecclesiæ et aliorum Sacramentorum, et expressa professio evangelicæ fidei ; ergo oportuit, ut in eo tradendo fieret expressa invocatio SS. Trinitatis.

31. — Hinc 1. ad essentiam formæ, non pertinet pronomen *ego ;* nec, saltem probabilius, conjunctio, *et*, præsertim, si semel tantum omittatur, et ante tertiam personam præponatur ; nec, saltem probabilius, præpositio, *in*, licet plures graves Theologi contradicant. Cætera verba ad validitatem omnino requiruntur.

52. — Hinc 2. invalida est, saltem probabilius, hæc forma : *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis*. Ex verbis enim Christi infertur, quod voluerit, ut tres personæ divinæ *distincte* exprimerentur.

In Tract. *de Sacram. in genere*, n. 37 et seq., jam indicavimus varias mutationes, quæ validitati formæ Baptismi nocerent.

Nota. Non pauci senserunt Apostolos, ex dispensatione, in *nomine Jesu Christi* tantum baptizasse, ut innui videtur, Act. 2, ℣ 38 ; 8, ℣ 12, 16 ; 10, ℣ 48. Attamen longe probabilius leguntur Apostoli baptizasse *in nomine Jesu*, 1. quatenus in virtute et auctoritate Christi baptizaverunt ; nomen enim idem esse ac virtutem patet ex Act. 3, ℣ 6, et c. 4. ℣ 7. — 2. Ad distinguendum Christi Baptismum a Joannis Baptismate, ut habetur Act. 19, ℣ 3, 4 et 5. — 3. Quia forte, quod probabilissimum est, ad commendationem nominis Jesu, quod Judæis ac Gentilibus opprobrio erat et scandalo, communi formæ illud inserebant, ita ut dicerent : *Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii ejus Christi*, etc.

CAPUT IV

DE EFFECTIBUS BAPTISMI

Effectus Baptismi sunt imprimere characterem, delere omne peccatum, sive originale, sive actuale, omnem pœnam remittere, non tamen auferre omnes pœnalitates, sed conferre gratiam sanctificantem et quidem regenerativam. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

53. — *Per Baptismum imprimitur character, quo homo fit capax aliorum sacramentorum, consecratus Christo capiti ac matri Ecclesiæ, configuratus Christo Capiti, ac distinctus a cæteris hominum*. Certum est.

In Tract. *de sacram. in genere*, n. 84-92, dictum est de existentia, effectibus, natura et perpetuitate illius charac-

teris. Hic igitur quædam tantum de ejus effectibus revocare satis erit. Scilicet, per baptismi characterem homo fit 1º *capax alia sacramenta validè suscipiendi*. Propterea Concilia et Theologi unanimiter docent Baptismum esse *januam sacramentorum* et *vitæ spiritualis*.

2º *Consecratus Christo Capiti ac matri Ecclesiæ* uti membrum et civis seu christianus, cum jure ad gratias tali statui correlativas, et ad bona spiritualia societati Catholicæ propria et communia; ac proinde obligatus in perpetuum ad sese gerendum uti Christi membrum et Ecclesiæ civem seu vere et practice christianum, prædictis auxiliis obtemperando. Propterea Concilia et Theologi Baptismum perhibent tanquam Ecclesiæ januam.

3º *Configuratus Christo Capiti* per internam et indelebilem sigillationem, qua quatenus Christi membrum et Ecclesiæ civis in perpetuum signatur. Tract. *de Sacram. in genere*, n. 89,

4º *Distinctus ab illis*, qui non sunt membra Christi ac cives Ecclesiæ seu tali sigillo obsignati, *ibid.*, n. 92. Unde, sicut circumcisio fuit titulus et sigillum *externum* contractus in re externa et temporali inter Deum et Judæum, et Judæum inter et Synagogam, Tract. *de Revel.*, n. 148; ita character, per Baptismum in ipsa anima divinitus impressus, est spiritualis, supernaturalis et indelebilis titulus et sigillum consecrationis hominis Christo et Ecclesiæ, et ideo contractus spiritualis inter Christum caput et hominem ejus membrum quatenus christianum, et hunc hominem inter et Ecclesiam; et exinde discernitur a cæteris hominum coram Christo et Ecclesia.

Quare, ratione illius characteris indelebilis seu perpetuæ consecrationis, quæ est primarius Baptismi effectus, hoc sacramentum iterari nequit. Revera, quod semel est consecratum non iterum consecratur; propterea circumcisio, quæ erat consecratio externa ac Baptismi figura, iterari non poterat.

Idem verum est ratione gratiæ tali sacramento propriæ. Namque hæc gratia, ex statim dicendis, est regenerativa vitæ divinæ, repræsentativa mortis et resurrectionis Christi,

peccati originalis per se remissiva : atqui, sicut est una generatio, ita una est regeneratio ; Christus *semel mortuus est*, et, post resurrectionem, *semper vivit Deo ;* peccatum originale semel contractum et deletum, nunquam revocatur ; ergo gratia Baptismi iterari nequit, nec ideo sacramentum.

PROPOSITIO II

84. — *Baptismus vere ac proprie delet originalem culpam, et simul omne peccatum actuale antea commissum.* De fide est.

Prob. 1º *Script.*, quæ loquendo de baptizatis, dicit, *Nihil damnationis* in eis esse ; sed eos *Christum induisse ; in morte* Christi *baptizatos* esse, ac consepultos *cum Christo ; justificatos a peccato ; ablutos, sanctificatos, salvos per lavacrum regenerationis ;* Baptismum *accepisse in remissionem peccatorum ;* Rom. 8, ✝ 6 ; I Cor. 6 ; Galat. 3 ; ad Titum 3 ; Act. 6, ✝ 2.

2º *Traditione.* « Felix Sacramentum aquæ nostræ, qua, *abluti a delicto pristinæ cæcitatis*, in vitam æternam liberamur, » inquit Tertul., *de Baptismo*, c. 1. — « Baptismatis munus *contra originale peccatum* donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur ; et tamen *activa quoque peccata quæcunque* corde, ore, opere commissa invenerit, tollit, » ait S. Augustinus, in *Enchirid.*, c. 64. — « Sacramentum Baptismi, si digne sumatur, *liberat ab omni culpa* pariter et pœna, » ait Innocent. III.

Conc. Trid. sess. 5, can. 5, sic decernit : « Si quis per Jesu Christi Domini gratiam, quæ in Baptismate confertur, *reatum originalis peccati remitti negat*, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari ; anathema sit. » — In decreto etiam ad Armenos dicitur, « Baptismi effectum esse *remissionem omnis culpæ originalis et actualis.* »

3º *Ration. theol.* 1. Ex dictis n. 19, Baptismus institutus est ad regenerandos homines in Christo : atqui spiritualis regeneratio in Christo non est minus efficax, quam generatio carnalis ex Adamo ; ergo, si hæc potens est ad trans-

fundendum originale peccatum in filios Adæ, multo erit potentior illa ad tollendum hoc peccatum.

2. Per Baptismum homo moritur vetustati peccati, et incipit vivere novitate gratiæ. Dicitur enim « nos per Baptismum consepeliri cum Christo in mortem, ut in novitate vitæ ambulemus, » Rom. 6, ℣ 4 : porro omne peccatum ad pristinam vetustatem pertinet; ergo per Baptismum omne peccatum tollitur.

3. Nullum peccatum per se remittitur sine aliquo Sacramento in re vel in voto, ex Conc. Trid. sess. 14, can. 1, 2: atqui peccata ante Baptismum commissa, tolli non possunt per Sacramentum Pœnitentiæ, quia non sunt ejus materia; ergo per se et directe tolluntur per Baptismum : non est enim aliud Sacramentum per se institutum ad remissionem illorum peccatorum.

PROPOSITIO III

35. — *Baptismus simul remittit cum culpa omnem pœnam proprie dictam.* De fide est.

Contat 1° *Traditione.* Juxta C. Florent., baptizatis non sunt imponenda opera satisfactoria pro peccatis ante Baptismum commissis, eo quod omnem pœnam remittat hoc Sacramentum. Idem definivit Conc. Trid. sess. 5, can. 5, his verbis : « In renatis (per Baptismum) nihil odit Deus... ita ut *nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.* » Eamdem doctrinam latius repetit illud Concilium, sess. 6, c. 14; sess. 14, c. 8. « Ecclesia semper intellexit sine maxima Sacramenti injuria fieri non posse, ut ei, qui Baptismo expiandus sit, ejusmodi pietatis officia, quæ usitato nomine SS. Patres opera *satisfactionis* vocarunt, imponantur. » Catech. Rom., *de Bapt.*, n. 45.

2° *Ration. theol.* 1. Per Baptismum homo incorporatur passioni et morti Christi, ita ut omni baptizato communicetur virtus passionis Christi ad remedium, secundum illud : *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem*, Rom. 6, ℣ 4 : quod de solo Baptismo dictum est ab Apostolo, ait Catech. Rom., *ibidem*. Atqui passio Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis, *non solum nostris, sed*

etiam totius mundi, I Joan. 2, ℣ 2; ergo, qui baptizatur, liberatur a reatu totius pœnæ sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis, ut ait S. Thom., 3. p., q. 68, a. 5; q. 69, a. 2.

2. Peccata ante Baptismum commissa, videntur ex quadam ignorantia et infirmitate profecta, ut ait Conc. Trid., sess. 14, c. 8; quia tunc nondum homo est illuminatus a Deo, nec specialem Baptismi gratiam est assecutus; ergo decuit ut facilius remittantur quoad omnem pœnam.

3. Baptismus est janua ad ingrediendum Ecclesiam, et quasi fundamentum illius, quam Christus cupit esse purissimam, et sine macula et ruga; ergo voluit, ut omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam, per hoc Sacramentum perfectissime mundarentur.

56. — Hinc *Baptismus aperit januam regni cœlestis.*

Scilicet, si quis decedat statim post Baptismum cum requisita dispositione receptum, et antequam aliquam culpam committat, sine ulla mora ingreditur regnum cœlorum, et æternam beatitudinem accipit.

Etenim aperire januam regni cœlestis, est removere impedimentum, quo quis impeditur cœlum introire, id est, culpam et reatum pœnæ: atqui, ex dictis, per Baptismum omnis culpa et omnis reatus pœnæ tollitur; ergo Baptismus aperit januam regni cœlestis.

Et vero, ad apertionem cœli, duplex erat removendum impedimentum, totius naturæ scilicet, et personæ cujusque: atqui prius jam sublatum est per passionem et satisfactionem Christi de se sufficientem pro lapsu totius naturæ; posterius autem removetur per Baptismum, quo singulis personis applicatur illa generalis ac sufficiens Christi satisfactio; ergo, post Baptismum, nullum superest impedimentum ad apertionem cœli. Quare Baptismus institutus est ut signum passionis Christi jam exhibitæ et consummatæ. S. Th., 3 p., q. 69, a. 7.

PROPOSITIO IV

57. — *Baptismus non aufert omnes vitæ pœnalitates.*

Notandum. Pœnalitates sunt passibilitas corporis, ægri-

tudines, dolores, mors, fomes peccati, inordinatio potentiarum. Non sunt pœnæ proprie dictæ, quia secundum se ex principiis naturæ oriuntur, et possunt esse, saltem in aliquo gradu, in homine in puris naturalibus condito. Attamen, in homine lapso, non censentur mere naturales, sed per originale peccatum contractæ, et ideo pœnales aut pœnalitates dicuntur. Vide Tract. *de Gratia*, n. 169, 245.

Jam vero, constat universali experientia illos defectus per Baptismum non tolli; et quidem rationabiliter.

Nam 1°, per Baptismum, homo incorporatur Christo et efficitur membrum ejus; et ideo plus dignitatis alicui homini tribuendum non erat, quam ipsi capiti tributum est: porro Christus a principio suæ conceptionis fuit plenus gratiæ et veritatis, et tamen habuit corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum: ergo decuit Christianum in Baptismo gratiam consequi quantum ad animam, sed retinere corpus passibile, ut pro Christo pati, et cum Christo compati posset; sicque cum Christo etiam conglorificetur. Attamen gratia baptismalis est radix glorificationis corporis, ex S. Paulo: « Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, *vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*... Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; *si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* » Rom. 8, ℣ 11, 17.

2° Conveniens fuit manere in homine pœnalitates, ut essent *proficiendi admonitio*, *perfectionis exordium*, sicque *virtus in infirmitate perficeretur*. Patienti enim animo omnia vitæ incommoda tolerando, pravasque animi affectiones sub rationis imperio, divina ope, subjiciendo, uberiorem gloriæ fructum atque ampliora præmia homo consequitur. In cujus figuram Deus, cum ab Ægyptiorum servitute, Pharaone et ejus exercitu in mare demersis, filios Israel liberasset, postea in multis variisque casibus per desertum exercuit; et etiam, cum eos in terræ promissæ possessionem misisset, quasdam « gentes dereliquit, ut *erudiret in eis Israelem, et postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem præliandi.* » Judic. 3, ℣ 1, 2.

3° Tandem hoc decuit, tum ne homines ad Baptismum

accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, potiusquam propter gloriam vitæ æternæ, sicque ne fides enervaretur per felicitatem carnis; tum ut inde appareat in quid veluti pondere suo proclivis sit vitiosa natura, et quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat; tum ut, sicut homo in paradiso deliciarum habuit umbram felicitatis æternæ, ita, in hac valle miseriarum, umbram haberet damnationis æternæ; tum denique ut homo in hac vita semper circumferat testimonium sui lapsus, et ut clarius appareat quantum Deus superbis resistat. Ita S. Augustinus, *de Trinit.* lib. 13, c. 14; *de Civit.*, lib. 22, c. 22; *Confes.* lib. 1, c. 1; Catech. Rom., *de Bapt.*, n. 48.

58. — Hinc 1° *Baptismus non aufert quidem pœnalitates in præsenti vita, sed earum regnum et dominium dejicit.*

Namque vim suppeditat, ut homo concupiscentiam superet, nec timeat mortem aliasque miserias; atque dat virtutem, ut in novissimo penitus exterminentur, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n, 224.

59. — Hinc 2° *Christus, reparando, processit modo converso, ac originale peccatum inficiendo.*

Etenim, per originale peccatum, primo persona Adami infecit naturam humanam, et postmodum hæc natura infecit personam cujusque; per Baptismum autem tolluntur ab homine originale et actuale peccatum, et pœna carentiæ visionis divinæ, quæ respiciunt personam; et in ultima reparatione, per resurrectionem gloriosam, tollentur pœnalitates, quæ respiciunt naturam, ex cujus principiis causantur, prout est destituta originali justitia. S. Th. 3 p., q. 69, a. 3.

PROPOSITIO V

60. — *Baptismus confert gratiam habitualem obicem non ponentibus, per quam baptizatus regeneratur.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim hominem *renasci* ex aqua et *Spiritu Sancto;* per Baptismum nos ita mori peccato, ut *vivamus Deo;* consepeliri cum Christo in mortem, ut quo-

modo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos *in novitate vitæ* ambulemus; *induere* Christum et fieri *filios*, hæredes Dei, et *cohæredes* Christi; Joan. 3; Rom. 6; Galat. 3. Ergo per Baptismum homo renascitur, novam vitam accipit, quæ est ipsamet vita Christi, qua fit filius, hæres Dei, Christi cohæres.

2° *Traditione*. S. Chrysostomus sic omnes Baptismi effectus egregie enumerat: « Ecce, inquit, libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi; et cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; et justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum *sunt liberi*, sed et *sancti;* non tantum sancti, sed et *justi;* nec solum justi, sed et *filii;* nec solum filii, sed et *hæredes;* nec solum hæredes, sed et *fratres Christi;* nec tantum fratres Christi, sed et *cohæredes;* nec solum cohæredes, sed et *membra;* non tantum membra, sed et *templum;* non tantum templum, sed et *organa Spiritus*. Vides quot sint Baptismi largitates! Sed multis quidem videtur cœlestem gratiam *in peccatorum tantum remissione consistere;* nos autem honores computavimus decem; quia non solum delicta purgat Baptismus, sed ita id præstat, ac si *denuo generati essemus*. » Homil. *ad Neophytos*, et 1. *ad Illuminandos*.

Conc. Flor. et Trid. definiunt omnia Sacramenta novæ legis conferre gratiam ex opere operato, obicem non ponentibus, et etiam Baptismum esse Sacramentum novæ legis; ergo eo ipso definiunt Baptismum conferre gratiam non ponentibus obicem. Tract. *de Sacram. in genere*, n. 2, 7, 17.

Insuper Conc. Trid. definit Baptismum institutum fuisse ad remittendum originale peccatum, et actuale, si cum illo conjunctum sit; et etiam hujusmodi peccata remitti per gratiam homini inhærentem a Baptismo collatam: sess. 5, can. 4, 5; ergo, etc.

3° *Ration. theol.* Baptismus facit hominem vere filium Dei, membrum Christi, et hæredem vitæ æternæ: porro hoc non fit nisi per gratiam et charitatem diffusam in cordibus nostris, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 307, 308, et etiam ex Catech. Rom., *de Bapt.*, n. 50.

61. — Hinc 1° gratia Baptismo propria est *regenerativa* et quidem perfecte.

Namque, per generationem, datur primum esse rei genitæ : atqui per Baptismum datur esse divinum simpliciter primum, per quod deletur peccatum originale et actuale, si aliquod sit, imo et omnis reatus pœnæ, atque fit homo vere Dei filius; ergo gratia Baptismi sub omni respectu est perfecte regenerativa in vita divina.

62. — Hinc 2° per Baptismum fit quasi *aliqualis contractus spiritualis inter Deum et hominem.*

Scilicet, ex una parte, Deus remittit omnem culpam et pœnam, datque propriam suam vitam; ex altera parte, homo promittit se in posterum tanto alienum a peccato futurum esse, quanto Christus mortuus et sepultus alienus erat a vita externa et corporali; et simul tanto vitam divinam in terris acturum esse, quanto Christus a die resurrectionis vita omnino cœlesti in æternum vivit; atque, per Baptismi characterem, in perpetuum obsignatur ille contractus.

Propterea, de Baptismo et quidem solo, S. Paulus omni occasione dicit nos per ipsum commori, consepeliri, et consurgere : « Quicunque *baptizati* sumus in Christo Jesu, in *morte* ipsius baptizati sumus. *Consepulti* enim sumus cum illo per *Baptismum* in *mortem;* ut quomodo Christus *surrexit* a *mortuis* per gloriam Patris, ita et *nos in novitate vitæ ambulemus;* » Rom. 6, ℣ 3, 4. Vide Catech. Rom. 1 p., a. 5, n. 25; 2 p. *de Bapt.* n. 45.

63. — Hinc 3° merito dicitur per Baptismum hominem *abnegare Satanam, ejus pompas et opera,* atque in perpetuum *Christo adhærere.*

Scilicet, dum Baptizatus fit respectu peccati veluti mortuus et consepultus, eo ipso abnegat imperium Satanæ, necnon et pompas ejus, id est, quæcunque alliciunt et nutriunt superbiam, voluptatem et cupiditatem; et consequenter harumce concupiscentiarum opera, quibus nititur imperium Satanæ. Similiter, dum vitam divinam, quam a

Christo accipimus, baptizatus amplectitur in æternum, eo ipso Christo, sicut membrum capiti, aut viti palmes, in perpetuum adhæret, et quasi in ipso inseritur.

64. — An autem Baptismus, impeditus ab effectu gratiæ per obicem suscipientis, illum producat recedente obice, et quænam dispositio requiratur ad tollendum obicem, jam diximus in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 77, 81.

Mirabiles sunt igitur Baptismi effectus, atque « in altissimo dignitatis gradu per hoc Sacramentum adeo ponuntur fideles, ut se ab eo dejici ullis adversarii insidiis, vel impetu, ullo unquam tempore pati debent; sed quotidie tam sancte et religiose traducere vitam, perinde ac ea ipsa die Baptismi Sacramentum et gratiam consecuti essent. » Catech. Rom. n. 41.

CAPUT V

DE BAPTISMI MINISTRO

Duplex distingui potest Baptismi minister, *extraordinarius alter*, qui valide et in casu necessitatis licite baptizat; alter *ordinarius*, qui solemniter et ex proprio officio Baptismum valet administrare. De utroque hic agendum est.

PROPOSITIO PRIMA

65. — *Quilibet homo viator et rationis compos*, valide *baptizare potest, imo et in casu necessitatis licite*. De fide est.

Constat ex Conc. Lateran. IV, cap. *Firmiter*. ubi sic legitur : *Sacramentum Baptismi... a quocunque rite collatum, proficit ad salutem*. Conc. Florent. in decreto ad Armenos, sic habet : « *In casu necessitatis*, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam *laicus*, vel *mulier*, imo etiam *paganus* et *hæreticus baptizare potest*, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia. » Idem indicat Conc. Trid., n. 4.

Et vero, æquum fuit ut Sacramentum, quod omnibus ad

salutem necessarium est, a quolibet, saltem in necessitatis casu, possit administrari.

Dixi : *quilibet* in casu necessitatis, non modo *valide*, sed etiam *licite* potest baptizare, si servetur ordo traditus a S. Thoma, 3 p., q. 67, a. 4, et a Catech. Rom. de Bapt., n. 24, ut, scilicet, mulier viro cedat, laicus Clerico, Clericus inferior superiori; quamvis quibusdam in casibus contingere possit ut mulier, v. g., obstetrix, præferri masculo debeat, qui baptizandi modum tam rite non callet.

Utrum autem ipse pater proprium filium, præsente, v. g., obstetrice, aut alia muliere, baptizare possit, non consentiunt Doctores. Censent nonnulli eo in casu patrem, præ qualibet muliere præsenti, debere filium baptizare, hac ducti ratione quod, ex S. Thoma et Catech. Rom., non debeat mulier baptizari, si adsit copia viri; inferuntque maritum tunc cum propria uxore spiritualem non contrahere cognationem, quæ impediat usum matrimonii. Alii contrarium sentiunt.

Hinc curare debent Parochi, in quantum moraliter possunt, ut fideles, præsertim conjugati, et maxime chirurgi et obstetrices, rectum baptizandi modum sciant, et in vera necessitate adhibere non negligant. Moneant extra casum necessitatis, nec laicis, nec mulieribus licere Baptismum conferre.

PROPOSITIO II

67. — *Episcopus in sua diœcesi, parochus in sua parœcia est ordinarius minister Baptismi solemnis.* Certum est.

Constat ex consensu canonistarum, ex Ritual. Rom., tit. 3, § 1, ex iterata decis. S. Congr. Conc., notanter 22 sept. 1687, 21 febr., 28 aug. 1680; nec debet ordinarius, sine gravi causa aufferre a propriis Curatis illius Baptismi collationem, ex S. Congr. Epis., 7 sept. 1604. Revera omnino convenit, ut parvulus ad vitam supernaturalem generetur a sacerdote, per quem in eadem vita enutriri, perfici ac consummari debet.

Ex consuetudine nunc vigente, Baptismus solemniter

non administratur a Diaconis ; cui consuetudini standum est, nisi derogetur per licentiam Episcopi.

68. — Hinc nec Episcopus, nec Parochus, sine commissione, extra suam diœcesim vel parochiam, vel intra eam alienos licite baptizat ; et ideo peccant etiam parentes, qui, sine licentia sui Prælati, alteri deferunt suam prolem baptizandam, siquidem jus Parochi violant.

Peregrini, vel qui domicilium non habent, possunt baptizari in ecclesia quam elegerint. Si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi Parocho est baptizanda, nisi forte ille pagus a pago proprio parum distet.

Juxta probabiliorem et communiorem sententiam, possunt omnes recipere Baptismum et alia Sacramenta a Parocho loci, ubi jam quasi-domicilium contraxerunt. Tandem extraneus baptizari potest de licentia sive expressa, sive rationabiliter præsumpta proprii Sacerdotis. Ita S. Ligor. n. 114. 115.

Quoad vero dispositiones Ministri, vide Tract. *de Sacram. in genere*, n. 121-123.

Ex Rituali Romano et ex decis. S. Congr. Rit., 31 aug. 1882, in administrando Baptismi sacramento in ecclesia, utendum est pollice manus dexteræ, non autem pennicello seu virgula argentea, remota tamen necessitatis causa, juxta decretum ejusdem S. Congr., 9 maii 1857.

CAPUT VI

DE SUBJECTO

Inquirendum habemus an omnes homines baptizari possint, et quænam observanda sint circa parvulorum Baptismum.

PROPOSITIO

69. — *Omnis homo viator nondum baptizatus valide baptizari potest, sive sit adultus, sive parvulus.* De fide est.

Prob. 1° *Script. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu*

Sancto, non potest introire in regnum Dei; Joan. 3, ỳ 5. Unde sic : parvuli non possunt absque Baptismo in regnum cœlorum introire : atqui Christus non excludit illos a regno cœlorum ; ergo vult illos baptizari.

2° *Traditione.* In primis Ecclesiæ seculis baptizabantur infantes, et hanc Ecclesiæ Traditionem ab Apostolis oriri probat S. Aug. lib. 4 de Bapt., contra Donat., c. 24 Eamdem traditionem testantur Conc. Milevitanum, Lateran. IV, cap. *Firmiter,* Viennense œcumenicum ; tandem Conc. Trid. declarat anathema, qui *negat parvulos recentes ab uteris matrum esse baptizandos;* sess. 5, can. 4.

Et vero, ex dictis n. 24, 30, omnibus necessarius est Baptismus in re aut in voto; ergo omnes, sive adulti, sive infantes sunt hujusce Sacramenti capaces.

Dispositiones autem in adultis requisitas ad salutarem Baptismi receptionem, indicavimus in Tract. *de Sacram. in genere,* n. 143 et seq.

70. — *Quæritur* 1° an ordinarie *caput* sit abluendum?

Resp. affirmative. Constat ex traditione, seculorum omnium praxi, et Rituali.

Et vero, per Baptismum liberatur anima a macula et reatu peccati quod incurrit ; et ideo debet præcipue lavari illa pars corporis, in qua manifestatur opera animæ, nempe, caput, in quo vigent omnes sensus et interiores et exteriores, et proinde in quo manifestatur principium animalis vitæ. S. Th. 3 p. q. 66, a. 7.

Dixi : *ordinarie,* quia si infans aliud emittat membrum, quod vitalem motum demonstret, in illo, si periculum mortis immineat, baptizetur ; quia in casu necessitatis melius est adhibere remedium dubium, quam nullum.

Si tamen infans supervixerit, erit sub conditione baptizandus ; non enim constat Baptismum in alio membro, quam in capite, validum esse. Omnes istæ regulæ expresse traduntur in Rituali, quod diligenter est consulendum.

A fortiori sub conditione baptizandus erit infans, si, dum in secundina pelle inclusus est, fuerit propter mortis pe-

culum baptizatus, quia valde dubitatur utrum tunc aqua ad ipsum infantis corpus pervenerit; n. 48.

71. — *Quæritur* 2° an ii, ad quos infantium cura pertinet, teneantur ipsis, *quamprimum* possunt, Baptismum procurare?

Resp. affirmative, et constat ex absoluta Baptismi necessitate, et ex consuetudine, quæ vim obtinet. Ex decis. S. Congr. Inquisit. « si periculum non adsit, ultra *tertium diem* post nativitatem pueri non differenda est Baptismi administratio. » Vide *Analecta*, nov. 1855, col. 1807.

Nec obstat, quod in primis Ecclesiæ seculis plurimi Baptismum usque ad ulteriorem differrent ætatem; eam enim consuetudinem graviter reprehendunt SS. Patres, eamque in Occidente S. Ambrosius, in Oriente vero SS. Gregorius Nazianzenus et Basilius, extirpare conati sunt, ut ex eorum ad Baptismum exhortationibus satis constat; n. 32.

Deinde, quamvis olim certa determinata fuerint tempora ad solemnem et publicam Baptismi administrationem, videlicet, vigiliæ Paschæ et Pentecostes, quibus addita fuit Epiphaniæ vigilia, extra quas festivitates Baptismus conferri non solebat, nisi mortis urgeret periculum; postea tamen, cum christianus populus plurimum adauctus fuerit, et variæ occurrerent mortis occasiones, visum Prælatis Ecclesiæ fuit solemnem Baptismi administrationem omni tempore concedere, et mos invaluit, ut paucis a nativitate diebus baptizentur infantes. Unde Eugenius IV præcipit ut Baptismus, *quamprimum* fieri commode posset, parvulis conferatur.

72. — *Quæritur* 3° an, quando probabilis subest dubitatio num valide baptizatus fuerit infans, aut quando dubium est an infans vivat, baptizandus sit sub conditione?

Resp. affirmative. Constat ex Ecclesiæ consuetudine, et unanimi Theologorum consensu. Unde hic maxime locum habet vulgare dictum, quod in dubio sit in animæ favorem inclinandum, et quod melius sit Baptismi valorem, quam hominis salutem periclitari.

Nota. 1. Quando domi, baptizatus fuit infans, diligenter debet inquirere Sacerdos a quo, et quomodo fuerit baptizatus, advocatis etiam et seorsim auditis super ea re non solum illo qui baptizavit, verum etiam istis qui Baptismo interfuere: atque, ut Parochus Baptismum sic domi collatum pro valido habeat, necesse est ordinarie, ut præter eum qui baptizavit, duæ saltem personæ de modo et forma administrati Sacramenti idoneum reddant testimonium, nisi forte qui baptizavit, talis sit, cui tuto credi ea de re possit.

Revera, S. Congr. Inquisit., interrogata an infantes, domi in casu necessitatis baptizati, sint sub conditione rebaptizandi, respondit, 27 mart. 1683 : « *Negative,* nisi adsit *dubium probabile invaliditatis.* »

Nota. 2. Si quis sub conditione sit baptizandus, sic proferanda erit conditio: *Si non es baptizatus, ego te baptizo,* etc. Monstrum autem de quo dubitatur an sit homo, sub hac conditione baptizetur : *Si tu es homo, ego te baptizo,* etc.

73. — *Quæritur* 4° an unus et idem Minister plures simul infantes possit valide baptizare?

Resp. affirmative, modo *singulorum* capiti aquam infundendo, dicat: Ego *vos* baptizo, etc. Tunc enim omnia ad materiam, formam et intentionem requisita, servantur.

Invalidum autem esset Sacramentum, si Ministri *plures* ad unum hominem baptizandum ita concurrent, ut singuli causæ essent duntaxat *partiales* Baptismi. In hoc enim casu non salvaretur formæ veritas.

Si vero singuli Ministri materiam adhibeant et formam, legitima cum intentione, validum erit Sacramentum; quia plurimorum ministrorum conjunctio, materiæ valorem aut veritatem formæ quæ ab altero adhibetur, non destruit; si quis autem alios præveniat, et ante illos formam absolverit, ille solus baptizabit. Verum sic baptizare nunquam licitum est.

74. — *Quæritur* 5° an filii *infidelium*, infantes *expositi* sint baptizandi, et *baptizati ab hæreticis* rebaptizari debeant?

Resp. 1. Filii infidelium licite baptizari possunt in sequentibus casibus, scilicet, si habeant usum rationis, et consentiant, etiamsi parentes repugnent; si parentes defecerint a fide, ut sint hæretici, quia Ecclesia jus habet ad illos parentes coercendos; si filii sint mox morituri, quia urget necessitas, nec ullum timendum est periculum; si unus parentum consentiat, altero reluctante. Ita S. Ligor. n. 127. In cæteris casibus non licet, v. g., si uterque parens reluctetur, si filii mansuri sint in potestate parentum, ob perversionis periculum, ex decreto S. Congreg. S. Off., 1765.

2. Infantes *expositi* baptizandi sunt, nisi aliunde constet eos rite baptizatos fuisse; imo, juxta communiorem sententiam, hi omnes sub conditione baptizandi sunt, etiam expositi sint cum schedula attestante ipsos fuisse baptizatos. S. Ligor., n. 135.

3. Quoad *baptizatos ab hæreticis*, S. Congr. Inquisit., interrogata an *sub conditione* conferri debeat baptismus hæreticis, qui se convertunt ad religionem catholicam, 20 nov. 1878 et 21 febr. 1883, respondit : « In conversione hæreticorum, a quocunque loco, vel a quacunque secta venerint, inquirendum est de validitate Baptismi in hæresi suscepti. Instituto igitur *in singulis casibus* examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt *absolute*. Si autem, *pro tempore* et *locorum ratione*, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc *probabile* dubium de baptismi validitate supersit, tum *sub conditione* secreto baptizentur. Demum, si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei. » Similem decisionem jam protulerat eadem S. Congr., 20 jul. 1859; atque fere iisdem verbis loquitur Rituale Rom., *de Baptismo adultorum*.

Quod autem dicitur de adultis hæreticis, valet etiam pro *pueris* a ministro hæretico baptizatis, ut patet tum ex præfata decisione, tum ex dictis n. 72, de parvulis domi baptizatis.

CAPUT VII

DE PATRINIS ET CÆREMONIIS BAPTISMI

ARTICULUS PRIMUS

De Patrinis.

75. — Patrini, olim susceptores, sponsores seu fidejussores, sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de sacro fonte levant, et in suam curam, defectu parentum, suscipiunt.

1° « Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit, siscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat. » Conc. Trid., sess. 24, c. 2.

2° Debet adhiberi sub gravi saltem unus patrinus in Baptismo *solemni*, sive vir, sive mulier, nec possunt adhiberi licite plures quam duo, ex C. Trid. Sess. 24, c. 2. In Baptismo autem *privato* ab Ecclesia non requiritur patrinus.

3° Ut quis sit *vere* patrinus, requiritur 1. ut usum rationis habeat, et ipse sit baptizatus; 2. ut a parentibus vel Parocho fuerit designatus tanquam patrinus; 3. ut tangat baptizatum per se, vel saltem per alium; 4. ut habeat verum animum munus patrini gerendi. S. Ligor., n. 146.

4° Tenentur patrini, in casu necessitatis seu deficientibus filioli parentibus, instruere baptizatum circa fidem, mores, varias obligationes. Ab omni autem obligatione solvuntur, quando prudenter præsumere possunt, quod baptizatus diligenter a parentibus instruatur. Ita S. Th., S. Ligor., n. 147.

5° Valide, sed illicite sunt patrini : 1. abbas et monachus, seu religiosus et monialis cujuslibet ordinis; 2. conjuges respectu conjugum, et parentes respectu filiorum; 3. omnes qui sunt pravis moribus et perdita fama; hæretici, etc. S. Ligor., n. 156. Quoad illos qui censuris ecclesiasticis innodantur, S. Pœnitentiaria idem statuit ac pro

iisdem qui volunt matrimonium contrahere. Vide Tract. *de Matrim.*, n. 135.

6° Patrini non possunt esse duo mares aut duæ feminæ. Statuit enim C. Trid. posse adhiberi ad summum duos patrinos, nempe virum et feminam. Probabilius est autem indiscriminatim virum aut mulierem adhiberi posse, si unicus sit patrinus, sive baptizatus sit masculus, sive femina; S. Ligor., n. 155. Vide, circa patrinos, Catech. Rom. n. 25 et seq.

ARTICULUS II

De Cæremoniis Baptismi.

76. — Cæremoniæ Baptismi in Rituali describuntur. Aliæ præcedunt Baptismum, aliæ eum comitantur, et aliæ subsequuntur. Scilicet, præcedunt aquæ consecratio, statio ad fores Ecclesiæ, catechismus, exorcismus, sal in os immissum, signa crucis, saliva[1], et ad fontem accessio; comitantur autem, abrenuntiatio, fidei professio, baptizandi voluntas; subsequuntur tandem chrisma, vestis candida, cereus ardens, nominis impositio. Vide Catech. Rom., *de Bapt.*, n. 60.

77. — *Quæritur* 1° an gravè sit peccatum omittere omnes cæremonias Baptismi, aut aliquam ex iis notabilem?

Resp. affirmative, eo quod tunc violatur præceptum grave Ecclesiæ. Unde, seclusa necessitate, graviter peccat, qui baptizat sine chrismatis unctione, aut solemniter baptizat sine aqua consecrata, aut sine unctione olei catechumenorum, vel aliis similibus, aut extra Ecclesiam. Ita S. Ligor., n. 141, 142, et *Hom. Apost.* n. 29. Juxta Rituale Rom., quando Baptismus a Sacerdote privatim seu extra ecclesiam confertur, omitti debent tantum cæremoniæ, quæ ablutionem præcedunt. Ita etiam S. Congr. Rit., 23 sept. 1826.

1. Ex decisione S. Congr. Rit., 4 sept. 1875, in baptismo sive parvulorum sive adultorum, sacerdos adhibere debet *pollicem* ut accipiat de saliva oris sui et tangat aures et nares baptizandi.

78. — *Quæritur* 2° an cæremoniæ semper *supplendæ* sint, aut etiam aliquando *iterandæ?*

Resp. 1. Communiter docent Theologi cæremonias saltem sub levi supplendas esse infantibus Catholicorum, ex licentia Episcopi, vel ex necessitate, aut ex alia causa privatim baptizatis.

2. Si Baptismus solemniter collatus deprehendatur invalidus, communius docetur Sacramentum sine cæremoniis iterandum esse, eo quod ex Decretal. lib. 1, tit. 16, c. 1, in Sacramentis characterem imprimentibus non sit « aliquid iterandum, sed caute supplendum id, quod incaute fuerit prætermissum. »

Alii vero multi sentiunt cæremonias cum Sacramento iterandas esse, si absque scandalo vel infamia fieri possit. Et hæc sententia in praxi sequenda videtur.

79. — *Quæritur* 3° quomodo intelligenda sit *prohibitio* utendi chrismate *veteri*, seu alterius anni?

Resp. Rigorose sumenda est, quando chrisma novum habetur; et graviter peccaret Sacerdos, qui, chrismate recenti posthabito, veteri uteretur.

Licet tamen in Baptismo solemni uti chrismate anni præcedentis, usquedum chrisma recens consecratum, acceptum fuerit, ac proinde omitti non debet chrismatis et olei unctio, eo quod olea recens benedicta non adhuc haberi potuerint; nec eorum defectus ratio est Baptismum differendi ad aliud tempus, quantumvis breve. Ita S. Congreg. Rit., 1839.

80. — *Quæritur* 4° an *nomen* alicujus Sancti vel Sanctæ imponendum sit baptizato?

Resp. Pius est usus hujusmodi nomen imponere, a quo juvat non recedere; ut, nominis similitudine, ad virtutis et sanctitatis imitationem excitetur homo baptizatus; ac propterea studeat illum Sanctum imitari, eum quoque precetur, et speret sibi advocatum ad salutem tum animi, tum corporis defendendam venturum esse.

Convenientius imponuntur nomina Sanctorum novi Tes-

tamenti; et quamvis magis decere videatur, ut nomina Sanctorum imponantur masculis, et nomina Sanctarum feminis, non raro tamen nomina Sanctarum dantur maribus, et frequentius nomina Sanctorum feminis.

81. — *Quæritur* 5° an teneatur Parochus *inscribere* nomina baptizati, ejus parentum et susceptorum in *libro parochiali* (registre)?

Resp. affirmative, tum ut perpetuo constet Baptismum fuisse rite collatum; tum ut cognatio spiritualis certo detegi possit. Unde graviter culpandus est Parochus, qui ex incuria acta baptismi et matrimonii exarare omittit.

Caute tamen procedere debet in conficiendis hujusmodi actis; scilicet, si filius baptizandus sit naturalis, inscribat *ex patre incognito*, nisi vir aliquis præsens coram testibus se agnoscat parvuli patrem, et nomen suum in registro suscribat, si possit. Nec etiam matrem nominet nisi publice noscatur, vel duo saltem testes affirment eam talem agnoscere infantem ut suum.

Si parvulus sit adulterinus, is solus agnoscendus est pater, qui mulieris est maritus, juxta juris axioma : *Ille est pater, quem nuptiæ demonstrant.*

Si parvulus sit ex matrimonio civiliter tantum contracto natus, dicendum est eum esse natum ex N. et N. civiliter conjugatis.

Hæc de Baptismi Sacramento : quæ diligenter et cognoscere et perpetuo recogitare debet omnis christianus, ut in iis, quæ adeo sancte et religiose spoponderit, cum Baptismo initiatus est, fidem servet, atque vitam instituat, quæ sanctissimæ christiani nominis professioni respondeat.

FINIS TRACTATUS DE BAPTISMO

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO

OBJECTUM, UTILITAS, ET DIVISIO TRACTATUS

1. — Per Baptismum homo abluitur, ad vitam supernaturalem regeneratur, atque adscribitur familiæ Christi et ad hæreditatem vocatur. Per Confirmationem vero, homo baptizatus roboratur in vita spirituali, et militiæ Christi adscribitur, ut, non obstantibus carne, mundo et diabolo, ad hæreditatem adire valeat.

Eo igitur utilius est hujusmodi Sacramentum, quo homo quilibet in statu naturæ lapsæ debilior est et inconstantior; nec unquam magis necessarium fuit et discere et diligenter fidelibus tradere doctrinam de Confirmatione, ac nostro tempore, cum paucissimi sint, qui divinæ gratiæ fructum, quem deberent ex illo Sacramento carpere, studeant.

Quinque erunt capita, de Confirmationis 1° notione et existentia; de materia et forma; 3° de effectibus; 4° de ministro; 5° de subjecto[1].

1. Circa Tract. *de Confirmatione*, consuli possunt auctores jam indicati pro Tract. *de Sacram. in genere*, n. 16.

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE ET EXISTENTIA CONFIRMATIONIS

2. — *Quæritur* quid sit Confirmationis Sacramentum?

Resp. Confirmatio definitur : *Sacramentum novæ legis, Chrismatis unctione et certis verbis constans, ut militem Christi signans et in vita spirituali roborans baptizatum.*

1° *Sacramentum novæ legis,* ad genus indicandum.

2° *Chrismatis unctione,* quibus significatur tum materia remota, seu Chrisma ex oleo et balsamo confectum, propter quod Confirmatio nuncupatur *Sacramentum Chrismatis, unguenti mysterium;* tum materia proxima, seu ipsamet unctio Chrismatis confirmandis applicata a ministro per manus impositionem ; unde vocatur *Sacramentum unctionis, manus impositio.*

3° *Et certis verbis constans;* quæ forman innuunt.

4° *Ut militem Christi signans;* talis est primus Confirmationis effectus seu character militiæ spiritualis, ex quo illud Sacramentum iterari nequit, et ex quo vocatur *siggnaculum dominicum, sigillum regium.*

5° *Et in vita spirituali roborans;* in hoc adest secundus illius Sacramenti effectus, ratione cujus denominatur *confirmatio, perfectio, consummatio, donum, Sacramentum Spiritus sancti.*

6° *Baptizatum,* ut designetur Confirmationis subjectum ; roboratio enim in vita spirituali et adscriptio militiæ cœlesti supponunt generationem ad eamdem vitam, et familiæ Christi adscriptionem.

Jam vero Protestantes antiqui et recentes negant Confirmationem esse verum novæ legis Sacramentum. Itaque

PROPOSITIO

6. — *Confirmatio est verum et proprie dictum novæ legis Sacramentum.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : « Tunc *imponebant manus* super illos, et *accipiebant Spiritum Sanctum*... His

auditis, *baptizati* sunt in nomine Domini Jesu, et cum *imposuisset illis manus* Paulus, *venit Spiritus Sanctus super eos;* » Act. 8, ℣ 17; 19, ℣ 5, 6. Unde sic : ad Sacramentum novæ legis requiritur signum efficax gratiæ, a Christo permanenter institutum ; atqui, in allatis textibus, agitur de signo seu de impositione manus, quo Spiritus Sanctus seu gratia confertur, instituto indefinite a Christo, qui solus Spiritum Sanctum ritui externo annectere potuit; ergo præfatum signum est Sacramentum novæ legis.

2° *Traditione.* « Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro *ungitur*, ut anima *consecretur;* caro *signatur*, ut et anima *Spiritu illuminetur;* » Tertull. *de Resurrect.*, c. 8. — « Sacramentum *Chrismatis* in genere *visibilium signaculorum* sacrocrosanctum est, *sicut ipse Baptismus;* » S. August. *contra litt. Petil.*, lib. 2, c. 14. Idem definivit Con. Flor. in decreto ad Armenos, atque Conc. Trid., sess. 7, sic decernit : « Si quis dixerit *Confirmationem* baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius *verum et proprium Sacramentum :* anathema sit. »

3° *Ex congruentiis.* 1. Sicut homo semel natus, in vita naturali roboratur, sicque vir factus, militiæ societatis civilis adscribitur; ita oportuit hominem per signum Baptismi supernaturaliter regeneratum, et familiæ Christianæ adscriptum, in eadem vita per aliud signum roborari, atque militiæ christianæ adscribi.

Et vero, per Baptismum, homo fit tantum *parvulus* in Christo; ergo requiritur aliud Sacramentum, quo in Christo fiat vir et miles.

2. Homine nihil inconstantius; raro, quæ recte sunt cogitata, persequitur; plerumque susceptas bonas actiones abjicit et contemnit; quæ modo placuerat optima sententia, subito displicet; et, illa rejecta, ad turpia consilia sibique perniciosa delabitur, Catech. Rom. 1 p. 2 petit. n. 11; ergo summopere indiget gratia ex opere operato collata, qua contra tantam inconstantiam muniatur; atque insigne divinæ misericordiæ argumentum est illius corroborativi Sacramenti institutio.

7. — *Quæritur qandonam* hoc Sacramentum fuerit a Christo institutum?

Resp. Res est valde incerta; verisimilius tamen videtur hoc factum fuisse in nocte Cœnæ. Ea enim nocte iterum atque iterum Ecclesiæ suæ Christus Spiritum Sanctum promisit, et novum condidit Testamentum. Alii vero tanquam probabilius tenent illud fuisse institutum eo temporis intervallo, quo Christus, a mortuis redivivus, per dies quadraginta cum Apostolis suis commoratus est, *loquens de regno Dei;* Act. 1.

CAPUT II

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS

8. — *Status quæstionis.* Tres sunt aut potius fuerunt olim sententiæ de materia et forma adæquata Confirmationis. Scilicet, alii putant materiam essentialem hujus Sacramenti esse manuum illam impositionem, quæ fit in principio ritus, quando Episcopus, antequam ad Chrismatis unctionem accedat, extendit manus ad confirmandos, proferens orationem : *Omnipotens sempiterne Deus,* etc. : et hanc orationem esse formam essentialem ; unctionem autem, quæ postea ab Episcopo adhibetur, esse accidentalem materiam.

Alii vero sentiunt materiam essentialem componi tam impositione manuum quæ fit in principio, quam unctione, quæ postea adhibetur ab Episcopo, et similiter formam componi verbis huic utrique materiæ correspondentibus.

Alii tandem docent adæquatam et totalem materiam Confirmationis esse Chrismatis unctionem, quæ confirmandis per impositionem manus Episcopi adhibetur; formam autem adæquatam et totalem esse verba huic unctioni correspondentia.

Quæ ultima sententia est communis, juxta S. Ligorium, certissima juxta Bellarm., extra controversiam, juxta Benedictum XIV. Hanc revera propugnant plerique Theologi, inter quos S. Thomas, Scotus, Suarez. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

9. — *Materia adæquata et totalis Confirmationis est unctio Chrismatis, adhibita per impositionem manus Episcopi.* Certum est.

Prob. 1° *Script.*, in qua tanquam materia Confirmationis assignatur tam manus impositio, quam unctio, cum dicitur : « Apostoli *imponebant manus super illos* (baptizatos), et accipiebant Spiritum Sanctum ; ; Act. 8, ℣ 17. « Qui *confirmat* nos in Christo, et qui *unxit* nos Deus, *signavit* nos, et dedit *pignus Spiritus* in cordibus nostris ; » II Cor. 1, ℣ 21, 22.

Porro illa impositio non est distincta ab ea, quæ adhibetur in ipsa unctione. SS. Patres enim, cum tradunt sòlos Episcopos per Chrisma dedisse Spiritum Sanctum, id probant ex textu : *Tunc imponebant manus ;* ita SS. Dionys., Cypr., August : porro talis probatio nullam vim haberet, nisi impositio manus fuisset cum unctione conjuncta. Quod sic aperte docet Innoc. III : « Per *frontis chrismationem, manus impositio* designatur ; quæ alio nomine dicitur *Confirmatio*... Unde hanc unctionem nonnisi Episcopus debet conferre ; quia de solis Apostolis legitur, quod per *manus impositionem* Spiritum Sanctum dabant ; » ergo materia adæquata Confirmationis est unctio Chrismatis per manus impositionem applicata.

2° *Traditione.* Ex Conc. Flor., « secundum Sacramentum est Confirmatio, *cujus materia est Chrisma confectum ex oleo,* quod nitorem significat conscientiæ, et *balsamo,* quod odorem significat bonæ famæ, *per Episcopum benedicto.* » Conc. Trid. definivit « Injurios non esse Spiritui Sancto eos, qui sacro confirmationis *Chrismati* virtutem aliquam tribuunt ; » Sess. 7.

Idem sic expresse declarat Benedictus XIV, in Encyclica ad Episcopos ritus Græci ; « Quod itaque *extra controversiam est,* hoc dicatur : nimirum, in Ecclesia Latina, Confirmationis Sacramentum conferri *adhibito sacro Chrismate,* sive oleo olivarum, balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto ; *ductoque signo crucis* per Sacramenti ministrum,

in fronte suscipientis, dum idem minister *formæ verba pronuntiat.* »

Pro Ecclesia autem Græca, omnes sentiunt solam unctionem Chrismatis adhiberi ab hac Ecclesia, quæ tamen verum retinet Confirmationis Sacramentum, juxta omnes.

10. — *Quæritur* 1° an Confirmatio fieri debeat *in fronte* baptizati?

Resp. affirmative. Nam 1. hoc docent decretum ad Armenos et Pontificale Rom., et quidem tanquam de necessitate Sacramenti, juxta communem sententiam, ait S. Ligorius, n. 165.

2. Semper in Ecclesia Græca et Latina unctio adhibita fuit in fronte; et SS. Patres, per frontis unctionem Confirmationis Sacramentum ab unctionibus mere cæremonialibus, et ab Extrema Unctione discernunt. Innoc. I in Epist. ad Decentium, c. 3, sic habet : « Presbyteris.... Chrismate baptizatos ungere licet.... *non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* »

3. Omnino illud congruens est. In hoc enim Sacramento, homo accipit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnæ, ut fortiter etiam inter adversarios Dei, fidem confiteatur, sicut miles Christi; ergo 1. insigniri debet signo Christi, crucis scilicet, sicut miles signo ducis, et quidem in loco evidentiori, et maxime manifesto; 2. a libera confessione nominis Christi impediri non debet sive propter timorem, sive propter verecundiam : atqui, inter omnia loca corporis humani, maxime frons est manifesta, quæ quasi nunquam obtegitur; sed insuper timor et verecundia maxime manifestantur in fronte : unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt; ergo maxime convenit, quod in fronte signetur Chrismate, ut baptizatus manifeste demonstret se esse christianum, atque nec propter timorem, nec propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat. S. Th., 3 p., q. 72, a. 9.

11. — *Quæritur* 2° an Chrisma confici debeat ex *oleo olivarum* et *balsamo?*

Resp. affirmative. Id enim expresse docent fere omnia testimonia relata in præcedenti propositione. Equidem juxta Cajet., Soto, Navarrum, Valentiam, Vitassium, Tournely, Perrone, balsamum non est de necessitate Sacramenti; sed contrarium probabilius est, et hoc innuit decretum ad Armenos, atque ita sentiunt S. Thomas, Suarez, Bellarm., Layman, S. Ligor., et Catechis. Rom. Aliunde, certum est semper Ecclesiæ morem fuisse, ut balsamum cum oleo misceretur ad Chrisma conficiendum.

Et revera illa materia est maxime conveniens. In hoc enim Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale: porro 1. gratia Spiritus Sancti in oleo designatur; unde Christus dicitur unctus *oleo lætitiæ*, Ps. 44, propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit.

Oleum autem *olivarum* est de necessitate Sacramenti; siquidem hoc est oleum proprie et simpliciter dictum, et maxime in usu ubi haberi potest; dum quodlibet aliud non est nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum olivarum. Sed etiam oliva, semper frondibus virens, vigorem et misericordiam Spiritus Sancti melius significat.

2. Admiscetur balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios, et propter incorruptionem quam præstat; sicut confirmatus, per spiritualem pugnam, bonum odorem suarum actionum ad alios communicat, atque per hoc Sacramentum in se recepit virtutis incorruptionem seu constantiam; unde dicitur: *Christi bonus odor sumus;* II Cor. 2, ✝ 15. — *Quasi balsamum non mixtum odor meus;* Eccli. 24, ✝ 21.

Quare, cum hodie fere ubique et omnibus viis oleum olivarum et etiam balsamum adulterentur, summa diligentia curandum est, ut nonnisi genuinæ ac naturales hujusmodi materiæ ad hoc sacramentum adhibeantur.

12. — *Quæritur* 3° an Chrisma debeat *ab Episcopo esse benedictum* ad valorem Sacramenti.

Resp. affirmative. Constat ex perpetua Ecclesiæ Tradi-

tione, quam testantur Concilia Hispalense II, can. 7, et Carthag. II. Imo, etiamsi simplicibus aliquando Presbyteris sit concessa confirmandi potestas, id ea fuit lege concessum, ut Chrismate uterentur per Episcopum benedicto.

An autem S. Pontifex valeat Presbyteris concedere, ut Chrisma benedicant ad Confirmationem, cujus pro certo sunt ministri extraordinarii, si a S. Pontifice delegentur, disputatur. Sententia negans est communior, ait S. Ligorius, et hanc tenet S. Thomas. Plures vero affirmant, eo quod, sicut S. Pontifex potest concedere simplici Sacerdoti facultatem confirmandi, ex infra dicendis, ita etiam poterit benedictionem Chrismatis ei committere. Vide Benedict. XIV, *de Synod.* lib. 7, c. 8, n. 1, 2; Suarez, *de Confirm.*; Bouix, *de Episcopo*, t. 1, p. 39.

Tandem chrismatio fieri debet immediate manu Episcopi. Præscribit enim Pontificale Romanum, ut unctio fiat pollice Chrismate intincto, idque videtur perpetuo fuisse in Ecclesia servatum. Utrum autem sit de Sacramenti essentia, non satis constat inter Theologos.

PROPOSITIO II

13. — *Forma Confirmationis consistit in verbis unctioni Chrismatis correspondentibus.* Certum est.

In verbis, scilicet, quæ pronuntiantur ab Episcopo, dum unctionem in fronte confirmandi peragit, et quæ sic traduntur in decreto ad Armenos : « Forma autem (Confirmationis) est : *Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* »

Hæc propositio propugnatur ab iisdem auctoribus, qui præcedentem propositionem tenent, atque iisdem testimoniis probatur.

Et revera 1°, si certum est unam esse materiam totalem Confirmationis, nempe chrismationem per manum Episcopi adhibendam, consequenter una est forma, nimirum, quæ unctioni respondet. Unde Catech. Rom. dicit « hanc esse hujus Sacramenti *veram* et *absolutam formam;* » et addit

quod « Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, cujus magisterio ita semper edocti sumus, *non patitur nos ea de re quidquam dubitare.* »

2° Omnino conveniens est hujusmodi forma. Etenim forma ea omnia continere debet, quæ ipsius Sacramenti naturam et substantiam explicant : atqui in Confirmatione tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta. Scilicet, 1. per verba, *signo te signo crucis*, significatur quod, sicut miles insignibus ducis sui ornari solet, ita homo in hoc Sacramento cruce exterius, et charactere invisibili interius, tanquam signo militari Christi signatur. 2. Per verba, *confirmo te Chrismate salutis*, exprimitur quod homo in hoc Sacramento, instar athletæ, exterius Chrismate, interius vero Spiritus Sancti gratia et robore ungitur. 3. Per reliqua autem verba, *in nomine Patris*, etc., exprimitur causa principalis efficiens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est SS. Trinitas; simulque præcipuum fidei Christianæ mysterium, quod homo suscepit in Baptismo credendum, et in hoc Sacramento tenendum atque palam profitendum proponitur; S. Th., q. 72, a. 4; Catech. Rom. Ergo perfecte convenit forma prædicta.

Equidem non legitur quod Christus hanc formam instituerit, et ea usi fuerint Apostoli. Sed « multa servabant Apostoli, ait S. Th., in Sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita[1]. »

14. — Hinc 1° verba hujus formæ essentialia, sunt : 1. verbum *confirmo*, nisi alio verbo æquivalente suppleatur; 2. expressio *SS. Trinitatis*, sicut in Baptismo; 3. pronomen *te*, quo subjectum Sacramenti designatur; 4. verba, *signo te signo crucis*, necnon, saltem juxta plures, verba *Chrismate salutis*. Dicere autem *corroboro* pro *confirmo*, vel

1. « Consummativas invocationes (id est, verba quibus perficiuntur Sacramenta), non est justum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere; sed nostra Traditio sine pompa, id est, occulte eas edocet; » ita S. Dionys. *de Eccl. hier.* cap. ult. Unde et Apostolus dicit loquens de celebratione Eucharistiæ : *Cætera, cum venero, disponam.* I Cor. 11, ℣ 34.

sanctificationis pro *salutis*, esset mutatio accidentalis. S. Ligor. cum aliis communiter.

15. — Hinc 2° *signum crucis* est de necessitate Sacramenti, juxta S. Th., quem communiter sequuntur Doctores, ait S. Ligor. Exprimitur enim per verba essentialia formæ; et aliunde est signum in quo Rex noster triumphavit, et quo ideo insigniri debet miles Christi, ad idem spirituale certamen.

Cæterum, ex sententia communi Theologorum, valet hæc forma apud Græcos usitata : *Signaculum doni Spiritus Sancti*. Sensus est, *hoc signo donantur munera Spiritus Sancti*, omisso verbo, more Græcorum. Constat insuper ex declaratione Benedict. XIV, in Encycl. ad Episcopos ritus græci. SS. Trinitas autem, quæ in Ecclesia Latina invocatur post unctionem, in Græca invocatur antea in oratione præcedenti.

16. — Hinc 3° illud Sacramentum fuit *immediate* et quidem *in specie* a Christo institutum.

Jam probatum est in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 105, omnia Sacramenta novæ legis fuisse a Christo *immediate instituta*. Sed quædam difficultas superfuit circa Confirmationis institutionem *in specie* a Christo, eo quod præsertim, juxta plures, varius videretur usus circa materiam et formam in Ecclesia Latina et Græca : porro, ex duplici propositione præcedenti, una et eadem est sive materia, sive forma Confirmationis in utraque Ecclesia; ergo tollitur præfata difficultas, ac proinde eadem certitudine constat hujus Sacramenti institutio in specie a Christo.

CAPUT III

DE CONFIRMATIONIS EFFECTIBUS

Duo sunt præcipui Confirmationis effectus : 1. character militiæ spiritualis; 2. augmentum gratiæ sanctificantis ad fidem etiam coram tyrannis libere profitendam.

PROPOSITIO PRIMA

17. — *Per Sacramentum Confirmationis imprimitur character.* De fide est.

Constat ex dictis in Tract. *de Sacram. in genere*, ubi probata sunt existentia, effectus, natura ac perpetuitas illius characteris, n. 84-100.

Videlicet, per characterem confirmationis, qui per characterem Baptismi jam factus est membrum Christi ac civis societatis catholicæ, fit miles ejusdem societatis ac ducis Christi; magis susceptivus aliorum sacramentorum, ac præsertim Ordinis, quatenus civis per se fit miles, antequam dux evadat in spirituali militia; jus acquirit ad efficaciores gratias in certando pro fide; contrahit strictiorem obligationem militiæ spiritualis per illis gratiis cooperationem; interius configuratur ac in perpetuum consecratur Christo ubi supremo duci militiæ spiritualis; et ex illa interiori consignatione ac sigillo, distinguitur a quolibet alio Ecclesiæ membro; et ratione ejusdem sigilli perpetui, iterum recipi nequit illud sacramentum. S. Th. 3 p. q. 72, a. 5.

PROPOSITIO II

18. — *Confirmationis sacramentum confert per se secundam gratiam ex opere operato.* De fide est.

Constat ex dictis in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 63-65.

Finis autem illius gratiæ est baptizatum roborare ad spiritualem pugnam, ac proinde eidem conferre jus ad recipiendas tempore opportuno gratias actuales, quarum ope baptizatus audacter Christi nomen confiteatur, ejusque vitam imitari, ac sectari doctrinam non erubescat.

Quare, qui unctus et confirmatus est, ut meminerit se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab Episcopo cæditur. Postremo pax ei datur, ut intelligat se gratiæ cœlestis plenitudinem et pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consecutum esse.

Unde, datur quidem in Baptismo Spiritus Sanctus cum

ipsius donis, sed non in tanta plenitudine, nec in ordine ad eosdem fines. Namque, ut ait S. Eucherius Lugdunensis, *Homil.* in diem Pentecostes : « In Baptismo *regeneramur ad vitam;* post Baptismum *confirmamur ad pugnam :* In Baptismo *abluimur;* post Baptismum *roboramur.* » — « Qui enim per Baptismum Christiani effecti sunt, quasi *infantes modo geniti* teneritatem adhuc et mollitiem quamdam habent. At deinde, Chrismatis Sacramento, adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus *robustiores* fiunt, et eorum animus *in fide omnino confirmatur,* ad confitendum et glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi : ex quo etiam nomen ipsum inventum esse nemo dubitarit. » Catech. Rom.

De *donis* autem Spiritus Sanctis, quæ per hoc Sacramentum modo abundantiori infunduntur, jam diximus in Tractatu *de Gratia,* n. 319 et seq.

An confirmatio effectum gratiæ habeat recedente obice, dictum est in Tract. *de Sacram. in genere,* n. 78.

19. — *Quæritur* an hoc Sacramentum majorem gratiam habitualem conferat, quam Baptismus?

Resp. Affirmant non pauci contra quosdam. SS. Patres enim dicunt per hoc Sacramentum conferri homini christiano perfectionem, qua homo comparatur post Confirmationem ad seipsum tantum baptizatum, sicut *vir* ad *puerum.* Unde, ex S. Th., hoc Sacramentum Episcopis reservatur propter *potiorem* effectum, quia in illo datur septiformis gratia Spiritus Sancti, cum omni plenitudine sanctitatis, scientiæ et virtutis; 3 p., q. 72, a. 11; propterea idem S. Doctor dicit ratione perfectionis Confirmationem superare Baptismum. Eadem ratione, juxta Melchiadem Papam, hoc Sacramentum « majori veneratione venerandum et tenendum est, ac Baptismus. » Ita etiam Suarez, disput. 34, sect. 2.

CAPUT IV

DE CONFIRMATIONIS MINISTRO

Duplex est Confirmationis minister, ordinarius, et extraordinarius. Ordinarius minister est Episcopus vi characteris episcopalis; extraordinarius autem, est sacerdos vi characteris sacerdotalis simul et delegationis a S. Pontifice concessæ.

PROPOSITIO PRIMA

21. — *Minister Confirmationis ordinarius est solus Episcopus*. De fide est.

Prob. 1° *Script.*, ex qua patet solos Apostolos fuisse hujus Sacramenti ministros; Act. c. 8 et 19 : porro Episcopi vicem Apostolorum tenent in Ecclesia, ut habetur in decreto ad Armenos; ergo, etc.

2° *Traditione.* « De *consignandis* infantibus manifestum est, *non ab alio quam ab Episcopo fieri licere*... *Solis* Pontificibus deberi, ut vel *cônsignent*, vel *Paracletum Spiritum tradant*, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, etc. » Innoc. I, Epist. *ad Decent.* — « Si quæris quare in Ecclesia baptizatus, *nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum*... disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. » S. Hieron., *adv. Lucifer.*

Idem sic definivit Conc. Trid. : « Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis *ordinarium ministrum non esse solum Episcopum,* sed quemvis simplicem Sacerdotem : anathema sit. » Sess. 7.

3° *Ration. theol.* In quolibet opere ultima consummatio supremo artifici reservatur; epistola, quæ a notario scribitur, signatur a domino; ad ducem spectat milites recipere et consignare : atqui per Baptismum homo fit *Dei ædificatio, epistola Spiritu Dei scripta,* civis Ecclesiæ; in Confirmatione autem, illa domus ædificata dedicatur in templum

Spiritus Sancti ; illa quasi epistola conscripta signatur signo crucis ; ille civis in militem recipitur et consignatur ; ergo hoc Sacramentum debuit reservari Episcopis, qui sunt supremi artifices, principes atque duces in Ecclesia. S. Th., q. 72, a. 11.

PROPOSITIO II

22. — *Sacerdos, ex delegata Sedis Apostolicæ auctoritate, potest esse extraordinarius Confirmationis Minister.* Certum est.

Constat *ex praxi* Ecclesiæ : « Pervenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere eos qui baptizati sunt, prohibuimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut *Presbyteri etiam in frontibus baptizandos Chrismate tangere debeant, concedimus;* » S. Gregor. *Epist.* 26. Quod factum indicari videtur in decreto ad Armenos, his verbis : « Legitur tamen aliquando *per Apostolicæ Sedis dispensationem*, etc. »

Et vero, in Ecclesia Romana quotidie facultas confirmandi simplicibus committitur Presbyteris missionariis, ad regiones longinquas proficientibus, vel ibi ministerium Apostolicum jam exercentibus. Quare ; « Non videtur hodie fas esse potestatem de qua olim disputabatur, summo Pontifici abjudicare, » ait Benedict. XIV, *de Synod. diœc.*, lib. 7, c. 7.

Apud Græcos schismaticos, presbyteri Confirmationem statim post Baptismum conferre solent. At Benedict. XIV, in Bulla *Etsi pastoralis,* ad Episcopos ritus græci, declarat quod « omnes Confirmationem recipientes a presbyteris græcis, invalide confirmentur, » ea profecto ratione quod S. Pontifex eis essentialem ad hoc delegationem deneget.

23. — Hinc fundamentum illius potestatis est sacerdotium, ita tamen ut solus character sacerdotalis per se non sufficiat, sed essentialis sit delegatio a S. Pontifice, ut expresse docet Benedict. XIV, *de Synod.* lib. 7, c. 8.

Confirmatio igitur data a Sacerdote non legitime delegato, invalida est; a fortiori si daretur a Diacono, quem

Ecclesia ad hoc delegare nequit. Quæ autem delegatio a solo S. Pontifice nunc conferri potest; siquidem Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit, inquit Benedict. XIV, *ibid.* An autem posset Episcopus simplicem sacerdotem ad hoc deputare, si bene facultatem non sibi reservasset S. Pontifex, disputatur. Vide Benedict. XIV., *ibid.*, c. 8.

24. — *Quæritur* quænam sint ministri Confirmationis obligationes?

Resp. Juxta omnes, graviter peccat Episcopus, si per longum tempus non confirmet; atque, juxta communiorem sententiam, adest longum tempus, si Episcopus per octo vel decem annos differat circumire, saltem per loca præcipua, nisi excuset moralis impossibilitas. Probabilis est sententia, quæ tenet Episcopum, ne sub levi quidem obligari ad confirmandum moribundum petentem; S. Ligor., lib. 6, n. 175.

2° Episcopus in aliena diœcesi confirmans, etiam subditos suos, graviter peccat, et suspensionem a Pontificalibus ipso facto incurrit. In sua autem diœcesi personas extraneas licite confirmare potest, ex usu communi, et ex decis. S. Congr. Episc., 27 jun. 1832.

3° Omni loco, hora ac die administrari potest confirmatio, cum vestibus sacris ac cæremoniis in Pontificali præscriptis. Vide *Institutiones canonicas,* Tract. 4, n. 49.

4° Parochi jus est et obligatio non solum pueros præparare ad digne suscipiendum confirmationis Sacramentum, sed et judicare de eorumdem sufficientibus dispositionibus, atque eligere eos, qui ad illud Sacramentum debent aut possunt accedere. Vide *Institut. canonicas,* Tract. 5, n. 198.

CAPUT V

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS

PROPOSITIO

25. — *Omnis et solus homo baptizatus confirmari potest.* Certum est.

1° *Omnis* homo baptizatus, et constat tum ex praxi olim vigenti conferendi statim post Baptismum omnibus confirmationem; tum etiam ratione, quia quilibet baptizatus capax est effectus hujus Sacramenti, qui est gratiæ robur.

2° *Solus* homo baptizatus. Nam Baptismus est aliorum Sacramentorum janua, et per characterem baptismalem homo redditur habilis ad alia Sacramenta suscipienda, ex dictis in Tract. *de Bapt.*, n. 53.

Licet olim Confirmationis Sacramentum statim post Baptismum, absque ullo ætatis discrimine, cuilibet conferretur, nihilominus tamen infantes, antequam rationis usum attigerint, nunc non solet Ecclesia Romana confirmare tum propter majorem Sacramenti reverentiam; tum ut Sacramenti suscepti recordetur confirmatus, sicque illius iterationem impediat; tunc ut, cum propria dispositione accedens, uberiores etiam ex opere operato gratias consequatur. « Quare, ait Catech. Rom., si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit. » Ita etiam Benedict. XIV, Bulla *Eo quamvis*, 1745. Attamen, adhuc hodie licet confirmare pueros ante usum rationis ex gravi causa v. g., si Episcopus deberet per longum tempus a sua diœcesi abesse, vel si puer esset in periculo mortis, aut ex alia simili ratione. Licite etiam confirmari possunt perpetuo amentes. S. Ligor., lib. 6, n. 178, 180.

Consuetudo etiam viget in universali Ecclesia Confirmationem administrandi ante primam communionem, ut veniens Dominus Jesus paratam sibi inveniat mansionem. Attamen in Gallia ab initio præsenti seculi usus invaluit illud Sacramentum conferendi nonnisi post primam communionem : quod non probandum videtur.

26. — *Quæritur* 1° quænam requirantur *dispositiones* ad dignam Sacramenti hujus *susceptionem?*

Resp. 1. In infante, qui nondum rationis usum adeptus est, nulla alia requiritur dispositio præter Baptismum valide susceptum; quia tunc Sacramentum, cum nullus afferatur obex, effectum suum producit.

2. In adultis requiritur intentio, conscientiæ puritas, sufficiens cognitio doctrinæ christianæ, præsertim de iis quæ spectant Sacramenta Confirmationis et Pœnitentiæ. Sufficit autem intentio virtualis, ut explicatum est in Tract. *de Sacram, in genere*, n. 146. Si vero illud Sacramentum reciperetur in statu peccati mortalis, imprimeretur nihilominus character, ac, recedente peccato, probabilius reciperetur gratia Sacramenti, ex dictis, *ibid.*, n. 78. Si quis sit peccati mortalis conscius, elicere debet actum perfectæ contritionis, vel confessionem Sacramentalem cum absolutione præmittere ad confirmationem. Non requiritur quod sit jejunus.

27. — *Quæritur* 2° qualis sit Confirmationis *obligatio?*
Resp, 1. Non est obligatio de necessitate medii ; nam, Baptismus aut Pœnitentia sufficit ad remissionem peccatorum et vitam æternam consequendam.

2. Est obligatio *sub gravi* de necessitate præcepti divini, saltem decurrente vita, et data opportuna occasione. « Monendi sunt, ait Benedict. XIV, (qui non sunt confirmati) ab Ordinariis locorum, eos *gravis peccati reatu teneri,* si, cum possunt ad Confirmationem accedere, illam negligunt ac renuunt : » et alibi idem S. Pontifex addit : « *gravem culpam* parochis, parentibus, dominis ac tutoribus inesse *certum est,* qui sibi subjectos non *vehementer* stimulant, ut Sacramento Confirmationis, cum fert occasio, confirmentur ; » in Bulla *Etsi pastoralis,* ad Episc. ritus græci, et *Inst. Eccl.* 6.

Et revera, ut ait Catech. Rom., « quod omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam *summo studio* expetendum est... » Unde : « communis omnium mater Ecclesia Catholica *vehementer* optat ut in eis, quos per Baptismum regeneravit, christiani hominis forma perfecte absolvatur. »

28. — Conc. Trid. et Pontificale Rom. exigunt patrinum ad Confirmationem ; atque contraria consuetudo reprobata est a S. Officio, an. 1879.

Unus tantum adhiberi debet patrinus; ejusdem sexus a persona confirmanda; diversus a patrino Baptismi, nisi aliqua sit causa in contrarium; confirmatus, alioquin iste peccaret, patrini officium suscipiendo, nec probabilius contraheret cognationem spiritualem; patrinus esse nequit religiosus, nec monialis, nisi persona confirmanda pariter sit regularis. Sufficit ut patrinus manum dextram super humerum confirmandi ponat. S. Ligor. lib. 6, n. 185-87 Episcopus confirmans patrini officium simul gerere non potest nisi per procuraroreṁ, ex decis. S. Congr. Rit 14 jun. 1873. Quando confirmandus est puer, designatio patrini pertinet ad parentes, et in eorum defectu ad Episcopum.

FINIS TRACTATUS DE CONFIRMATIONE

TRACTATUS

DE SS. EUCHARISTIA

DECLARATIONES, CANONES CONC. TRID.

DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO, *Sess. XIII.*

CAP. 1. *De reali præsentia D. N. Jesu Christi in SS. Eucharistiæ Sacramento.*

1. — Principio docet sancta Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis et vini consecrationem *Dominum nostrum Jesum Christum,* verum Deum atque hominem, *vere, realiter ac substantialiter sub specie* illarum rerum sensibilium *contineri :* nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dextram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem; et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione quam, etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus.

Ita enim majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse; cum, post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est, quæ verba a sanctis Evangelistis comme-

morata, et a D. Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt; indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad *fictitios* et *imaginarios tropos*, quibus *veritas carnis et sanguinis Christi negatur*, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri : quæ tanquam columna et firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est, grato semper et memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

CAP. 2. *De ratione institutionis sanctissimi hujus Sacramenti.*

2. — Ergo Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens et mirabilium suorum, et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit; suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. *Sumi* autem voluit Sacramentum hoc, tanquam *spiritualem animarum cibum*, quo *alantur* et *confortentur* viventes vita illius, qui dixit : « Qui manducat me, et ipse vivet propter me : » et tanquam *antidotum*, quo liberemur a *culpis quotidianis*, et a peccatis *mortalibus præservemus*. *Pignus* præterea id esse voluit futuræ nostræ *gloriæ*, et perpetuæ felicitatis, adeoque *symbolum unius illius corporis*, cujus *ipse caput* existit, cuique *nos*, tanquam *membra* arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit; ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

CAP. 3. *De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua Sacramenta.*

3. — Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem.. Verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; ut in Eucharistia *ipse sanctitatis auctor* ante usum est : nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse, quod præbebat, et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post

consecrationem *verum Domini* nostri *corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie* una cum ipsius *anima et divinitate existere;* sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie et vi verborum : ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur : divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, *tantumdem* sub *alterutra specie* atque sub *utraque contineri; totus* enim et *integer* Christus, sub *panis specie*, et sub *quavis* ipsius speciei *parte; totus* item sub *vini specie,* et sub *ejus partibus* existit.

CAP. 4. *De Transsubstantiatione.*

4. — Quoniam autem Christus Redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini *conversionem* fieri *totius substantiæ* panis *in substantiam corporis* Christi Domini nostri, et *totius substantiæ vini* in *substantiam sanguinis ejus;* quæ conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia *transsubstatiatio* est appellata.

CAP. 5. *De cultu et veneratione huic sanctissimo Sacramento exhibendo.*

5. — Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, *latriæ cultum*, qui vero Deo debetur, huic *sanctissimo Sacramento* in veneratione *exhibeant.* Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eumdum Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit : « Et adorent eum omnes Angeli Dei; » quem Magi procidentes adoraverant; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur.

Declarat præterea sancta Synodus, pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et

venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem, pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentatur. Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere; ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

CAP. 6. *De asservando sacræ Eucharistiæ Sacramento, et ad infirmos deferendo.*

6. — Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam seculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, et hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquam quod cum summa æquitate et ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, et vetustissimo catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit.

CAP. 7. *De præparatione quæ adhibenda est, ut digne quis sacram Eucharistiam percipiat.*

7. — Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe, quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo, diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : « Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini. » Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : *Probet* seipsum homo. »

Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacra-

mentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpétuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris; quod si, necessitate urgénte, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

CAP. 8. *De usu admirabilis hujus Sacramenti.*

8. — Quoad usum autem, recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt; quosdam enim docuerunt *sacramentaliter duntaxat* id sumere, ut peccatores: alios *tantum spiritualiter*, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt; tertios porro *sacramentaliter simul* et *spiritualiter*; hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant. **In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia** Dei **mos fuit, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes** autem **celebrantes seipsos communicarent; qui mos**, tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.

Demum autem paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent, **memoresque tantæ Majestatis**, et **tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ** salutis pretium, et carnem suam nobis dedit **ad** manducandum; hæc sacra mysteria corporis et sanguinis ejus, ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem *frequenter suscipere possint;* et is vere eis sit animæ vita, et perpetua sanitas menti; cujus vigore confortati ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur et refellantur errores; placuit Sanctæ Synodo hos Canones subjungere, ut omnes jam agnita Catholica doctrina,

intelligant quoque, quæ ab illis hæreses caveri vitarique debeant.

CANONES

9. — Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute : A. S.

10. — Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime *Transsubstantiationem* appellat : A. S.

11. — Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri : A. S.

12. — Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini : A. S.

13. — Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus pervenire : A. S.

14. — Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras : A. S.

15. — Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus

necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur : A. S.

16. — Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter ac realiter : A. S.

17. — Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ : A. S.

18. — Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare : A. S.

19. — Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum; A. S.

Et, ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment habita copia confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando, defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

DOCTRINA DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE, ET PARVULORUM. *Sess. XXI.*

CAP. 1. *Laicos, et Clericos non conficientes, non adstringi jure divino ad communionem sub utraque specie.*

20. — Itaque sancta ipsa Synodus, a Spiritu Sancto, qui Spiritus est sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et pietatis, edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto laicos et clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius specie Communio ad salutem sufficiat. Nam etsi, Christus Dominus in ultima Cœna venerabile hoc Sacramentum in panis et vini speciebus instituit, et Apostolis tradidit; non tamen illa institutio et tradi-

tio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino præceptam esse, utcumque juxta varias Sanctorum Patrum, et Doctorum interpretationes intelligitur. Namque, qui dixit : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; » dixit quoque : « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. » Et qui dixit : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; » dixit etiam : « Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » Et denique, qui dixit : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo; » dixit nihilominus : « Qui manducat hunc panem vivet in æternum.

CAP. 2. *Ecclesiæ potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiæ.*

11. — Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait : « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei; » atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum, « Cætera, inquit, cum venero, disponam. » Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime jam immutata illa consuetudine gravibus et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit : quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libitu mutare, non licet.

CAP. 3. *Totum et integrum Christum, ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi.*

12. — Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, in suprema illa Cœna hoc Sacramentum in

duabus speciebus instituerit, et Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

CAP. 4. *Parvulos non obligari ad Communionem Sacramentalem.*

23. — Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illà ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

CANONES.

24. — Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere : A. S.

25. — Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicarent, aut in eo errasse : A. S.

26. — Si quis negaverit, totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur : A. S.

27. — Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem : A. S.

OBJECTUM, UTILITAS, ET DIVISIO TRACTATUS

28. — Unigenitus Dei Filius, ut hominum salutem per seipsum operaretur, naturam humanam ineffabiliter sibi conjunxit, atque in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri. Ut autem tanti beneficii jugis in nobis remaneret memoria, atque ejusdem mysterii, in quantum fieri potest, nos participes faceret, Jesus Christus corpus suum in cibum et sanguinem suum in potum, sub specie panis et vini sumendum, fidelibus dereliquit: sicque voluit ineffabili quodam modo usque ad *societatem germanissimam* unumquemque hominum sibi conjungere, ut ait S. Cyprianus.

Igitur, si considerentur majestas Christi in hoc Sacramento existentis, admirabilis modus et extranaturalia, quæ in hoc perficiendo mysterio interveniunt, fructus etiam et utilitas ejus, ita inter cætera eminet, ut sit *consummatio et perfectio omnium Sacramentorum*. Tract. *de Sacram. in genere;* n. 30.

Nulla proinde gravior alicujus sceleris animadversio a Deo metuenda, inquit Catech. Rom., quam si res, quæ ipsum sanctitatis Auctorem et fontem continet, neque sancte, neque religiose a ministris et a fidelibus tractetur. Itaque, ut omnes huic cœlesti Sacramento divinos honores tribuant, et gratiæ uberrimos fructus capiant, diligentissime exponenda sunt, quæ ad illud pertinent.

Quoniam vero Christus non solum illud Sacramentum instituit, ut totum se daret *escam timentibus se;* sed etiam ut Deo Patri victimam seipsum in perpetuum offerret, divina Eucharistia Sacramenti simul et Sacrificii habet rationem. Unde in duplicem partem dividitur præsens Tractatus, quarum prima erit de Eucharistiæ Sacramento; secunda, de Sacrificio Eucharistiæ[1].

1. Circa Tractatum *de Sacramento SS. Eucharistiæ*, consuli possunt, pro *prima* parte, Catechismus Rom. 2 p., *de Sacram. Euchar.* — S. Th., qui perbelle de hoc Sacram. locutus est, præsertim in *Sum. Theol.* 3 p. q. 73 et seq. : *Cont. Gentes*, lib. 4, c. 61 et seq. — Suarez, *de Sacram. Euchar.*; — De Lugo, *de Euchar. Sacram.*, S. Ligor. lib. 6; — Bossuet, *Médit. sur l'Evang.*, *de la Cène;*

PARS PRIMA

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

Dicemus de Eucharistiæ 1° notione; 2° existentia; 3° materia et forma; 4° effectibus; 5° ministro; 6° subjecto: 7° necessitate.

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

29. — *Quæritur* 1° quid sit Eucharistiæ Sacramentum quoad *nomen?*

Resp. Sacramentum Eucharistiæ variis nominibus appellatur : scilicet, 1. ratione *actionis*, qua conficitur, vocatur *Eulogia* seu Benedictio, quia Christus, in consecranda Eucharistiæ, benedictionem adhibuit; 2. ratione *materiæ* ex qua conficitur, *panis*, *panis cœlestis*, *mysticus*, *dominicus*, *supersubstantialis*, *panis Angelorum*; 3. ratione *temporis* institutionis, *cœna Dominica*, *Pascha*, *Novi Testamenti sacramentum*; 4. ratione *loci* institutionis, consecrationis aut susceptionis, *Mensa Domini*, *Sacramentum altaris*, *Agapa* seu dilectio; 5. ratione *rei contentæ*, *Corpus Domini*, *Sacramentum corporis* et *sanguinis Domini*, *Sacramentum Sacramentorum*, *SS. Sacramentum*; 6. ratione *suscipientium*, *Sinaxis* seu collectio, *sacramentum fidelium*, *fractio panis*;

— Bourdaloue, *Serm. sur le T. S. Sacrement*, *sur la Communion Pascale*, *Essai d'octave du Saint Sacrement.*

Pro *Secunda* parte, S. August. *de Civit.* lib. 10, c. 10; 17, c. 20; 18, c. 35; 19, c. 23; 22, c. 8; — S. Chrysost., *de Sacerdotio*; — Catechism. Rom., *ibid.*; — Suarez, *ibid.*, disput. 78 et seq.; — De Lugo, *ibid.*, disput. 19 et seq.; — Benedict. XIV, *de SS. Missæ Sacrificio*; — S. Ligor. *ibid.*; — Bona, *de Sacrificio Missæ Tract. asceticus*; — Bossuet, *ibid.*, *Médit.* 57 et seq., *Explication de quelques difficultés sur les prières de la messe*; — Bourdaloue, *Serm. sur le sacrifice de la Messe*; — Collet, *Traité des SS. Mystères*; — D. Olier, *Traité des SS. Ordres*, 3° p.; — DD. Rosset, *de SS. Euchar. mysterio.*

7. ratione *effectuum, Communio, Viaticum, Eucharistia*. *Communio* quidem, quia omnes fideles tanquam ejusdem corporis membra inter se connectit, eosdemque Christo Domino illorum capite arctissime conjungit, ut in eo maneant, et ipse in eis. — *Viaticum*, præsertim quando periculose ægrotantibus defertur, quia in hujus vitæ deserto peregrinantes, hoc sacramento confortati et recreati, validius et securius ad cœlestem Jerusalem perveniunt. — *Eucharistia*, seu *bona gratia, gratiarum actio* : tum quia Christus gratias agendo illud instituit; tum quia in hoc Sacramento gratias uberrimas, imo ipsum gratiarum fontem in nobis recipimus; tum denique quia per idem Sacramentum gratias Deo dignas pro cunctis ipsius beneficiis referre possumus.

30. — *Quæritur* 2° quid sit Eucharistiæ Sacramentum quoad *rem*?

Resp. Eucharistiæ Sacramentum definitur : *Signum a Christo permanenter institutum ad producendam gratiam per modum alimoniæ spiritualis, et in quo Christus vere, realiter et substantialiter continetur sub speciebus panis et vini.*

1 : *Signum a Christo permanenter institutum ad producendam gratiam*; in hoc Eucharistia convenit cum aliis Sacramentis novæ legis.

2 : *Per modum alimoniæ spiritualis*; in hoc consistit effectus Eucharistiæ proprius.

3 : *In quo Christus vere, realiter et substantialiter continetur*; quibus exprimitur elementum omnino speciale et superexcellens, soli Eucharistiæ proprium, scilicet, præsentia corporis Christi, quæ *vera* est et non tantum in figura. *realis* et non solum per fidem, *substantialis* et non in virtute tantum.

4 : *Sub speciebus panis et vini*; quibus quatuor innuuntur, nempe, tum materia remota, seu panis et vinum; tum materia proxima, id est, species panis et vini, sub quibus latent corpus et sanguis Christi; tum modus transsubstantiationis, qua tota substantia panis et vini convertitur in substantiam corporis et sanguinis Christi; tum denique

forma seu verba consecratoria, quibus fit illa transsubstantiatio.

31. — *Quæritur* 3° an et quænam sint *figuræ* Eucharistiæ?

Resp. Conveniens fuit Sacramentum hoc præfigurari priusquam fieret, tum ad ejus majestatem commendandam, tum quia, cum esset creditu difficillimum, paulatim tradi et prædici oportuit. Unde Conc. Trid., n. 158, ut certum tradit præcessisse varias figuras hujus Sacramenti. Quæ autem figuræ significant vel Sacramentum tantum seu species panis et vini, vel effectum spiritualem, vel rem contentam seu Christum, vel hæc omnia simul. Porro

1° *Figuræ specierum* fuere ; oblatio Melchisedech, Gen. 14; panes propositionis, de quibus soli mundi edere poterant, Levit. 23, I Reg. 21; panis primitiarum, Exod. 23; panis subcinericius Eliæ, III Reg. 19. Eodem sensu per figuram prædixit hoc mysterium David, Ps. 115, dicens : *Quid retribuam Domino?... Calicem salutaris accipiam*, etc.; et Ps. 22 : *Calix inebrians quam præclarus est!* Similiter quinque panes ex quibus Christus multitudinem satiavit, et vinum ex aqua miraculose creatum, sunt figuræ illius Sacramenti, ex S. Cypr.

2° *Figura effectus* spiritualis fuit manna præsertim. Namque 1. datum est hominibus peregrinantibus in deserto, ut possent ad terram promissam pergere; 2. habebat omnem saporis suavitatem; 3. licet varii varias mensuras colligerent, eamdem postea inveniebant; 4. fuit cibus de cœlo missus, et qui optime nutriebat: quæ autem perfecte significant effectum et excellentiam Eucharistiæ; 5. denique expositum fuit dubitationi, Ps. 77, ℣ 19 : *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* et contradictioni, Num. 21, ℣ 5 : *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Pariter Judæi de hoc Sacramento dixerunt : *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?* Joan. 6, ℣ 7. Eodem sensu figura fuit hujus effectus, lignum vitæ quod erat in Paradiso ad conservandam vitam.

3° *Figuræ Christi contenti* sub speciebus, censentur

fuisse omnia sacrificia legis naturæ et Mosaicæ, quorum plura immediate significaverunt sacrificium Christi cruentum, ex S. Paulo, Hebr. 9. Quia vero, cum hoc Sacramentum conficitur, simul offeratur sacrificium, quod est memoriale sacrificii incruenti, et quidem per eumdem offerentem et oblatum, ideo dicitur hoc Sacramentum, quoad rem contentam, fuisse in illis sacrificiis præfiguratum.

4° *Figura horum omnium* fuit Agnus paschalis. Etenim 1. Agnus significabat Christum, non solum ut hostiam, sed etiam ut cibum, siquidem præcipiebatur agnus ille immolari et comedi; 2. sanguis vero ejus effectum Redemptionis Christi per quem, devastante Angelo, protecti et a servitude Ægyptiaca erepti sumus; 3. panis azymus, materiam hujus Sacramenti; 4. una domus, Ecclesiam, quæ hoc Sacramento perficitur, et in se et cum Christo magis ac magis unitur: et ideo in illa sola hæc hostia offerenda est, et distribuendus hic cibus, ne sanctum canibus tribuatur; 5. tandem modus, quo illum Agnum manducare debebant Judæi, nimirum, cum azymis et lactucis agrestibus seu amaritudinibus, renibus accinctis, calceamentis in pedibus, in manibus baculo, atque festinanter comedentes, significabat dispositiones quibus verus Agnus paschalis debet a Christianis comedi.

Quæ commentaria a SS. Patribus traduntur, ut videre est apud Suarez, q. 73, a. 6.

CAPUT II

DE EXISTENTIA EUCHARISTIÆ

Dicemus 1° de existentia Sacramenti Eucharistiæ; 2° de reali præsentia Christi in Eucharistia; 3° de modo illius præsentiæ realis; 4° de tempore institutionis.

ARTICULUS PRIMUS

De existentia Sacramenti Eucharistiæ.

Negant Sociniani et Protestantes Eucharistiam esse signum per se efficax gratiæ a Christo permanenter institutum. Contra sit

PROPOSITIO

32. — *Eucharistia est vere et proprie Sacramentum novæ legis.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « *Panis* quem ego dabo, caro mea est *pro mundi vita.* — Qui manducat *hunc panem, vivet in æternum*... Accepit Jesus *panem*, et benedixit ac fregit... et ait : *Hoc facite in meam commemorationem.* » Joan. 6, ✝ 52, 59 ; Matth. 26, ✝ 26 ; Luc. 22, ✝ 19.

Unde Sic : ad sacramentum novæ legis tria requiruntur et sufficiunt, scilicet, signum, et quidem gratiæ efficax, a Christo permanenter institutum : atqui, ex allatis verbis, adest signum seu panis aut potius species panis et vini, quod dat vitam spiritualem seu gratiam, a Christo institutum ut indefinite ab Apostolis adhibendum ; ergo illud signum est Sacramentum novæ legis.

2° *Traditione.* Testimonia SS. Patrum infra referemus. Quorum doctrinam contrahit Conc. Trid., cum definit « septem esse in nova lege Sacramenta, videlicet, Baptismum, Confirmationem, *Eucharistiam*, etc. » Vide Tract. *de Sacram. in genere*, n. 2, 29.

3° *Congruentiis.* 1. Vita spiritualis corporali vitæ conformatur ; corporalia enim spiritualium similitudinem gerunt : porro ad vitam corporalem requiritur communicatio vitæ per generationem, perfectio vitæ per augmentum, et conservatio per alimentum : ergo et ad vitam spiritualem, oportuit esse Baptismum ad generationem spiritualem, Confirmationem ad augmentum quo perficitur generatio, Eucharistiam ad alimentum. S. Th. 3 p., q. 73, a. 1,

2. Lex Evangelica, quatenus perfectissima et plenitudinem gratiæ in se continens, debuit augmentum et conservationem gratiæ conferre omnibus modis vel necessariis,

vel humanæ fragilitati accommodatis : porro ex his unus ac præcipuus est, ut per modum cibi et potus spiritualis homines nutriri possint, et ab innumeris periculis defendi; ergo, etc.

Hæc thesis roborabitur omnibus testimoniis et congruentiis, ad demonstrandam realem Christi præsentiam in subsequenti articulo afferendi.

33. — Hinc Eucharistia, quamvis sub duabus speciebus panis et vini physice existat, *moraliter* tamen, seu ratione significationis et causalitatis, *unum specifice efformat Sacramentum*.

Nam quodlibet Sacramentum dicitur unum, in quantum multa, quæ sunt in uno Sacramento, adunantur ad unum significandum, vel causandum : porro duæ species Eucharistiæ unum integrum signum rei et effectus spiritualis componunt, 1. ratione *præteriti* seu sacrificii cruenti, quod unicum fuit, nec perfecte significari potest nisi per utramque speciem, ut infra dicetur. 2. Ratione *contenti* seu Christi, qui non solum unus et idem sub utraque specie continetur, sed etiam quatenus carne et sanguine constans, ex utraque specie integre repræsentatur. 3. Ratione *gratiæ*, quæ significatur per modum convivii et refectionis spiritualis per analogiam ad corporalem. Hæc autem non consistit in cibo vel potu, sed utrumque requirit; ergo et illa per cibum et potum complete significatur. 4. Ratione *gloriæ*, cujus hoc Sacramentum est pignus, scilicet, per utramque speciem magis expresse indicatur plena satietas et sufficientia, quæ futura est in æterna beatitudine.

Et vero, talis unitas in Sacramentis requiritur, qualis in rebus vel signis artificialibus inveniri solet : porro in his invenitur unitas non physica, sed qualis necessaria est ad rei perfectionem et finem; v. g., in domo, in convivio, in exercitu, in oratione, sufficit unitas moralis, rei perfectione et fine constituta.

Tandem Concilia et Sancti sæpe loquuntur de Eucharistia tanquam de uno Sacramento; et, alias, plura essent quam septem Sacramenta, contra Concil. Flor. et Trid.

ARTICULUS II

De reali præsentia Christi in Eucharistia.

54. — *Quæritur* quinam erraverint cira dogma præsentiæ realis?

Resp. Capharnaitæ et quidam discipuli Domini hujusmodi præsentiam impossibilem reputarunt, dum Christus eam promitteret; Joan. 6, ℣ 61.

Eamdem indirecte negarunt omnes illi, qui veritatem Incarnationis rejecerunt; vide Tract *de Incarn.*, n. 56-67.

Idem dogma impugnarunt Docetæ, ut refert S. Ignatius, Epist. *ad Smyrn.*, n. 8; Scotus Erigena, mortuus circiter an 884, qui primus directe in hoc erravit, juxta Lanfrancum; Berengarius, Turonibus oriundus, Andegavensis archidiaconus, et scholasticus apud Turones, quem primum hujus hæresis auctorem appellat S. Th. 3 p., q. 75, a. 1. Novem adunata sunt concilia tum in Gallia, tum in Italia, contra hæresim Berengarii, qui eam pluries abjuravit, ut deinde ad suum vomitum rediret; certum tamen videtur quod catholicus obierit, an. 1088.

Eamdem hæresim renovarunt Petrus de Bruis, in provincia Arelatensi, an. 1126, et ejus discipulus Henricus, quos S. Bernardus doctrina, sanctitate et miraculis confutavit; Almaricus, parisiensis doctor, quem damnavit Conc. Later IV, an. 1215, c. 1, tit. 1, lib. 1 Decret. Fratricelli, damnati a Conc. Viennensi, an 1311; Viclefus et Joannes Hus, profligati a Conc. Constansiensi, an. 1418, sess. 8.

Carlostadius hæresim Joannis Hus et Viclefi iterum seminavit, dicendo Christum nonnisi in figura esse in Eucharistia. Huic adstipulatus est Zuinglius, qui verbum *est* in formula consecrationis per verbum *significat* traduxit, eo quod, ut aiebat, ipse Christus per verba *Caro non prodest quidquam,* etc., realem suiipsius præsentiam rejecit. Idem virus propinavit Bucerus apud Argentinenses, Æcolampadius apud Basileenses: hos omnes secuti sunt Sacramentarii, Sociniani, Rationalistæ.

Juxta Calvinum, Buceri discipulum, Christus non est in Eucharistia quoad substantiam, sed quoad virtutem et per

fidem, quatenus Deus nobis per fidem exhibet corpus Christi atque, dum panem manducamus, ex carne Christi per ejus spiritum ad nos derivat aliqua vis substantialis. Hoc systema, sub ambiguis et obscuris verbis, idem est ac elucubratio Zuinglii; vide Bellarm., *de Euchar*. lib. 1, c. 1; Bossuet, *Hist. des Variat.*, liv. 9, n. 26-68. Demum, Lutherus, dum confiteretur realem præsentiam, simul rejecit transsubstantiationem; et ideo ejus asseclæ fere omnes paulatim in calvinianam hæresim delapsi sunt. Istos omnes damnavit Conc. Trid. Itaque

PROPOSITIO

35. — *In SS. Eucharistiæ Sacramento continentur vere, realiter et substantialiter corpus et sanguis Christi una cum anima et divinitate ipsius, ac proinde Christus totus.* De fide est.

Prob. Scriptura, Traditione et Ratione seu congruentiis.

I. Scriptura, scilicet, ex verbis promissionis, institutionis, et de usu Eucharistiæ.

1° *Ex verbis promissionis.* Christus, in Joan. 6, cum locutus esset de multiplicatione panum, et deinde, a versu 25 ad 53, de Incarnatione et sui metaphorica manducatione per fidem in Christum Messiam, sic a versu 52 ad 69, prosequitur : « *Panis*, quem ego *dabo*, *caro mea est* pro mundi *vita*. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : *Quomodo* potest *hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : nisi *manducaveritis carnem, filii hominis, et biberitis ejus sanguinem*, non habebitis *vitam* in vobis. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem*, habet *vitam æternam*... Caro enim mea *vere est cibus*, et sanguis meus *vere est potus*. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, *in me manet*, et *ego in illo*...

« Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : *Durus est hic sermo*, et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis ; Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis *ascendentem ubi erat prius?*... Ex hoc multi

discipulorum ejus *abierunt retrò*, et jam *non cum illo ambulabant.* »

Unde sic : juxta omnes, illa verba litteraliter intellecta exprimunt promissionem præsentiæ Christi in Eucharistia : atqui sunt litteraliter intelligenda ; ergo, etc.

Constat *minor*. Etenim illorum verborum sensus litteralis nullo modo repugnat, dum e contra omnimodo repugnat sensus metaphoricus.

Et quidem 1. sensus litteralis non repugnat *sanæ fidei*, cum nullus alius sit textus Scripturæ et Traditionis clarior, qui cum illis verbis litteraliter intellectis conciliari non possit ; nec *bonis moribus :* non enim hic agitur de manducatione carnali, ut sentiebant Capharnaïtæ, sed sacramentali, etsi reali ; nec *rationi :* nam manducatio realis et sacramentalis Christi est quidem supra, sed non contra rationem ; ergo sensus litteralis prælati textus nullo modo repugnat.

Sed e contra 2. sensus *metaphoricus* repugnat *omnibus sermonis legibus*, Namque, juxta consuetas sermonis leges, sensus metaphoricus debet esse auditorum intellectui accommodatus, obiter tantum prolatus, et explicandus statim ac ille, qui eum adhibet, animadvertit verba sua ab auditoribus in sensu litterali et proprio intelligi.

Porro verba, de quibus agitur, in sensu metaphorico intellecta, sunt prorsus inaudita, et nullo modo captui auditorum accommodata ; quis enim ex illis verbis intelligeret Christum dicere : *caro mea* in *figura*, per *fidem, virtualiter*, est *vere* cibus ?

Præterea Christus hujusmodi verba non obiter, sed ter quaterque repetit. Tandem, nedum ab auditorum mente sensum manducationis realis removeat, ubi intelligit illum a Judæis percipi, e contra talem sensum multis modis confirmat ; ergo omnibus sermonis legibus repugnat sensus metaphoricus.

Et vero 1. Judæi de reali manducatione præfata verba adeo intellexerunt, ut scandalizati fuerint, dicentes : « *Quomodo* potest hic nobis *carnem suam* dare ad *manducandum ?* » Porro Christus statim ter quaterque eadem

verba cum juramento iterat, ac magis explicite confirmat. sive addendo præceptum : *Nisi manducaveritis ;* sive iterum promittendo effectum hujusce manducationis : *Qui manducat* meam *carnem*, habet *vitam æternam ;* sive concludendo : *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

2. Judæi autem de hoc iterum murmurant, dicentes : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* porro iterum Christus nec scandalum aufert et difficultatem, sed hanc potius exaggerat, cum subdit : *Hoc vos scandalizat! si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* id est si illa manducatio nunc videtur difficilis, quanto magis difficilior apparebit, postquam carnem meam in cœlum ascendentem videritis? Ita SS. Hilarius, Leo papa, August., Ambros., uterque Cyrillus, Chrysost.

3. Tandem Judæi adeo persuasi finaliter remanserunt Christum, etiam per hæc ultima verba, iterum realem manducationem asseverasse, ut ex his verbis Christum reliquerunt.

At Christus, qui uno verbo de *mere* spirituali manducatione illos statim revocare potuisset, non solum nihil addit, atque sinit eos abire, sed etiam dicit Apostolis quod et ipsi abeant, potius quam et ipse retractet promissionis sensum a Discipulis abeuntibus apprehensum : *Nunquid et vos*, inquit, *vultis abire?* « Comme s'il eût dit : je n'ai rien à augmenter ni à diminuer à mon discours : je n'y veux rien ajouter, ni je n'en puis rien rabattre, prenez maintenant votre parti ; je ne veux point de disciple qui n'aille jusque-là, et je mets leur foi à ce prix. » Bossuet, *Médit. sur l'Evang.*, Cène, 1 p., c. 40.

Ergo vel Christus locutus est in sensu litterali et proprio de reali manducatione carnis suæ, vel omnes evertit sermonis leges, atque est insignis impostor.

Porro, quod Christus promisit, hoc et concessit ; ergo Christus vere, realiter et subtantialiter præsens est sub speciebus panis et vini. Vide n. 37.

2° *Ex verbis institutionis*. Tres Evangelistæ, et ipse S. Paulus fere iisdem verbis sic habent : « Accepit Jesus

panem, et benedixit, ac fregit; deditque discipulis suis, et ait : « Accipite et comedite : *hoc est corpus meum* »[1]. Matth. 26, ỳ 26.

Unde sic : juxta omnes, illa verba in sensu litterali intellecta significant realem Christi præsentiam sub speciebus panis et vini : atqui litteraliter intelligenda sunt; ergo, etc.

Constat *minor*. Namque illorum verborum sensus litteralis nullo modo repugnat, dum e contra omni modo repugnat sensus metaphoricus.

Et quidem 1. sensus litteralis non repugnat sanæ fidei, nec bonis moribus, nec evidenti rationi, ut patet ex dictis in præcedenti argumento ; ergo, etc.[2].

Et vero, sane potuit Christus panem convertere in corpus suum, et vinum in sanguinem : atqui, si potuit, illud fecit ; siquidem, si voluisset, non potuisset verbis clarioribus hanc voluntatem manifestare, quam istis : « *Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus*, qui pro vobis *effundetur in remissionem peccatorum.* » Aliunde, nullum est in illa Christi locutione verbum metaphoram aliquam indicans ; atque tres Evangelistæ et S. Paulus, licet in aliis diverso modo loquantur, præfata verba diligentissime referunt cum omni proprietate, et sine ulla fere varietate ; ac proinde evidenter supponunt simpliciter esse intelligenda.

2. E contra, *sensus metaphoricus omnibus sermonis legibus repugnat*. Namque, juxta consuetas sermonis leges, signum nomine rei significatæ appellari nequit, quando non est signum naturale, vel arbitrarium auditoribus cognitum usu aut prævia monitione : atqui panis non est cor-

1. Circa illum textum adeo per se obvium, jam, ab anno 1577, numerabantur 200 expositiones Calvinistarum.

2. « *La présence réelle* est solidement établie par les paroles de l'institution, lesquelles nous entendons *à la lettre*; et il ne nous faut pas non plus demander *pourquoi* nous nous attachons *au sens propre et littéral*, qu'à un voyageur *pourquoi il suit le grand chemin*; c'est à ceux qui prennent des sentiers *détournés*, et qui ont recours *au sens figuré*, *à rendre raison de ce qu'ils font*; pour nous, *qui ne trouvons rien dans les paroles dont Jésus-Christ s'est servi pour l'institution de ce mystère*, qui nous *oblige* à les prendre *dans un sens figuré*, nous estimons que *cette raison suffit* pour nous déterminer au *sens propre et littéral*. » Bossuet, *Exposit.* c. 10.

poris Christi signum naturale, nec arbitrarium usu aut prævia monitione discipulis cognitum, ut per hæc verba : *Hoc est corpus meum,* intelligatur hæc propositio : *Hic panis est figura corporis mei;* ergo hujusmodi sensus metaphoricus repugnat omnibus sermonis legibus[1].

Et vero, talis sensus metaphoricus per quindecim priora secula in nullius fere mentem venit, et ab orbe Christiano tanquam extraneus statim rejectus est; ipse Zuinglius, in Epist. ad Pomeranium, fatetur se sensum hujusmodi per quatuor annos quæsisse, et quasi felicem margaritam, in epistola cujusdam hominis invenisse; tandem ipse Lutherus, peroptans figuræ sensum adoptare in odium Ecclesiæ Romanæ, eo tamen, veritate superatus, venire non potuit, ut eum amplecteretur[2]; ergo, ipsis fatentibus adversariis, sensus metaphoricus verborum, de quibus agitur, est abstrusus, obscurus, nimis coactus.

Porro Christum, instituendo Eucharistiam, hoc modo locutum esse repugnat tum naturæ rei, tum conditioni personarum, tum circumnstantiæ temporis.

Et quidem *naturæ rei.* Tunc enim Christus dogma tradebat credendum ab omnibus, legem simul et testamentum morti proximus condebat : atqui talia claris verbis exprimi postulant, saltem in aliquibus Scripturæ textibus. ergo, etc.

Conditioni etiam *personarum.* Verba enim dirigebat

1. « Les lois du discours nous apprennent que *le signe* qui représente *naturellement,* reçoit souvent le nom de la chose, parce qu'il lui est *comme naturel d'en ramener l'idée à l'esprit.* Le même arrive aussi, quoique avec certaines limites, aux *signes d'institution,* quand *ils sont reçus et qu'on y est accoutumé.* Mais quand, établissant un signe qui *de soi-même n'a aucun rapport à la chose signifiée,* par exemple, un *morceau de pain* pour signifier *le corps d'un homme,* on lui en donne le nom *sans rien expliquer* et avant que personne *en soit convenu,* comme a fait Jésus-Christ dans la Cène, c'est une chose *inouïe* et dont nous ne voyons *aucun exemple* dans l'*Ecriture sainte,* pour ne pas dire *dans tout le langage humain.* » Bossuet, *Exposit.* c. 10.

2. « Vellem, inquit in Epist. ad Argentinenses, ut posset aliquis mihi persuadere *nihil esse in Eucharistia præter panem et vinum* : jam sæpe gravibus curis in hac materia desudavi, quia videbam me hoc modo plurimum posse papatui nocere. *Verum me captum video, nulla evadendi via relicta est : textus Evangelii nimis est apertus.* »

Christus ad duodecim Apostolos, quibus, ipso teste, datum fuerat nosse mysteria regni cœlorum, quibus omnia quæcunque audierat a Patre, nota fecerat, quibus parabolas suas exponere solebat; ergo, etc.

Tandem *circumstantiæ temporis*. Siquidem præfata verba protulit Christus pridie mortis suæ, quo tempore clarius et apertius loqui solent homines; ergo naturæ rei, conditioni personarum et temporis circumstantiæ repugnat Christum per illa verba metaphorice locutum esse; ac proinde hæc verba in sensu litterali intelligenda sunt, sicque præsentiam realem evidentissime probant. Vide n. 38.

3° *Ex verbis de usu Eucharistiæ*. Apostolus, I Cor. 11, ℣ 27, 28, 29, relatis verbis institutionis, hæc addit : « Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, *reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* »

Unde sic : ex Apostolo, dantur aut dari possunt homines, qui indigne recipiant corpus et sanguinem Christi : atqui hoc omnino impossibile est, si agatur tantum de manducatione per fidem; tunc enim qui sine fide viva accedit ad Eucharistiam, non eam manducat, nec ideo indigne eam tractat; qui vero cum fide viva accedit, eo ipso eam digne tractat; ergo S. Paulus non loquitur de manducatione per fidem tantum, sed de manducatione reali; ac proinde Christus est vere præsens in Eucharistia.

Et vero, ex Apostolo, qui ad Eucharistiam indigne accedit, fit reus corporis et sanguinis Domini, judiciumque sibi manducat : atqui inauditum est reos fuisse corporis et sanguinis Christi, qui ejus figuras, v. g., manna, agnum paschalem comederunt in statu peccati, vel irreverenter acceperunt Christi imaginem; ergo, ex verbis Apostoli, Christus non est in Eucharistia figurative tantum, sed realiter.

II. TRADITIONE. 1° *Ex SS. Patribus*. Quædam tantum seligemus ex tot tantisque testimoniis, quibus de præsenti materia refertur Traditio.

I Seculo, S. Ignatius, martyr, *in Epist.* ad Smyrnæos, sic loquitur de quibusdam Hæreticis ætatis suæ : « Ab Eucharistia et oblatione se abstinent; *eo quod non confitentur ipsam esse carnem Salvatoris nostri J. C., quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit;* » ergo non mera corporis Christi figura est ut volunt Calvinistæ, sed vera ipsius caro.

II Seculo, S. Justinus, *in Apologia* 1, 66, sic exponit fidem christianam circa Eucharistiam : « Non enim ut *communem panem,* neque ut *communem potum ista sumimus,* sed quemadmodum per verbum Dei caro factus, Jesus Christus, Salvator noster, *carnem* et *sanguinem* salutis nostræ causa *habuit : ad eumdem modum,* etiam *eam,* in qua per preces verbi ejus, ab ipso profecti, gratiæ actæ sunt, *alimoniam,* unde sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, *incarnati illius Jesu carnem* et *sanguinem esse edocti sumus.* Nam Apostoli... ita tradiderunt præcepisse sibi Christum, eumque pane accepto, cum gratias egisset, dixisse : « *Hoc facite in meam commemorationem; Hoc est corpus meum.* »

III Seculo, Tertull., lib. *de Resurr. carnis,* c. 8, ait : « Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur;... *caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* » Jam vero caro non vescitur corpore Christi per fidem apprehenso, cum illius apprehensionis sit incapax.

IV Seculo, S. Cyrillus Jerosol., *Catechesi* 4, edocens recens baptizatos, circa Eucharistiam hæc habet : « cum ipse Christus dixerit de pane : *Hoc est corpus meum,* quis audebit deinceps *ambigere?* Et cum ipse dixerit : *Hic est sanguis meus,* quis unquam *dubitaverit,* aiens, *non esse ejus sanguinem?* Aquam olim in vinum in Cana Galilææ transmutavit,... et eum parum dignum existimabimus cui credamus, *cum vinum in sanguinem transmutaverit...?* Quamobrem ne tanquam nudis et communibus elementis, pani et vino eucharisticis attende; *sunt enim corpus et sanguis Christi,...* non judices rem ex gustu, sed ex fide; *certissime crede, quod qui videtur panis, panis non est,* sed

corpus Christi; et quod *videtur vinum, non est vinum,... sed sanguis Christi.* »

V Seculo, S. Ambrosius, lib. *de Mysteriis*, c. 9, n. 50-52 : « Forte dicas : aliud video (in Eucharistia) : quomodo tu mihi asseris *quod corpus Christi accipiam?* et hoc superest nobis ut probemus. Quantis igitur (ad hoc) utimur exemplis?... nunquid non præter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra? quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?... *Hoc quod conficimus, corpus ex Virgine est :* quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? *Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est.* »

S. Ephrem, *de natura Dei* non *curiosius perscruto*, c. 5 : *Participa immaculatum corpus et sanguinem Domini tui fide plenissima, certus quod Agnum ipsum integre comedas* : porro si Agnum ipsum, Christum scilicet, comedimus in Eucharistia, ergo non in figura tantum præsens est in illa.

S. Chrysost., Homil. 83 *in Matth.*, n. 4 : « Quia dixit Christus : *Hoc est corpus meum*, nulla teneamur ambiguitate, sed *credamus*... Quot sunt qui modo dicunt : Vellem et formam Christi, vellem ipsa ejus vestimenta videre ; ecce *ipsum vides in Eucharistia, ipsum tangis, ipsum comedis*... Quis pastor unquam *membris suis oves suas nutrit?*... ipse *proprio corpore nos alit, et nos sibi conjungit*, atque *conglutinat.* »

S. Aug., in *Ps.* 33, explanans ista versionis LXX Interpretum, *Ferebatur manibus suis*, sic habet : « Hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? *quis enim portatur in manibus suis?* Manibus aliorum potest portari homo, *manibus suis nemo portatur*. Quomodo intelligatur in ipso David? secundum litteram non invenimus ; *in Christo autem invenimus; ferebatur enim Christus in manibus suis*, quando commendans ipsum corpus suum, ait : *Hoc est corpus meum;* ferebat enim *illud corpus in manibus suis.* »

2° *Ex Conciliis*. Omissis Conciliis et SS. Pontificum decisionibus, jam recensitis n. 34, hæc Conc. Trid. definitio sufficiat, n. 9 : « Si quis negaverit, in sanctissimæ *Eucharistiæ* Sacramento contineri *vere, realiter*, et *substantialiter corpus* et *sanguinem*, una cum *anima* et *divinitate* Domini nostri *Jesu Christi*, ac proinde *totum* Christum ; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut *in signo*, vel *figura*, aut *virtute*: anathema sit. »

3° *Ex præscriptionis* argumento. Dogma præsentiæ realis in Eucharistia ab universa Ecclesia tenebatur IX seculo, quando primum Berengarius illud impugnare attentavit ut constat ex universali reprobatione, quæ tunc temporis explosit contra istum hæresiarcham : atqui anterioribus seculis idem dogma in fidem Ecclesiæ non transit per mutationem sensibilem, nec insensibilem ; ergo semper illud tenuit Ecclesia, ac proinde divinitus revelatum est.

Prob. minor. Et quidem in fidem Ecclesiæ non transiit per mutationem *sensibilem*. Nulla enim exstant tantæ et adeo stupendæ mutationis vestigia ; nec auctor, nec locus, nec tempus, quo facta fuisset, assignari possunt.

Nec per mutationem *insensibilem*. Nam in re tanti momenti, ad Religionis Christianæ cultum vulgarem et practicum essentialiter pertinente, creditu adeo difficili, mutatio nulla fieri potuit, quin motus magni excitarentur, quin controversiæ et disputationes moverentur, quin Concilia ex partibus oppositis congregarentur, quin scripta hinc et inde spargerentur : porro hæc omnia mutationem, si qua facta fuisset, obviam et sensibilem effecissent ; ergo circa dogma præsentiæ realis in Eucharistia insensibilis mutatio non facta est ; aliunde nec sensibilis ; ac proinde quod ab omnibus de illo dogmate IX seculo credebatur, traditum et creditum est ab Apostolis, et consequenter a Deo revelatum. Nonne ergo cum Erasmo dicere possumus : « Nunquam mihi persuaderi potuit, neque poterit, Christum, qui veritas est et charitas, tandiu passurum fuisse dilectam sponsam suam hærere in errore tam abominando, ut *crustulum farinaceum pro ipso adoraret !* »

III. Ratione seu *congruentiis*. Præsentia realis Christi in

Eucharistia maxime consentanea est divinis attributis et hominum saluti.

Et quidem 1° *divinis attributis*, præsertim divinæ bonitati, sapientiæ, omnipotentiæ, liberalitati, misericordiæ, munificentiæ, et quodammodo etiam justitiæ.

1. *Bonitati* divinæ. Pertinet ad rationem boni, ut se aliis communicet : bonum enim est diffusivum sui, ait S. Dionys.; et ideo ad rationem summi boni pertinet quod summo modo se creaturæ communicet; S. Th. 3 p., q. 1. a 1. Porro bonitas Dei *magna* est quidem in conjunctione sui omnibus rebus *per præsentiam*, qua omnia creat, conservat et ad finem dirigit; *major* est etiam in conjunctione sui Christo homini *per Incarnationem*, qua Deus factus est homo; S. Th. *Opusc.* 60 : sed nonne *superexcellens* etiam fit illa bonitas per Christi hominis *unicuique* hominum conjunctionem, qua, qui suscipit hoc Sacramentum, singulari etiam modo in Christo manet et Christus in illo, adeo ut *Deus, cum esset ditissimus, plus dare non habuerit!*

2. *Sapientiæ* Dei. Sapientia in genere judicat de fine meliori, et ad illum ordinat convenientissima media: porro finis hujus Sacramenti est uberrima participatio fructus Redemptionis, medium vero est ipsiusmet Christi cum unoquoque hominum unio etiam strictior et intimior, ac cibum inter et corpus nutritum : ergo *Deus, cum esset sapientissimus,* nec *meliorem finem*, nec ad illum *medium convenientius invenire scivit*; atque adeo hoc Sacramentum est summa et compendium omnium Dei mirabilium, omniumque donorum suorum et beneficiorum.

3. *Omnipotentiæ.* Ex jam dictis Eucharistia est veluti consummatio et perfectio omnium divinorum operum; et ideo S. Joan. Evangelista, initio narrationis Dominicæ Cœnæ, præmittit illa verba : *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*; ergo hoc Sacramentum omnipotentiæ Divinæ est convenientissimum.

Et revera, Christus suam omnipotentiam et dominium in omnem creaturam mire ostendit, dum substantias transmutat; accidentibus alium existendi modum tribuit; idem corpus in variis simul locis constituit; per illud corpus, realiter, sed modo inconsumptibili manducatum, divinitus animas nutrit; atque non semel aut iterum, sed quotidie et per universum orbem, hæc omnia operatur; imo multis hominibus dat po-

testatem verbo suo hæc omnia efficiendi. Unde *Deus, cum esset potentissimus, plus facere non potuit.*

4. *Liberalitati* et *misericordiæ*. Siquidem immortalis vita nonnisi per Christum nobis communicatur : atqui per Eucharistiam, ipsi Christo realiter et ineffabiliter conjungimur, ut ab ipso fonte vitam hauriamus, vel ut ratione illius unionis sese paratissimum ad eam nobis præstandam ostenderet Christus. Quid ergo hac liberalitate et misericordia præstantius excogitari potest?

5. *Munificentiæ* divinæ, quæ non minus apparet, ait S. Th., *Opusc.*, 73, dum Deus Pater corpus et sanguinem Unigeniti dilecti Filii sui, sub specie panis et vini, ad delectabilem refectionem animarum tam continue ministrat, in quo totum quod ipse est et habet cum Spiritu Sancto, in summo largitur.

6. *Justitiæ* tandem. Maxime enim decuit, ait Innocentius Papa, ut sicut per cibum homo victus fuerat ac mortalis effectus, ita per cibum ad vitam immortalem restitueretur : porro nullus cibus aptior ac potentior ad hunc effectum producendum esse poterat, quam ille, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. Propterea, sicut de illo cibo dictum est : *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*, Gen. 2, ỳ 17; ita, e contrario, de hoc scriptum est : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; Joan. 6, ỳ 52.

Ergo præsentia realis Christi in Eucharistia maxime consentanea est attributis divinis. Sed etiam

2° *Hominum saluti*, cum in hoc mysterio perfecte exerceantur omnes virtutes theologicæ et morales.

Theologicæ quidem, seu fides, spes et charitas.

1. *Fides* mirabiliter exercetur et crescit in hoc perdifficili mysterio, quod inter divinæ omnipotentiæ opera, præter ordinem naturæ facta, si excipias Incarnationem, creditu difficillimum censetur.

Et vero, non unum, sed plura miracula complectitur, ut vidimus; non semel, sed iterum atque iterum, et quasi ordinaria lege conficitur; non solum immediate fit ab ipso Deo, sed ab homine Dei ministro, ex potestate supernaturali; quotidie sensibus objicitur, et aliquo modo repugnantibus sensibus, frequentissime captivamus intellectum in obsequium Christi.

Præterea, aptissimum est hoc Sacramentum ad exercendam et roborandam fidem circa alia mysteria, ad nostram præsertim Redemptionem : *Quotiescunque manducabitis panem hunc,*

mortem Domini annuntiabitis; I Cor. 11, ℣ 26. Etenim, præter eam significationem passionis et mortis Christi, quæ fit quum sanguis separatim a corpore consecratur, cætera Christi mysteria ad vivum hic repræsentantur; sic, v. g., sicut ad Incarnationem, Christus ingressus est uterum B. Virginis, ita per hoc Sacramentum vere ac realiter intrat corpora nostra; sicut vere credimus jacuisse in præsepio, ita vere illum in altari existentem conspicimus; et ita de aliis.

2. *Spes.* Quis enim non speraret consummatam unionem in vita beata futuram, dum in hac vita mortali tam liberalem erga nos Deum experimur, ut nos secum, haud secus ac cibus corpori manducanti, conjungat? Quis etiam auxilium non speraret, imo et non reciperet, dum ipsemet Deus nobis datur in cibum, quo roboramur et contra hostes armamur? et proinde quid hoc Sacramento efficacius, ut omnem servilem timorem abjiciamus, et concipiamus fiduciam de reportanda victoria?

Et vero, ex credita Angelorum præsentia et custodia, vires assumimus; quid ergo, si ipsemet Christus unione quam maxime familiari et intima nobis sit quotidie præsens? Nonne tunc majori quadam familiaritate eum alloquimur, frequentius et majori cum fiducia oramus; atque ferventiori desiderio in cœlis regnantem videre appetimus, quem nunc sub specie panis habemus presentem et latentem?

3. *Charitas* erga *Deum* et *Christum* per hoc Sacramentum ignescit et dilatatur. Nihil enim sic ad amorem alicujus nos inducit, sicut experimentum amoris illius ad nos: amor enim est causa amoris, ait S. Th,, *Contra Gent.* lib. 4, c. 54. Porro in Eucharistia maximam nobis Christus exhibuit charitatem, ut ait S. Joan. 13, ℣ 1 : *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo in finem dilexit eos.*

Et revera, amor ex effectu dignoscitur, et etiam proprium amicitiæ est convivere amicis et unire amantem cum amato, inquantum possibile est, ita ut, non solum præsentiam, sed etiam summam, quam potest, conjunctionem exoptet et efficiat : porro, in Eucharistia, Christus non solum nobiscum manere voluit, sed et seipsum in cibum nobis conjungit, et quidem ex summo amore et desiderio, juxta illud : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, Luc. 22, ℣ 15; atque adeo plus quam maternum amorem erga nos indicavit. Matres enim interdum filios suos aliis tradunt nutriendos; Christus autem sua carne filios suos alit; et quos suo san-

guine redemit, ac spiritualiter genuit, eosdem suo cruore nutrit ac pascit. Ergo ipsemet Deus plus dare non potuit, ut erga seipsum affectum nostrum accenderet ac dilataret.

Nec minus excitatur charitas erga *proximum*. Omnes enim eodem numero cibo alimur, ut in ipso tanquam in centro conjungamus; et sicut Christus dilexit nos, ita et nos invicem diligamus, tanquam membra ejusdem corporis, quæ eodem pane vescuntur, juxta S. Paulum : « *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*; » I Cor. c. 10, ỳ 17. Propterea, ad hanc unitatem significandam, Christus seipsum dedit sub speciebus harum rerum quæ ex multis granis in unum confluentibus coalescunt, ut notarunt S. Cypr., S. August., et alii SS. Patres.

Hinc S. Paulus instanter inducit fideles ad animorum concordiam et unitatem, eo quod eodem Christi corpore omnes aluntur.

Hinc étiam hujus Sacramenti participatio dicitur *communio*, qua scilicet multi sunt unum in Christo, ait S. Th. 3 p., q. 82, a 2; et ideo illa participatio semper fuit in Ecclesia signum et tessera unitatis et concordiæ, adeo ut Sacramentum *pacis* et *unitatis* vocetur a S. August., *Tract.* 26 in Joan., et Conc. Trid. n. 8.

Tandem hoc Sacramentum per se institutum est ad charitatem nutriendam et perficiendam, ex dicendis n. 85.

Ergo Sacramentum illud maxime confert ad incrementum, exercitium et perfectionem virtutum Theologicarum.

Morales etiam virtutes feliciter in hoc exercentur, præsertim religio, humilitas, patientia.

1. *Religionis virtus.* Per hanc quippe singularem Christi præsentiam, maxime extollitur et commendatur Christiana Religio : siquidem, « non est alia natio quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. » Deuter. 4, ỳ 7.

Similiter, per hoc Sacramentum Religio christiana valde accommodatur humanæ fragilitati et conditioni. Cum enim homo sit sensibilis, atque maxime excitetur sensibilibus rebus, omnium hominum religio aliquibus signis et cæremoniis sensibilibus congregatur, ait S. August., *contra Faustum*. Porro, non solum hoc servatum est in Religione Christiana, sed ejus excellentia in eo posita est, quod utatur signis veris, plenis gratia et virtute, et præsertim ipsummet Auctorem Sacramentorum vere ac realiter continentibus, cui latriæ cultus absque ullo periculo, aut superstitione potest et debet

exhiberi : « *Sacramento enim visibili divina se infudit Essentia, ut esset religioni circa Sacramenta devotio,* » inquit S. Cypr., *de Cœna Domini.*

Præterea perfectissimus actus religionis, qui in sacrificandi cultu consistit, in religione christiana infinitam quamdam perfectionem et excellentiam habet, simul cum nostra utilitate conjunctam. Nam, dum hoc Sacramentum consecramus et sumimus, Deo in sacrificium offerimus rem infiniti valoris et dignitatis, et simul maxima dona percipimus; atque ipsum sumere est, pro beneficiis acceptis, maximas gratias Deo referre, juxta illud : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam;* Ps. 115, ℣ 12, 13 : adeo singularis est Dei bonitas et liberalitas, ut suis in nos collatis donis, velit a nobis vicissim honorari!

Hinc, sine præsentia reali Christi in Eucharistia, nullum esset verum sacrificium accommodatum societati humanæ, seu ab hominibus et pro hominibus in terris oblatum; nec proinde nullus vere Sacerdos, nec consequenter cultus vere publicus. Sed insuper

Multiplici et admirabili modo fides præsentiæ realis in cæteros religionis actus influit [1].

1. « Pourquoi nos pères et nous-mêmes avons-nous élevé, quand nous l'avons pu, de magnifiques églises? Pourquoi y avons-nous prodigué les richesses de la terre, sinon parce que nous croyons qu'elles sont de vrais tabernacles, où habite réellement Emmanuel, le Dieu avec nous? Pourquoi toute cette pompe et toute cette solemnité de notre culte, sinon comme un hommage personnel au Verbe incarné de Dieu? Pourquoi les portes de nos églises, dans les pays catholiques, sont-elles ouvertes toute la journée, et pourquoi y entrons-nous à toute heure pour y murmurer une prière, ou nous prosterner en adoration, sinon par suite de la conviction où nous sommes de la présence substantielle de Dieu dans ce glorieux mystère?

« La pratique de la confession, et par conséquent de la pénitence, est liée plus étroitement encore à cette croyance. C'est, en effet, la nécessité d'approcher de la sainte Table avec un cœur pur, qui est la garantie de l'observance de cette pratique, et le pécheur repentant est soutenu, dans l'accomplissement d'un devoir pénible, par les joies promises du banquet céleste.

« Le caractère sacré du Prêtre catholique aux yeux de son troupeau, le pouvoir de bénir dont il est investi, ne sont encore que les résultats de cette familiarité sainte avec laquelle, dans les mystères, il lui est permis d'approcher du Seigneur. Le célibat auquel s'astreint le clergé, n'est qu'une expression pratique de ce sentiment qu'éprouve l'Eglise sur la pureté invariable de conduite et de pensée avec laquelle on doit approcher de l'autel. De cette manière, *le Sacrement de l'Eucharistie* constitue *l'âme et l'essence de toute religion pratique parmi les Catholiques.* » Wiseman, 16e Conf.

2. *Humilitas* in hoc Sacramento mirifice commendatur a Christo, dum ad nos descendit, sub speciebus panis et vini latet, atque sese manducandum præbet pauperi, servo et humili. « Nisi humilis esset, ait S. August., *Ps.* 33, seque humiliasset Dominus Jesus, eum nec manducare, nec bibere potuissemus. » — « Eadem humilitas, inquit S. Thomas, *Opusc.* 72, incomprehensibilem Dominum majestatis coegit frequenter venire sub specie panis, ad consolationem fidelium in hoc Sacramento. »

3. *Patientia* eodem modo contemplatur, dum Christus in hoc Sacramento quotidie ab inimicis suis se contrectari et suscipi permittit. Idem dici potest de aliis virtutibus moralibus.

Ergo maxime consentanea est præsentia realis utilitati hominum et divinis attributis.

36. — *Obj.* 1° Christus, ut tollat Judæorum scandalum, addit : *spiritus est qui vivificat*; *caro non prodest quidquam; verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, Joan. 6. ℣ 64, Id est : *spiritus est qui vivificat, non autem caro mea et sanguis meus;* et ideo verba mea pro objecto non habent proprie carnem meam, sed intelligi debent in sensu spirituali et metaphorico, non autem in sensu litterali : *spiritus* enim *et vita sunt*. Ergo non agitur in præsentibus textibus de reali manducatione carnis Christi.

Resp. Neg. antecd. Etenim posita præfata a Christo explicatione, e contra ad summum pervenit scandalum, ita ut *ex hoc*, id est, ex hoc verbo explicativo, *multi Discipuli ejus abierunt retro, et jam non cum Christo ambulabant*; *ibid.*, ℣ 67: ergo non solum in prædictis verbis non tollitur difficultas, sed potius exageratur atque fit extrema; et proinde illa verba explicativa non solum manducationem realem non rejiciunt, sed illam aliquo modo exaggerant.

Et revera, post affirmationem ter quaterque iteratam circa suam Incarnationem, manducationem carnis suæ, et effectum spiritualem hujusce manducationis, Christus novam et supremam difficultatem addit circa *modum essendi carnis suæ manducandæ*, et *ipsius manducationis*.

Judæi enim scandalizabantur eo quod, dum Christus eis loqueretur de carne sua manducanda, in triplicem errorem versati sunt ; siquidem, putabant quæstionem esse 1. de carne puri hominis, nempe filii Joseph ; 2. quæ ideo daret vitam corporalem ; et proinde 3. quæ ipso usu consumeretur, haud

secus ac cibus quilibet communis; propterea dicebant : « *Quomodo* potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum [1] ? »

Propterea Christus respondit : *Caro* simpliciter intellecta seu sub omni respectu carnalis et communis, non *prodest quidquam*; sed caro, quam dabo hominibus manducandam, est aliquo modo *spiritus* seu spiritalis [2], et ut sic, *vivificat* [3] : porro verba mea pro objecto habent hanc carnem quatenus est aliquo modo spiritalis et vivificatrix animarum; ergo *verba mea spiritus et vita sunt*.

Scilicet, caro Christi spiritus seu spiritalis est, 1. tum ex persona Verbi divini qua perficitur, et qua habet plenitudinem vitæ divinæ, unde fit vivens et per seipsam vivificans : 2. tum ex natura effectus, seu vitæ spiritualis et æternæ per illam carnem manducantibus a Verbo divino communicatæ; 3. tum ex modo manducationis, quatenus illa caro sumenda est quidem vere, realiter et substantialiter, etsi non animali modo et propria specie, sed modo altiori, impassibili et supernaturali, ita ut maneat indivisibilis, inconsumptibilis, et manducetur in terris, etiam post ejus in cœlum ascensionem. Ita S. Cyprianus, S. Athanasius, S. Chrysost., S. Thomas, 3 p. q. 75, a. 1, ad 1, Suarez, Bossuet, *Médit. sur l'Evang.*, Cène, 1 p., c. 25, 27, 31 et seq.

Patet autem per hujusmodi explicationem revera augeri et extremam fieri difficultatem.

Juxta plures, in præfatis Christi verbis non agitur de carne Christi; sed reprehenduntur Judæi quod mysteria de carne Christi manducanda illis proposita, humana ratione, carnali ingenio metirentur ; ideoque intelligere non possent. Quotiescunque enim, aiunt, in Scripturis nomen *carnis* opponitur nomini *spiritus*, non pro substantia carnis, sed pro infirmitate intellectus humani accipitur.

1. « Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. » S. Aug., *Tract.* 27 in Joan.; ita etiam S. Cyrillus et alii.

2. « In Scriptura sacra nominatur res a qualitate seu modo, et non a substantia, ut I Cor., 15, *Resurget corpus spiritale*, » ait S. August. lib. 11, *contra Faustum*, c. 7. Sic ergo caro Christi sumpta in Eucharistia aliquo modo spiritualiter, dicitur *spiritus*, *spiritalis*.

3. « *Spiritus vivificans est caro Domini*, quia de spiritu vivificante concepta est, inquit S. Athanasius, lib. *de Humana natura suscepta*. « Si quis non confitetur *carnem* Domini *vivificatricem* esse : anathema sit, » ait Conc. Ephes.; vide Tract. *de Incarn.* n. 21.

Attamen prior interpretatio magis litteræ consentanea videtur, ait Suarez, disput. 46, sect. 2.

37. — *Obj.* 2° Pronomen *hoc*, dum pronuntiatur a Christo, demonstrat panem tunc revera præsentem; siquidem non demonstrat corpus Christi, quod tunc præsens non erat; nec speciem tantum panis, quæ dici nequit esse corpus Christi: atqui panis dici nequit esse corpus Christi nisi tantum in figura; ergo illa verba in sensu metaphorico intelligenda sunt.

Resp. Nego major. Nam 1. verbum *est*, jungit et identificat subjectum cum attributo; ergo necesse est id quod significatur per pronomen *hoc*, idem esse ac illud quod exprimitur per attributum *corpus meum*.

2. Formæ Sacramentorum sunt significativæ simul et factivæ, ut ait S. Th., ita ut significando efficiant quod significant; ergo sensus subjecti *hoc* determinari nequit, antequam compleatur significatio et ideo factio, *per prolationem attributi*.

Et revera, in omni factione, oportet subjici aliquid *commune* et generale tanquam principium : porro commune in consecratione, non est aliqua substantia, sed sunt *accidentia*, quæ prius fuerunt et postea remanent; et ideo, ex parte subjecti, in hac locutione non ponitur substantivum, quod significat substantiam sine determinata specie; ergo, ante prolationem attributi *corpus meum*, sensus subjecti *hoc* nullo modo determinari potest, sed exprimit aliquid generale et confusum; *illo* autem attributo semel prolato, eo ipso pronomen ad significandum corpus Christi determinatur, et sensus est : *Hoc*, id est, contentum sub his accidentibus (quæ sola sub sensibus cadunt) *est corpus meum*,

3. Equidem, ideæ generali et confusæ rei præsentis, quam præ se pronomen *hoc* gerebat, mens Apostolorum per se adjecit panis notionem, qui tunc præsens erat. Sed multum differt idea quam vox significat, ab ea quam excitat. Hæc enim primæ confusæ et generali non adjicitur vi verbi prolati, sed operatione mentis audientis, et ope propositionis incidentis mentaliter efformatæ. Ergo in causa est qui, per hanc propositionem incidentem, sensum specialem et determinatum tribuit subjecto, ante prolationem attributi, quo solo sensus specialis subjecti logice determinatur. S. Th. 3 p., q. 78, a. 2; Suarez, *de Euchar.*, disput. 58, sect. 7.

38. — *Inst.* Verbum *est*, in Scripturis sæpe sumitur pro *significat*; ergo et in propositione, de qua agitur.

Resp. Nego conseq. Eo quod in pluribus locis verbum *est* sumatur pro *significat*, non exinde sequitur quod semper sit hujusce verbi synonymon, nec quod nunquam in sensu proprio et naturali adhibeatur. Unde sensus verbi *est* pendet a contextu : porro in verbis institutionis Eucharistiæ nihil indicat sensum metaphoricum, sed e contra omnia sensum naturalem exigunt, ut vidimus. S. Th. *ibid.* ad 2.

39. — *Obj.* 3° Qui indigne accedunt ad Eucharistiam, dici possunt rei corporis Christi, tum quia oblatum sibi corporis hujus symbolum recipere nolunt, quod idem est ac ipsum pedibus conculcare; tum quia injuriose afficiunt symbolum seu imaginem corporis Christi : porro injuria erga imaginem refertur ad prototypum; ergo, etc.

Resp. 1. Non dicit Apostolus peccare impios, eo quod non recipiunt corpus Christi, sed quia recipiunt, indigne; ergo crimen constituit in ipsa sumptione corporis Christi, non in omissione sumptionis : propterea addit eos *sibi judicium manducare et bibere...* Deinde, juxta Apostolum, ideo peccant impii indigne accedentes ad Eucharistiam, quia non dijudicant corpus Domini, id est, quia illud sumunt instar cibi communis : porro, qui aliquid sumit instar cibi communis, illud revera sumit; ergo, etc.

2. Mirum sane Calvinistas, qui Christi et Sanctorum imagines fœde conculcant, summum tamen sacrilegium iis affingere, qui figuram tantum Christi indigne recipiunt. Et vero, quamvis reus sit qui Christi imaginem injuria afficit, attamen nullibi traducitur velut reus corporis et sanguinis Christi.

40. — *Obj.* 4° Inter SS. Patres alii dicunt Eucharistiam esse figuram, signum corporis Christi; alii asserunt in Eucharistia non esse idem corpus, quod de B. Virgine Christus assumpsit; alii commendant manducationem spiritualem corporis Christi ; alii dicunt panem benedictum non esse corpus Christi; ergo nihil probat argumentum ex SS. Patribus in hac materia depromptum.

Resp. Dist. ant. Scilicet, 1. Eucharistia dicitur figura, signum, etc., ratione specierum panis et vini, quæ ex institutione Christi sunt signum et figura corporis sui, non absentis quidem, sed præsentis et sub ipsis contenti. Dicitur quoque signum et figura corporis mystici Christi, quod est Ecclesia,

cujus unitas per panem ex multis granis confectum, et vinum ex multis racemis expressum repræsentatur, ut explicat S. August., Tract. 26 *in Joan.*

2. Corpus Christi dicitur idem non esse in Eucharistia, ac quod de Virgine assumptum est, quoad statum et affectiones, licet idem sit quoad substantiam.

3. SS. Patres commendant manducationem spiritualem, eo quod sine ea non prodest externa manducatio, ut docet S. August., Tract. 26 *in Joan.*

4. Tandem, cum quidam Patres dicunt panem benedictum non esse corpus Christi, intelligunt panem ante consecrationem, vel Eulogias seu panem benedictum, qui non communicantibus dabatur in signum unionis, et quem S. Augustinus vocat lato sensu Sacramentum. Vide n. 8.

41. — *Inst.* Si dogma præsentiæ realis primis Ecclesiæ sæculis creditum fuisset, illud cognovissent Gentiles : porro altum est apud Paganos silentium de Eucharistia.

Resp. 1. Tam accurate servata fuit a veteribus Christianis disciplina arcani seu lex silentii, in occultandis fidei mysteriis, ut mirum videri non debeat, si ne unus quidem ex ipsis, qui Christi fidem scripto impugnarunt, mysterium Eucharistiæ cognoverit.

2. Nec penitus hoc dogma ignorarunt Gentiles. Nam constat Gentiles intentasse in Christianos infanticidii accusationem. Hinc Tertull. c. 7. *Apologet. : Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii.* Hinc Cæcilius, apud Minutium Felicem objicit infantem occisum, cujus Christiani sitientes sanguinem bibunt, certatim membra dispertiuntur. Hinc Christianorum servi, apud Eusebium, lib. 5. *Hist.*, c. 1, Christianos accusant quod in mensis sacris vescantur infantium carnibus : porro hæc accusatio nata videtur ex confusa quadam mysterii Eucharistiæ notitia.

42. — *Obj.* 5° Dogma præsentiæ realis *rationi repugnat* ; ergo admitti nequit.

Resp. 1. Illud dogma rationi non repugnat, quod a Deo revelatum est, et quod aliunde maxime convenit attributis divinis et hominum utilitati : atqui ita est, ex dictis, de præsentia reali ; ergo, etc.

2. Repugnat orbem christianum et viros ingenio atque virtute præstantissimos constanter credidisse dogma in se absurdum, licet aliunde præjudiciis adversaretur, nulloque

modo passionibus faveret : atqui dogma præsentiæ realis præjudiciis adversatur, passionibus nullo modo favet, et tamen ab orbe christiano constanter fuit creditum ; ergo rationi non repugnat... Et vero, ut ait ipse Leibnizius, « omnes totius orbis Ecclesiæ, exceptis quæ *reformatæ* dicuntur, et infra reformandos *novando* descenderunt, hodie realem corporis Christi præsentiam agnoscere, nuper viri egregii *adeo liquide evicerunt*, ut fatendum sit vel *hoc esse probatum*, vel nihil unquam circa remotarum gentium sententias probari sperandum. » *Systema Theolog.*

43. — *Inst.* Repugnat idem corpus esse in pluribus simul locis : atqui præsentia realis hanc multilocationem implicat ; ergo repugnat.

Resp. 1. A nemine probari potest corpus jam in statu supernaturali et gloriæ, non posse esse præsens in pluribus simul locis. Siquidem ad hoc in primis requiritur proprietatis hujusce corporis cognitio, qua nullus in præsenti statu pollet.

2. Corpus Christi præsens est in Eucharistia seu vi sacramenti per suam substantiam, non vero per sua accidentia, et speciatim per suam quantitatem dimensivam, et ideo sub speciebus panis et vini non localizatur, ac consequenter potest esse illius substantia simul in pluribus locis, ex dicendis, n. 52-55.

ARTICULUS III

De modo realis præsentiæ Christi in Eucharistia.

Dicendum habemus 1° de notione et existentia transsubstantiationis ; 2° de ejus effectibus ; 3° de natura permanentium specierum panis et vini ; 4° de permanentia Christi sub illis speciebus.

§ I

De notione et existentia Transsubstantiationis.

44. — *Quæritur* 1° quid sit transsubstantiatio?

Resp. Quoad nomen, transsubstantiatio idem sonat ac transitus alicujus substantiæ in aliam. Quoad rem, transsubstantiatio, de qua hic agitur, juxta Conc. Trid., n. 3, est ***conversio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, manentibus duntaxat speciebus panis et vini.***

Dicitur 1 : *conversio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi*, etc.; quibus duo significantur, scilicet, panis et vini substantiam totaliter desinere, ut substantia corporis et sanguinis Christi succedat, ac proinde illam conversionem esse substantialem seu ex subjecto in subjectum: sed insuper aliquam dependentiam seu connexionem esse inter desitionem panis et vini substantiæ, quæ rationem habet termini *a quo*, et præsentiam substantiæ corporis et sanguinis Christi, quæ rationem habet termini *ad quem*. Suarez, *de Euchar.*, disp. 50, sect. 1, 2.

Exinde excluditur tum *impanatio*, qua Verbum, mediante corpore Christi, esset hypostatice unitum, cum ipso pane et vino, sicut hypostatice unitum est cum natura humana in Christo; tum unio qualiscunque *accidentalis* panem et vinum inter et corpus Christi; tum mera coexistentia panis et corporis Christi absque ulla unione, seu *conssubstantiatio*.

Dicitur 2 : *manentibus duntaxat speciebus panis et vini;* quibus significatur conversionem, de qua agitur, directe ac per se terminari ad substantiam corporis et sanguinis Christi, non vero insuper ad ejusdem corporis accidentia et dimensiones; sed accidentia panis et vini permanere ut aliquid commune, sub quo terminus ad quem expellit terminum a quo, eique succedit, quin ejusdem formæ succedat, seu quin in eo subjectentur illa accidentia; ac proinde præfata conversio est exclusive substantialis, nullatenus directe ac per se etiam formalis seu transaccidentalis. In hoc transsubstantiatio differt a *transformatione*, quæ respicit formam accidentalem aut substantialem; et propterea hoc Sacramentum, quasi per antonomasiam, dictum est *mysterium fidei*, quia in eo aliud videtur, et aliud traditur; c. 6, tit. 41, lib. 3 Decret.; Suarez, *ibid.*, disp. 56, sect. 1.

Itaque, in illa conversione, quæ per se ac directe non afficit formam seu accidentia corporis Christi, hoc corpus, vi illius conversionis, nec mutatur, nec augescit, nec generatur; sed mutatio fit tantum in panis et vini substantia, quæ vere transit, dum actio transmutativa terminatur ad corporis Christi substantiam, quæ non transit; Catech.

Rom. 2 p., c. 4, n. 39. Sic, in unione hypostatica Verbi cum natura humana, mutatio fit tantum ex parte naturæ humanæ, nullatenus ex parte Verbi; Tract. *de Incarn.*, n. 77, 78; S. Th. 3 p., q. 75, a. 2, 4.

Hujusmodi conversio subjecti in subjectum, remanente specie subjecti *a quo*, est omnino sui generis, nec de facto existit nisi in Eucharistia. Debuit igitur designari peculiari ac proprio nomine, quo illius conversionis natura a qualibet alia distingueretur, ac omnis error in hac re efficacius removeretur. Patres ad hoc usi sunt variis nominibus, quorum tamen alia sunt generalia, ut nomem *conversionis, mutationis, transitus, migrationis,* alia accidentariæ mutationi magis accommodata, ut nomen *transfigurationis*. Vox *transelementationis*, quam adhibuit Theophylactus, magis accedit ad proprietatem conversionis substantialis; sed durior videtur ac non satis accommodata, cum possit etiam significare resolutionem mixti in elementa.

Nomen autem *transsubstantiationis* proprie significat conversionem totius substantiæ in aliam substantiam, remanente prioris substantiæ specie, sub qua posterior succedit. Hoc nomine ad explicandum præsens mysterium usus est Petrus Blesensis, Epist. 140, an. 1160; legitur etiam in antiqua fidei professione Tolosanorum hæreticorum apud Baronium, ad an. 1178; item in Epist. Gofredi ad card. Albanensem, apud etiam Baronium ad an. 1188. Tandem illa vox consecrata fuit a Conc. Later. IV, c. 1, tit. 1, lib. 1 Decret., a Conc. Trid., n. 10, sicut olim Ecclesia invenit et consecravit vocem *consubstantialis* contra Arianos, ac nomen *Deiparæ* contra Nestorianos.

Unde nomen illud tria exprimit, scilicet, absentiam substantiæ panis et vini, præsentiam substantiæ corporis Christi sub speciebus panis et vini remanentibus, atque hujusmodi absentiam unius substantiæ et præsentiam alterius per veram conversionem unius in alteram, ut jam expositum est: hæc tria ad dogma catholicum pertinent.

Qui vero ipsam vocem *transsubstantiationis* uti ineptam aut barbaram rejiceret, rem ipsam retinendo, non esset eo ipso hæreticus, sed valde temerarius, scandalosus, aures

pias offendens, et in foro externo vehementer de hæresi suspectus. Suarez, *de Euchar.*, disput. 50, sect. 1.

45. — *Quæritur* 2° quinam transsubstantiationem negaverint?

Resp. Berengarius, postquam confessus fuerit præsentiam realem, impanationem asseruit. Eumdem errorem professi sunt Viclefus, Joannes Hus et Oziander; vide Bellarm., *de Euchar.* lib. 3, c. 11.

Aliqui ex illis hæreticis discipuli retinuerunt tantum unionem accidentalem, sed intimam, panis cum Christo, in qua panis servat quidem suum suppositum, sed penetratur a Christo, sicut ferrum igne; et idcirco panis dicitur corpus Christi, sicut ferrum ignitum vocari solet ignis. Bossuet, *Histoire de Variat.*, lib. 2.

Alii Berengarii discipuli nec unionem hypostaticam, nec accidentalem inter panem et Corpus Christi professi sunt, sed utriusque coexistentiam seu conssubstantiationem. Hanc hæresim iterum suscitavit Lutherus; eamdem amplexati sunt Anglicani; et illi omnes contendunt dogma transsubstantiationis et hoc nomen ab Innoc. III fuisse inventa, et a Conc. Later. IV propalata. Itaque

PROPOSITIO

46. — *Christus præsens est in Eucharistia per transsubstantiationem*,. De fide est.

Prob. 1° *Script.* Christus accepit panem et vinum, et dixit : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* Matth. 26, ỳ 26, 28 : porro illa verba, in sensu litterali et obvio, sunt istis æquivalentia : « quod teneo in manibus meis, est corpus meum, sanguis meus; » ex dictis enim, n. 38, sensus pronominis, *hoc*, *hic*, non determinatur nisi per prolationem attributi, *corpus meum, sanguis meus*, quod per se exprimit substantiam tantum ipsius humani corporis et sanguinis Christi; ergo eo instanti, quo pronuntiata est duplex illa propositio consecratoria seu effectiva rei quam significat, nihil aliud erat in manibus Christi quam ejus huma-

num corpus et sanguis; ac proinde desierat substantia panis et vini.

Atqui tamen eodem instanti permanebat species seu forma panis et vini; ergo, per illa verba, substantia panis et vini conversa est in substantiam humani corporis et sanguinis Christi per veram transsubstantiationem.

Revera, sensus verborum Christi omnino tollitur per impanationem, per unionem panis accidentalem, aut per conssubstantiationem.

Et quidem 1. per *impanationem*. Etenim Christus non dicit : *Hic panis est corpus meum*, scilicet, per unionem hypostaticam; sed tantum ; *Hoc est corpus meum* : atqui pronomen, *hoc*, non est ex se synonymon adjecti et substantivi *hic panis;* sed sensus illius pronominis *hoc* determinatur per attributum, *corpus meum ;* hoc autem attributum per se et in sensu naturali significat humanum Christi corpus, et contrarium hæreticum est, ex dictis, n. 35; ergo per impanationem omnino tollitur propositio a Christo prolata.

Aliunde, quod divinum Verbum sit impanatum, sicut incarnatum fuit, absurdissimum est, atque in Scripturis et Patribus inauditum. Et quis dicat Verbum esse vere et proprie panem, sicut est homo? in natura panis quotidie impanari, talemque impanationem desinere, quoties consumitur aut corrumpitur illa panis frustula?

2. Per *unionem panis accidentalem* aut per *conssubstantiationem*. Nam Christus non dixit : *hic est corpus meus et sanguis meus simul cum substantia panis et vini;* sed simpliciter : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, qui* pro vobis *effundetur* in *remissionem peccatorum :* porro adverbium *hic* non est synonymon pronominis *hoc;* nec attributum *corpus meum, sanguis meus,* est synonymon attributi *corpus meum cum pane, sanguis meus cum vino ;* ergo per unionem accidentalem panis aut per conssubstantiationem omnino tollitur propositio a Christo prolata.

2° *Traditione*. 1. SS. Patres sane docent transsubstantiationem, dum asserunt Eucharistiam non esse panem communem, sed corpus Christi verum, quod ex Maria Virgine

natum est, veram Christi carnem quæ crucifixa est, quæ sepulta, quæque a mortuis resurrexit; per verba consecratoria, Christum ex pane efficere corpus suum, et vinum in suum sanguinem convertere, sicut in Cana aquam in vinum convertit; prolatis consecrationis verbis, jam non superesse substantiam panis, licet aliter sensus referant: atqui hæc omnia docent SS. PP. partim in probationibus præsentiæ realis jam laudati, partim in decursu citandi præsertim S. Irenæus, lib. 4 *adv. Hæreses*, c. 18; S. Hilarius Pict. lib. 8 *de Trinit.*; S. Ambr. lib. *de Mysteriis*, c. 9; ergo, etc.

2. Dogma transsubstantiationis definitum fuit a Conc. Rom. sub Gregor. VII, 1079, contra Berengarium et ejus discipulos; a Conc. Later. IV, 1215, contra Almaricum; a Conc. Constantiensi, 1418, contra Viclefum et Joannem Hus; a Conc. Florent., 1439, pro decretro unionis cum Græcis; a Conc. Trid. contra Osiandrem, Lutherum et eorum asseclas. Hoc Concilium sic rem dilucide decernit, n. 10 : « Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento *remanere substantiam panis* et *vini*, *una cum corpore* et *sanguine Domini nostri Jesu Christi;* negaveritque *mirabilem illam* et singularem *conversionem totius substantiæ panis in corpus*, et totius *substantiæ vini in sanguinem*, manentibus *duntaxat speciebus* panis et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime *Transsubstantiationem* appellat : anathema sit. »

3. Idem Præscriptionis argumento comprobatur. Tempore enim Conc. Lateran. IV, Florent. et Trid., Ecclesia tum Latina, tum Græca, transubstantiationis dogma profitebantur : porro tale dogma in fidem Ecclesiæ universalis transire non potuit per mutationem sensibilem, nec insensibilem, ut expositum est p. 484; ergo ab Apostolis et a Christo defluit [1].

1. « Pia antiquitas, inquit Leibnizius, aperte satis declaravit panem mutari in corpus Christi, vinum in sanguinem, passimque hic veteres agnoscunt, μεταςταιχειωσιν, quam Latini transsubstantiationem recte verterunt, et definitum est totam substantiam panis et vini transire in totam substantiam corporis et sanguinis Christi; et quemadmodum igitur alios, ita hic quoque explicanda est Scriptura ex Traditione, quam custos Ecclesia ad nos usque transmisit. » *Systema Theolog.*

3° *Ratione*. 1. Christus non est in Eucharistia per *impanationem*, quæ, ut modo diximus, rationi repugnat; nec per *consubstantiationem*, et multo minus per accidentalem unionem, siquidem coexistentia panis et vini nullomodo necessaria est, sed e contra dignitatem Christi dedecet, et ingens includeret idololatriæ periculum, cum fideles, adorando Eucharistiam, neutiquam pares essent ad distinguendum panem a corpore Christi; nec per *transformationem*, quatenus species panis et vini afficerent ipsum corpus Christi : repugnat enim corpus Christi post consecrationem esse rem fragilem, rotundam, tenuem, albicantem, liquidam, et ipsi corpori Christi obvenire, quæ in specie indigna patrari et incidere possunt, imo ipsas species simul cum corpore, cujus essent forma, adorari. Aliunde, tunc adesset non solum transsubstantiatio, sed etiam transaccidentatio ; quod est inauditum in Ecclesia.

2. Ad veritatem verborum Christi in consacratione necesse est, ex modo dictis, ut, in fine illorum, contentum sub speciebus jam non sit panis, sed corpus Christi.

3. Nec ullomodo repugnat illa conversio. Equidem nullum agens naturale seu creatum agere potest nisi ad immutationem formæ, atque adeo omnis conversio juxta leges naturæ est formalis, nunquam substantialis. At Deus est auctor substantiæ ac formæ seu totius naturæ entis; et ideo non solum perficere potest quod diversæ formæ sibi succedant in eodem subjecto, sed etiam quod tota substantia unius subjecti in substantiam alterius subjecti convertatur atque adsit conversio vere substantialis. In hoc profecto nulla adest repugnantia, cum sit effectus positivus et finitus, nec talis conversio excedit potentiam obedientialem substantiæ creatæ, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 172.

4. Tandem remanent panis et vini species ob triplicem præsertim rationem. Scilicet, 1. ut per eas moneamur de præsentia substantiæ corporis Christi. Hæc enim substantia directe et in se seu abstracta a suis accidentibus, qualis est in Eucharistia, non cadit sub sensu, ut infra, n. 36. 2. Nec est hominibus consuetum, sed horribile carnem homi-

nis comedere, et sanguinem bibere; et ideo proponuntur nobis caro et sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum, quæ frequentius in usum hominis veniunt, nimirum panis et vini. 3. Dum invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficit ad meritum fidei. S. Th. 3 p. q. 75, a. 5.

47. — *Quæritur* 1° an transsubstantiatio fiat in instanti?

Resp. affirmative, tum ratione formæ seu substantiæ corporis Christi, quæ non suscipit magis vel minus; tum ex parte subjecti, quod in hac conversione successive non præparatur; tum ex parte agentis seu Dei, cujus virtus est infinita. Eodem itaque instanti quo desinit substantia panis, incipit esse substantia corporis Christi. S. Th. *ibid.*, a. 7.

48. — *Quæritur* 2° qualis sit actio qua perficitur transsubstantiatio, an, scilicet, resolutiva, substitutiva, assimilativa, annihilativa, annihilativa simul et productiva, adductiva, unitiva, conservativa, reproductiva?

Resp. Hac de re in varias sententias abeunt auctores; Suarez, *de Euchar.*, disp. 50, sect. 3, 4. Quod idcirco probabilius videtur, breviter exponemus. Et quidem 1. illa actio non est *resolutiva,* qua substantia panis et vini resolveretur in præjacentem materiam. Nam, per verba consecrationis, forma panis separatur a materia, saltem si admittantur species objectivæ, n. 59 : materia autem stare nequit sine forma; ac proinde substantia panis non resolvitur in præjacentum materiam; aliunde verba consecrationis non significant resolutionem, sed conversionem substantiæ panis in aliam. S. Th., *ibid.* a. 3.

2. Nec *substitutiva,* qua panis in alium locum transferretur, ut in ejus loco poneretur corpus Christi. Nam substantia panis in alium locum transferri nequit sine sua forma : porro, in transsubstantiatione, actio respicit solummodo substantiam panis, remanente ejusdem forma; ergo illa actio non est substitutiva.

3. Nec *assimilativa,* qua tota substantia panis et vini fieret pars integra substantiæ corporis Christi. Nam tunc reipsa remaneret substantia panis et vini; nec fieret conversio unius

substantiæ in aliam, atque perpetuo mutaretur et augesceret corpus Christi. Hæc autem omnia repugnant thesi statutæ, n. 46.

4. Nec mere *annihilativa* substantiæ panis et vini, per merum divini concursus suspensionem. Nam annihilationis terminus est negativus seu non esse simpliciter : atqui, in transsubstantiatione, non desinit totaliter una substantia, nisi adsit altera, ita ut desitio unius non terminatur ad purum nihilum, sed ex illa sequitur terminus positivus seu substantia corporis Christi, per unam et indivisibilem actionem. Aliunde consecratio fit non per suspensionem concursus, sed per actionem positivam. S. Th. *ibid.*

5. Nec *annihilativa* simul et *productiva*, quatenus importat duas actiones totales et distinctas. Tunc enim deficeret connexio inter desitionem unius substantiæ et præsentiam alterius, nec ideo una esset terminus *a quo,* altera vero terminus *ad quem*, nec transsubstantiatio a Conc. Trid. definita, quæ, ut patet, una et indivisibili actione perficitur.

6. Nec *adductiva* tantum præsentiæ accidentalis corporis Christi sub speciebus, ut volunt Scotistæ, Bellarm., etc. Nam, in transsubstantiatione, terminus actionis non est præsentia accidentalis, sed ipsa substantia corporis Christi ; nec fit adductio præsentiæ, sed conversio unius substantiæ in aliam, ut definivit Conc. Trid. ; nec adest, uti in adductione, motus localis, exclusus a Conc. Trid.

7. Nec *unitiva physice*, qua, nempe, corpus et sanguis Christi unirentur cum panis et vini speciebus, quibus substarent, et sic eas servarent absque subjecto, ita ut Christus non adduceretur, nec produceretur, sed uniretur vel introduceretur sub species panis et vini, ut sentiunt Henriquez, Valentia, de Lugo, etc. Unio enim præsupponit rei uniendæ præsentiam ; nec in tali unione addesset quidquid substantiale, sicut in transsubstantiatione.

Nec *unitiva extrinsece* et *logice*, quæ, nimirum, constituitur relatione ordinis inter substantiam, quæ desinit et eam, in quam desinere dicitur vi verborum consecrationis, sicque transsubstantiatio esset ipsamet cessatio substantiæ panis in ordine ad realem præsentiam substantiæ corporis Christi, ut asserunt Vasquez, Veronius, P. Perrone, apud quem hæc sententia « simplicitate sua commendatur, et faciliorem reddit hujus dogmatis vindiciam ; » *de Euchar.*, c. 2. n. 133.

Cessatio enim substantiæ panis cum sola relatione extrin-

seca ad præsentiam substantiæ corporis Christi, non est conversio seu transitus unius substantiæ in aliam; nec relatio per se producitur, sed resultat, positis fundamento et termino; ac proinde illa actio, qua constitueretur præfata relatio, præsupponit substantiam corporis Christi jam in Eucharistia præsentem; et, si eadem actio, qua producitur illa relatio, producat etiam illam substantiam corporis Christi in sacramento, eo ipso non est productiva tantum simplicis relationis, sed est destructiva unius substantiæ ac simul productiva alterius.

8. Nec *conservativa*, quæ, videlicet, vi verborum consecrationis, apta est ad substantiam corporis Christi producendam, si jam non existeret in natura; et ideo, cum existat, vi illorum verborum conservatur tantum ac continuatur sub speciebus sacramentatibus, juxta Suarez, *de Euchar.*, disput. 50, sect. 4, n. 10 et seq.

Nam conservatio rei in loco, supponit eam ibi jam esse: porro, ante transsubstantiationem, substantia corporis Christi non est sub sacramento. Insuper, conservatio rei ab omni loco abstrahit, dum transsubstantiatio fit tantum in sacramento. Imo illa actio conservativa de facto nihil conservat, cum substantia corporis Christi jam existat et aliunde conservetur, ac proinde non fit proprie transsubstantiatio. Tandem verba consecrationis et actio transsubstantiationis, quatenus a Christo ordinatum est, non habent vim producendi absolute substantiam corporis Christi, sed solum modo secundum quid, id est, sub speciali et accidentali modo essendi, qui supponit illud corpus jam existens.

9. Bene vero *reproductiva* corporis Christi, non simpliciter et absolute, cum jam existat in cœlo sub propria specie, sed secundum quid, seu quatenus alia substantia in ipsius substantiam convertitur, remanente prioris substantiæ specie. Ita plerique Thomistæ.

Etenim in transsubstantiatione agitur tantum de illo speciali modo essendi, qui directe afficit ipsam corporis Christi substantiam, non vero ejusdem substantiæ accidentia; ergo transsubstantiatio fit per actionem, qua ex substantia panis substantia corporis Christi producitur seu constituitur in illo speciali essendi modo.

Revera, transsubstantiatio est conversio substantialis, uxta Conc. Trid., n. 44 : atqui non est conversio sine productione rei in quam fit conversio; nec productio substantialis, sine productione esse substantialis; nec productio esse substantialis simpliciter, sed secundum aliquem tantum specialem essendi modum, cum ipsum esse substantiale jam existit, ut in præsenti casu; ergo actio qua fit transsubstantiatio, est productio substantiæ corporis Christi ex substantia panis sub hujus specie, id est, in speciali essendi modo eucharistico. S. Th., 3 p. q. 75, a. 8.

49. — *Obj.* Sensus nostri post consecrationem, non minus ac antea, renuntiant adesse panem in Eucharistia : atqui sensus omnium hominum erroneum factum referre non possunt; ergo post consecrationem remanet panis in Eucharistia.

Resp. Dist. major. Sensus renuntiant apparentias seu species panis post consecrationem, sicut ante, *conc.*; ipsam substantiam panis, *nego.* Nam ad sensus pertinet renuntiare solummodo rerum physicarum apparentias : atqui apparentiæ panis remanent post consecrationem; ergo non decipiuntur sensus, dum illas referunt. Per mentis autem judicium affirmamus sub rerum physicarum apparentiis esse substantiam, nisi aliter fieri Deo placuerit : atqui, in præsenti casu, Deus nobis revelavit quod, peracta consecratione, non permanet panis et vini substantia, sed eorum species tantum; ergo ille seipsum fallit, qui non obstante illa præternaturali præmonitione, nihilominus pronuntiat in dicto casu remanere panis et vini substantiam. S. Th., 3 p. q. 75, a. 5, ad 2.

50. — *Inst.* Peracta consecratione, homo enutritur speciebus panis et vini, atque eædem species corrumpuntur : atqui hoc fieri nequit nisi ex præjacente materia et substantia; ergo remanet panis et vini substantia.

Resp. Dist. minor. Hoc fieri nequit nisi ex substantia adveniente, statim ac cessat præsentia corporis Christi sub speciebus, *conc.*; nisi ex substantia manente sub speciebus, dum præsens est substantia corporis Christi, *nego.*

Videlicet, cessat præsentia substantiæ corporis Christi sub speciebus, eo ipso ac species corrumpuntur seu amittunt suam formam substantialem, eodem modo ac si adesset panis ac vini substantia. Porro, juxta Cartesianos, qui sentiunt spe-

cies esse mere subjectivas et immediate causari ab ipso De.. n. 60, cessante præsentia substantiæ corporis Christi, eo ipso adest, vi operationis extranaturalis, substantia creata cum accidentibus corruptis, qua corpus nutritur, ex qua vermes generantur, etc.

Thomistæ autem, cum propugnent species objectivas, n. 39 confitentur difficile concipi illam substantialem corruptionem atque ad eamdem explicandam in plures abeunt sententias, ut ait Billuart, *de Euchar.*, dissert. 1, a. 6. Quidam sentiunt ex ipsa specie objectiva generari posse, quidquid generaretur ex materia panis et vini; sed hæc opinio a plerisque rejicitur. Alii itaque putant, facta alteratione, et positis dispositionibus sufficientibus in speciebus objectivis ad corruptionem seu generationem per nutritionem aut fermentationem, produci a Deo materiam, ex cujus potentia educatur, et in qua recipiatur forma substantialis novi compositi.

§ II.

De effectibus Transsubstantiationis quoad realem Christi præsentiam.

51. — *Quæritur* 1° an, post transsubstantiationem, corpus Christi sit etiam sub specie vini, et vice versa, an etiam totus Christus sit sub utraque specie?

Resp. Affirmative, et de fide est, contra Inctinctores damnatos a Julio I, an. 676, c. 7, dist. 2, *de Consecr.*, et alios posteriores hæreticos, qui requirebant communionem sub utraque specie, falso existimantes sanguinem non esse sub specie panis, nec corpus sub specie vini.

Etenim 1., ex S. Paulo, I Cor. 11, ℣ 27, « Quicumque manducaverit *panem* hunc, *vel* biberit *calicem* Domini indigne, reus erit corporis *et* sanguinis Domini : » porro, si satis sit alterutrum recipere indigne, ut quis reus sit utriusque, et quatenus ad Dominum pertinentis, ergo utrumque sub specie panis, item sub specie vini, imo totus Christus existit.

2. Hoc sic definivit Conc. Trid., n. 11 : « Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ, *sub unaquaque specie totum Christum contineri* : anathema sit. »

Confirmatur praxi Ecclesiæ, quæ totum Christum vene-

ratur ac deprecatur sub singulis speciebus, et communionem fidelibus porrigit sub specie panis tantum, atque canit : « Caro cibus, sanguis potus; manet tamen Christus totus sub utraque specie. »

3. Ratio idem comprobat et explicat cum ipso Conc. Trid., n. 3. Etenim *vi verborum* consecrationis seu vi transsubstantiationis, substantia corporis tantum sub specie panis, et substantia sanguinis tantum sub specie vini existit : at, cum *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*, Rom. 6, ✝ 9, *vi naturalis illius connexionis* et *concomitantiæ*, qua partes Christi domini inter se copulantur, ipsum corpus sub specie vini, et sanguis sub specie panis, animaque sub utraque existit; Verbum autem sub utraque specie existit propter ejus cum corpore et anima *hypostaticam unionem*.

Demum, vi naturalis connexionis et concomitantiæ, qua per naturam divinam inseparabiliter uniuntur tres personæ divinæ, Pater et Spiritus Sanctus sunt etiam concomitanter, licet mediate, in Eucharistia. Attamen plerique Thomistæ sentiunt ad concomitantiam Sacramentalem requiri, ut id, quod conjungitur, in unitate suppositi conjungatur cum termino formali conversionis, et cum illo constituat vel pertineat ad idem suppositum ; ac proinde Patrem et Spiritum Sanctum, eo quod hoc modo non uniantur cum corpore et sanguine Christi, non esse in Eucharistia per concomitantiam. Quæstio, ut patet, movetur tantum de majori proprietate locutionis. Vide Gonet, *de Euchar.*, disp. 5, a. 1.

Jam vero, licet totus Christus sit sub utraque specie, non fit tamen consecratio seu transsubstantiatio sub una tantum specie, sed sub utraque, ob triplicem præsertim rationem : scilicet, 1. ob rationem sacrificii et ad repræsentandam Christi passionem, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus : quare illud Sacramentum est memoriale dominicæ passionis, et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione. 2. ut clarius significetur hoc Sacramentum sumi ad usum spiritualis manducationis, nempe, corpus in cibum, et sanguinem in potum ; 3. ut exhibeatur

corpus sumi pro salute corporis, sanguinem vero pro salute animæ, quia, ut dicitur in Levit. 17, ℣ 11, *anima carnis in sanguine est*. S. Th. 3 p., q. 74, a. 1, q. 76, a. 2, ad 1

52. — *Quæritur* 2° an Christus totus existat sub *singulis partibus* cujusque speciei sive post divisionem, sive ante etiam?

Resp. Affirmative. Et quidem 1° *post divisionem* cujusque speciei ; et de fide est. Hoc sic definivit Conc. Trid., n. 11 « Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ... *sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta*, totum Christum contineri : anathema sit. »

Confirmatur tum agendi ratione Salvatoris, qui calicem unum inter omnes Apostolos divisit ; tum praxi Ecclesiæ quæ totum Christum veneratur ac deprecatur sub singulis partibus cujusque speciei, separatione facta, et absque nova consecratione, et communionem sæpe fidelibus porrigit sub aliqua tantum parte speciei panis, atque canit : « Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento *tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur*. »

2° *Ante divisionem* etiam. Hoc non fuit ab Ecclesia definitum, sed communiter asseritur a Theologis; vide Suarez, *de Euchar.*, disp. 52, sect. 2. Namque 1. Conc. Trid., n. 3, non definiendo, sed exponendo, absolute et absque distinctione dicit « totum et integrum Christum sub *quavis speciei panis parte*, totum item sub speciei vini *partibus* existere; » ergo hoc verum est sive ante, sive post divisionem. « Manifestum est, inquit S. Th., 3 p., q. 76, a. 3, quod totus Christus est sub *qualibet parte* speciei panis, *etiam hostia integra manente*, et non solum cum frangitur, sicut quidam dicunt. »

2. Facta divisione, totus Christus existit sub qualibet parte speciei divisæ, ex dictis n. 51 : atqui divisio fieri potest a laico, qui sane præsentiam Christi multiplicandi potestate caret; ergo Christus totus est sub qualibet parte speciei etiam ante divisionem.

3. Tandem, vi verborum consecrationis substantia est sub speciebus : atqui tota ratio ac natura substantiæ est

sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, sive dimensiones aeris sint actu divisæ, vel non; ergo tota substantia corporis Christi est sub qualibet parte speciei etiam ante hujus divisionem. Sic, v. g., quis, si stet ante speculum, totus semper apparet, sive perspiciatur per integrum speculum, sive per unamquamque speculi partem : species autem Sacramentales sunt quasi speculum, per quod substantia corporis Christi fit nobis præsens; ergo per totam illam speciem vel per quamlibet ejus partem apprehendi potest illa substantia. S. Th., *ibid.*

522. — *Quæritur* 3° an *accidentia* corporis Christi et speciatim ejus *quantitas dimensiva* sint in Eucharistia?

Resp. Non sunt in Eucharistia vi Sacramenti, sed tantum ex reali concomitantia.

Et quidem 1. *non vi Sacramenti* seu transsubstantiationis. Namque vi Sacramenti est in Eucharistia illud in quod directe ac per se terminatur conversio seu transsubstantiatio : atqui hæc per se ac directe terminatur ad ipsam substantiam corporis Christi, non vero ad ejus accidentia et dimensiones, et propterea remanent accidentia panis, sola substantia panis transeunte, ut per se sola succedat substantia corporis Christi; ergo, vi conversionis, in Eucharistia non sunt accidentia corporis Christi nec ideo ejus dimensiones, sed corpus Christi est in Sacramento per modum substantiæ tantum, et non per modum accidentium et quantitatis.

2. *Sed ex reali concomitantia.* Etenim substantia corporis Christi realiter non dividitur a suis accidentibus et dimensionibus; et ideo, vi realis concomitantiæ, sunt in hoc Sacramento omnia illius corporis accidentia et ideo ejus dimensiones.

Jam vero, modus essendi cujuslibet rei determinatur secundum id, quod est per se, non vero secundum id, quod est per accidens : atqui substantia corporis Christi est in Sacramento per se, ejus vero accidentia indirecte, consequenter, concomitanter, quasi per accidens, seu mediante

substantia ; ergo corpus Christi non est in Eucharistia secundum sua accidentia et per modum quantitatis. S. Th. 3 p., q. 75, a. 1, ad 3. a. 4.

53. — Hinc 1° corpus Christi in Eucharistia non est sicut in loco seu non localizatur.

Etenim, ex modo dictis, corpus Christi, vi transsubstantiationis, est in Eucharistia per modum subtantiæ tantum, non vero secundum sua accidentia et per modum dimensionum, id est, non per modum illum, quo quantitas dimensiva alicujus corporis est sub quantitate dimensiva loci, ita ut dimensiones propriæ corporis Christi non comparantur ad locum per se et directe, sed mediante substantia : atqui substantia per se seu a suis accidentibus et dimensionibus abstracta relative ad species Sacramentales et ad corpora circumstantia, non commensuratur loco seu hisce speciebus et corporibus, sed continetur indifferenter in parva vel magna quantitate dimensiva, sicut tota natura aeris est in parvo vel magno aere, aut sicut anima est tota in toto corpore, ac tota in qualibet corporis humani parte ; ergo corpus Christi in Eucharistia non est sicut in loco seu non localizatur sub speciebus Sacramentalibus.

« Nec inter se pugnant, ait Conc. Trid., n. 1, ut Salvator noster, semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, *juxta modum existendi naturalem*, et ut multis nihilominus aliis in locis *sacramentaliter præsens sua substantia* nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus. » Ergo, ex Conc. Trid., corpus Christi in Eucharistia non est præsens juxta modum existendi naturalem, sed sacramentaliter seu per solam corporis substantiam; et ideo in Eucharistia non localizatur.

Revera substantia corporis Christi in Sacramento non comparatur ad locum nisi mediantibus dimensionibus specierum panis et vini : porro tales species remanent illi substantiæ extrinsecæ et alienæ, cum non sit transformatio in transsubstantiatione, nec illæ species in tali subs-

tantia subjectentur; ergo per species non commensuratur seu non localizatur corpus Christi in Eucharistia.

Non est tamen corpus Christi extra superficiem specierum, nec in alia parte altaris, quia incipit ibi esse per conversionem substantiæ panis in suiipsius substantiam sub speciebus panis et vini; et ideo, his mediantibus speciebus extrinsecis, subtantia corporis Christi comparatur ad locum.

Equidem distantia est inter varias partes in ipso corpore Christi, et hæc extensio in ordine ad varias partes illius corporis dicitur *intrinseca* et *essentialis*, atque subsistere potest sine extensione extrinseca et locali, qua unaquæque pars alicujus corporis respondet unicuique parti corporum circumstantium cum actuali impenetrabilitate ac resistentia; nulla enim relatio per se necessaria est inter res contingentes: porro, de facto in Eucharistia accidentia corporis Christi, et ideo ejus dimensiones, ex modo dictis, non habent per se et immediate habitudinem seu relationem ad hoc Sacramentum, neque ad corpora circumstantia, sed mediante tantum corporis Christi substantia; ergo, stante extensione intrinseca inter varias partes corporis Christi, idem corpus in Sacramento caret extensione extrinseca et locali.

Proinde corpus Christi non est in Eucharistia circumscriptive, definitive, sed sacramentaliter. Non *circumscriptive*, eo sensu quod ejus partes commensurentur ad locum, et respondeant partibus loci; nec *definitive*, eo sensu ut non sit extra hanc speciem sacramentalem, siquidem idem illud corpus potest esse sub plures alias species sacramentales, atque etiam est simul in cœlo sub propria specie; sed sacramentaliter, quatenus est sub speciebus panis et vini per suam tantum substantiam, et ideo quin commensuretur loco, et quin ad unum locum restringatur. S. Th. 3 p., q. 76, a. 1, ad 3; a. 3, 4, 5; Catech. Rom. 2 p., c. 4, n. 43.

54. — Hinc 2° corpus Christi, per se loquendo, est immobiliter in hoc Sacramento seu non potest moveri per se motu locali.

Etenim, ex modo dictis, corpus Christi in Eucharistia non est sicut in loco seu localiter : porro, quod non est in loco, non movetur per se in loco, sed solum ad motum ejus in quo est, ita ut id, quod per se movetur, per se recipit terminum motus, non autem id, quod per se non est in loco; ergo in Sacramento terminus motus sunt species sacramentales, non vero corpus Christi, sicut, dum movetur corpus humanum, terminus motus non est anima, sed solum corpus; sicque præsentia corporis Christi eadem prorsus remanet, quamvis aliunde species localiter moveantur. S. Th. 3 p. q. 76, a. 6.

Sit, v. g., Petrus coram aliquo speculo, quin ullam relationem extensionis extrinsecæ habeat cum corporibus, quæ speculum circumstant, dum ipsum speculum cum hisce corporibus servat hujusmodi relationem : si moveatur speculum respectu horum corporum circumstantium, Petrus, pro quo illa corpora, ratione extensionis extrinsecæ, sunt uti non existentia, permanet respectu illorum immobilis, ac simul semper est immediate præsens speculo.

55. — Hinc 3° substantia corporis Christi, mediantibus speciebus, præsens esse potest simul in pluribus locis; n. 43.

Etenim, ex modo dictis, substantia corporis Christi non est sub speciebus sicut in loco, nec moveri potest, eo quod, dum immediate præsens est speciebus, simul caret extensione extrinseca respectu ipsarum specierum et corporum circumstantium, quæ ideo, ratione extensionis seu distantiæ, sunt pro illa substantia quasi non existerent; ergo omnes species sacramentales, dum separantur ad invicem per corpora circumstantia, simul immediate præsentes remanent substantiæ corporis Christi, quæ hoc modo fit præsens simul in pluribus locis. S. Th. 3 p. q. 75, a. 1, ad 3[1].

1. « Nos quoque, ait Leibnizius, non perfunctorie studiis mathematicis, mechanicisque, et naturæ experimentis operam dedisse, et initio in illas ipsas sententias quas paulo ante diximus (quæ ut impossibilem habent præsentiam corporis

56. — Hinc 4° corpus Christi in Eucharistia nec pati potest per actionem corpoream, nec ab oculo corporeo videri.

Etenim, ex dictis, n. 52, corpus Christi non est in Sacramento nisi per substantiam, non vero per sua accidentia et dimensionem extrinsecam : atqui per actionem corpoream et corporeum oculum non apprehenditur ipsa corporis substantia, sed ejus accidentia et dimensio extrinseca et localis, ut ipsa experientia constat ; ergo corpus Christi, secundum modum quem habet in hoc Sacramento, nec pati potest per actionem corpoream, neque sensu aut imaginatione perceptibile est; imo, ut addit S. Th., *ibid.*, a. 7, « quia modus essendi, quo Christus est in hoc Sacramento est penitus supernaturalis, a supernaturali intellectu, scilicet divino, secundum se visibilis est, et per consequens ab intellectu beato; nec intellectus angelicus secundum sua naturalia sufficit ad hoc intuendum, nec dæmones possunt illud videre nisi per fidem. »

§ III

De natura specierum panis, et vini, quæ remanent post transsubstantiationem.

57. — *Quæritur* 1° quid sint species quæ permanent post transsubstantiationem ?

Resp. Plura hac de re fuerunt excogitata systemata. Quædam ex illis systematibus supponunt vel aliquam panis et vini substantiam permanere, vel illa accidentia subjectari in ipso corpore Christi, vel in aliena non connaturali substantia. Hæc autem jam in supradictis sunt excussa. Vera enim transsubstantiatio stare nequit, si species in aliqua substantia subjectatæ permaneant, aut si adsit insuper transaccidentatio.

Duplex igitur superest systema, prout accidentia sacramentalia spectantur vel ut in se, objectivo sustentata virtute di-

Christi in pluribus simul locis), inclinasse fatendum est ; tandem progressu meditandi, ad veteris philosophiæ dogmata nos recipere fuisse coactos.

« Quarum meditationum seriem si exponere liceret, fortasse agnosceretur ab iis, qui nondum imaginationis suæ præjudiciis occupati sunt, non usque adeo confusas et ineptas esse eas cogitationes, ac illis vulgo persuasum est, qui receptorum dogmatum fastidio tenentur, et Platoni, Aristoteli, divo Thomæ, aliisque summis viris tanquam pueris insultant. » *Systema Theol.*

vina, vel ut subjective tantum causata ab immediata Dei operatione, vice substantiæ panis et vini. Prius asseritur a Thomistis; posterius a Cartesianis, inter quos Card. Gerdil. *Institutionibus Logicæ, Metaphysicæ et Ethicæ*. Utrumque accurate, sed breviter, exponendum est, ut quisque statum quæstionis callere possit, et inter utrumque eligere, vel in dubio hærens permanere, si magis arrideat.

58. — *Quæritur* 2° quid sit accidens, et quotuplex?

Resp. 1° Accidens dicitur per oppositum ad substantiam. porro substantia est in se ipsa ac se sustentat absque aliquo subjecto, v. g., anima, arbor, panis, vinum; accidens ergo non est in se, nec se sustentat, sed, ex essentia sua, est in alio sicut in subjecto, cui inhæret, et a quo sustentatur, ita ut existit seu potius inexistit subjecto, quandiu existit subjectum, et, subjecto corruente, corruit et ipsum; v. g., scientia, virtus non est nisi in anima, sanitas non est nisi in corpore animato, quantitas dimensiva non est nisi in substantia quantitativa. Zigliara, *Ontolog.*, n. 30, I.

Proinde accidens non est ens, sed aliquid entis. « Illud proprie dicitur *esse* quod ipsum *habet esse*, quasi in suo esse subsistens. Unde solæ substantiæ proprie et vere dicuntur entia; accidens vero non habet esse, sed eo aliquid est, et ea ratione dicitur ens, sicut albedo dicitur ens, quia ea aliquid album est album; et propter hoc accidens dicitur magis *entis* quam *ens*. » S. Th. 1 p. q, 30, a. 2.

2° Accidentia sunt intrinseca vel extrinseca. De his non agitur in præsenti quæstione. Intrinseca accidentia sunt absoluta vel relativa seu modalia.

Absoluta accidentia sunt illa, quæ immediate afficiunt ipsam substantiam, atque ideo rei materiam vel formam consequuntur, in substantiam inducunt aliquid entis, ac continentur sub qualitate, vel quantitate 1.

1. *Qualitas* est accidens modificativum seu dispositivum substantiæ in seipsa, eam complendo et perficiendo tam in existentia, quam in operatione.

Quadruplex est species, videlicet, 1. *habitus*, si modificatio sit difficile mobilis, v. g., scientia, virtus, corporis sanitas; vel *dispositio*, si modificatio sit facile mobilis, v. g., opinio, suspicio. — 2. *Potentia*, vel *impotentia*, prout substantia ad operationem disponitur, ut fortiter vel remissius agat. — 3. *Passio*, vel *qualitas patibilis*, prout alteratio substantiæ cito transit, ut pallor ex metu repentino, vel diutius manet, v. g., pallor ex morbo diuturno. — 4. *Forma*, *figura*, ex varia extensionis seu partium dispositione. In rebus naturalibus dispositio partium

Relativa seu *modalia* accidentia non immediate afficiunt substantiam, sed ipsa accidentia absoluta, v. g., gradus scientiæ, virtutis, sanitatis est accidens, seu modus illorum accidentium absolutorum.

Unde accidentia absoluta per se aliquid afferunt substantiæ, et uti quædam diminutæ substantiæ concipiuntur, quamvis substantiæ non sint, et sæpe vocantur distinctiones *reales entitativæ*. Accidentia autem modalia vix aliquid entis significant, et potius designant aliquem statum essendi absolutorum accidentium. Zigliara, *Ontol.*, n. 30, II.

Præfatæ notiones ab omnibus admittuntur. Cartesiani tamen sub sola denominatione *modorum* designant accidentia sive absoluta, sive relativa, nec probant quod accidentia absoluta veluti quædam diminutæ substantiæ concipiantur.

59. — *Quæritur* 3° quodnam sit Thomistarum systema de natura specierum sacramentalium, quænam ejus præcipuæ rationes, ac Cartesianorum responsiones?

Resp. Juxta Thomistas, accidentia absoluta quæ afficiunt animam, v. g., scientia, virtus acquisita, virtus infusa, nec proinde accidentia modalia illorum absolutorum accidentium, non possunt existere, etiam ope virtutis divinæ extra substantiam rationalem.

Idem verum est de accidentibus absolutis, et ideo etiam de accidentibus modalibus, quæ afficiunt corpora viventia, v. g., sanitas, passio, qualitas patibilis. « Sunt nonnulla accidentia, quæ talia sunt, ut inhærentia sit illis necessaria, ut puta, intellectio humana, prout actio humana est, requirit quod in intellecto humano sit, a quo solummodo esse potest. » Zigliara, *Ontol.*, n. 30, IX.

At absolutum accidens quantitatis dimensivæ ac cætera, quibus quantitas præsupponitur, possunt a connaturali substantia separari extranaturaliter, ac in se et objective virtute divina sustentari; atque res ita se habet pro speciebus panis

dicitur *figura*; *forma* vero in rebus artificialibus. Patet passionem, qualitatem patibilem, figuram, formam solis substantiis materialibus convenire.

Quantitas est accidens, quo substantia in plures partes dividi potest; unde in sensu proprio est tantum in rebus materialibus; et propterea dicitur quantitas *dimensiva* et *continua*; atque præsupponitur ad varios modos aut accidentia, quæ sensus afficiunt, nempe, figura, forma, passio, qualitas patibilis, color, durities, odor, calor, sonitus, sapor.

et vini in Eucharistia post transsubstantiationem; S. Th. 3 p. q. 77, a. 1.

Etenim 1. Concilium Constantiense declaravit « accidentia panis manere *sine subjecto* in Eucharistia. »

Catech. Rom., 2 p., c. 4, n. 40, hæc habet : « Demonstratum est corpus Domini et sanguinem vere in sacramento esse, ita ut amplius *nulla subsit panis et vini substantia*, quoniam ea accidentia Christi corpori et sanguini inhærere non possunt: *relinquitur ergo*, ut super omnem naturæ ordinem *ipsa se*, nulla alia re nisa, *sustentent*. »

Idem systema propugnarunt principes scholarum, eorumque discipuli, et ideo præstantissimi ac fere innumerabiles Theologi.

2. Absoluta accidentia realem entitatem præ se ferunt, cum ex se perficiant substantiam, cui inhærent : porro omnis realis entitas distingui potest a qualibet substantia; et ideo *apta* est ut sine substantia sustentetur virtute divina. Aliunde, illa accidentia, ex sua essentia, indigent substantia, non tam ut ei inhæreant, quamut ea sustententur : virtus autem divina profecto sustentare potest, quod sustentat substantia creata.

Revera, virtus divina creare potest ipsas substantias, et in eis producere accidentia sive absoluta, sive modalia; ergo etiam sustentare absoluta accidentia extra substantiam.

Tandem, in Christo natura humana spoliatur subsistentia propria, ut subsistat in Verbo; ergo, similiter, accidens absolutum separari potest a connaturali substantia, et virtute divina sustentari. S. Th. 3 p. q. 77, a. 1; *Cont. Gent.*, lib. 4, c. 65; Billuart, *de Euchar.*, dissert. 1, a. 6; Zigliara, *Ontol.*, n. 30.

Respondent Cartesiani : 1. Conc. Constentiense, ut damnaret Viclefum et Joannem Hus, qui contendebant accidentia *sine panis et vini substantia* non posse in Eucharistia manere, hæc decrevit : « Substantia panis et vini materialis non manent in sacramento altaris. — Accidentia panis manent sine subjecto in Eucharistia. » Ergo illis verbis Concilium statuit in Eucharistia panis accidentia manere sine subjecto, id est, sine substantia panis, cum contrarium assererent præfati hæretici; et ideo non exinde sequitur quod ipsa se sustentent.

Quare, Conc. Trid., ne in alterutram partem inclinaret, ex proposito non usum est verbo *accidentium*, sed adhibuit vocem *specierum* seu apparentiarum, quæ præsenti controversiæ adamussim aptatur.

Catech. Rom. uti rem demonstratam affirmat nullam su-

esse panis et vini substantiam; et, per modum illationis necessariæ, exinde infert accidentia ipsa se sustentare per virtutem divinam : porro necessitatem et ideo legitimitatem illius illationis negant Cartesiani, cum sit aliud medium explicandi accidentium permanentiam; et, de facto, non obstante illa illatione, de hac re hactenus libero disputatur.

Procul dubio objectivitatem accidentium sacramentalium asseruerunt per plura secula præstantissimi Theologi, innumerabilesque eorum discipuli. At his temporibus illa hypothesis fuit communiter accepta veluti sola possibilis ad explicandam specierum permanentiam; S. Th. 3 p. q. 77, a. 1; ac proinde dicta solutio in scholis uti traditionalis fuit, potiusquam scientifice ac contradictorie discussa ac demonstrata; atque hujusmodi discussioni locum dedit præcipue Protestantismus, seculis decimo sexto et septimo.

2. Si absoluta accidentia realem entitatem præ se ferant a connaturali substantia virtute divina separabilem ac sustentabilem, hoc ex ipsa illorum accidentium natura consequitur, et ideo de omnibus illis accidentibus affirmandum est : atqui tamen Thomistæ, dum illud principium modo generaliori ponunt, simul idem agnoscunt uti omnino impossibile jure et facto pro accidentibus, quæ substantiam animæ aut corpus animale afficiunt; atque illud retinent solummodo pro accidentibus quantitatis dimensivæ, quin ullam prorsus afferant rationem separabilitatis hisce accidentibus peculiarem ac propriam, sed unice quia talis separatio in his accidentibus reputatur necessaria ad explicandam specierum sacramentalium permanentiam; ergo scientifice gratuita est exceptio separabilitatis pro istis accidentibus.

Revera, non magis concipitur separabilitas et actualis separatio quantitatis dimensivæ seu divisibilitatis et extensionis a substantia dimensiva seu divisibili et extensa, quam separabilitas et actualis separatio scientiæ aut sanitatis ab anima sciente aut a corpore sano.

Nec virtus divina facere potest ut, quod, ex essentia sua est *aliquid entis* tantum, non *esse*, fiat *esse*, remanendo simul *aliquid entis* tantum; nec ideo magis concipiuntur accidentia absoluta uti quædam *diminutæ substantiæ, quamvis substantiæ non sint.*

Nec accidentia absoluta sunt potius ut a substantia sustententur, quam ut substantiæ inhæreant; sed, e contra, tota ratio accidentium est, ut disponant ac perficiant substantiam

in seipsa, et ideo in primis ut substantiæ inhæreant; nec su... substantia est pro accidente, sed accidens pro substantia, si... accessorium est pro principali, non principale pro accessor...

Nec, ex eo quod Deus creare potest substantias, et in e... producere accidentia absoluta aut modalia, sequitur qu... eadem accidentia etiam extra ullam quamcunque substantia... causare possit aut sustentare; non concluditur enim a contra-rio in contrarium. Aliunde, idem concludendum esset de om-nibus accidentibus absolutis : quod rejiciunt ipsi Thomistæ.

Nec in Christo subsistentia extat extra substantiam et na-turam, cum Verbum subsistat in ipsa substantia et natura divina; et ideo nihil exinde inferendum est pro accidentibus extra ullam prorsus substantiam existentibus. Aliunde sub-sistentia non est accidens quoddam, sed ipsamet substantia aut natura quatenus sui juris; et ideo de accidente non ratio-cinandum est eodem modo, ac de subsistentia; vide Tract. de Incarn., n. 35-39.

Tandem, cum hypothesi accidentium objectivorum multi-plicantur difficultates ad explicandos effectus nutritionis et corruptionis illorum accidentium, ex dictis n. 58; nec hujus-modi hypothesis ad concipiendam permanentiam specierum sacramentalium necessaria est, ex statim dicendis. Hactenus Cartesiani.

60. — *Quæritur* 4° quodnam sit Cartesianorum systema de specierum sacramentalium natura, et quænam ejus præcipuæ probationes?

Resp. Juxta Cartesianos, post transsubstantiationem, spe-cies sacramentales non existunt in se, objective, sed subjec-tive tantum, quatenus nihil aliud sunt, ratione signi, quam modificationes in circumstantibus corporibus causatæ, nempe ante transsubstantiationem, naturaliter per substantiam pa-nis et vini, post vero transsubstantiationem, immediate et extranaturaliter[1] ab ipso Deo, vice substantiæ panis et vini.

1. Immediata Dei actio, de qua agitur, sæpe dicitur miraculosa seu præterna-turalis, sed improprie. Nam effectus præternaturalis est factum aliquomodo sen-sibile, præter ordinem totius naturæ productum : atqui specierum productio per immediatam Dei actionem nec est sensibilis, nec derogat ordini totius naturæ, cum talis ordo non existat ad effectum *oppositum* producendum, aut ad contra-rium faciendi modum. Propterea transsubstantiatio et specierum permanentia absque substantia, proprie vocantur, ratione causæ, facta *extranaturalia*. Vide Tract. *de Revel.*, n. 79, *de Gratia*, n. 84.

Unde, per transsubstantiationem, mutatio fit tantum in causa illarum modificationum et signi sacramentalis; nulla vero in hoc signo et in illis modificationibus; ita ut, respectu nostri et aliorum corporum circumstantium, præsentia substantiæ corporis Christi eodem modo, loco, distantia, etc., signatur per illas modificationes subjectivas immediate a Deo productas, ac si causarentur per ipsam panis et vini substantiam, aut per accidentia objectiva in sensu Thomistarum; atque adeo, si pyxis sit occlusa, vel in tabernaculo deposita, nihilominus vasis interna latera, aer circumstans, etc., vere ac permanenter modificantur extranaturaliter a Deo eodem modo, ac si modificarentur per veram panis et vini substantiam, ut signum sacramentale omni modo sit quoque permanens.

Jam vero, ad specierum sacramentalium permanentiam post transsubstantiationem, illæ modificationes *subjectivæ*, earumque causalitas extranaturalis requiruntur et sufficiunt.

Et quidem 1. *requiruntur*. Namque et ipsi Thomistæ agnoscunt tum illas modificationes subjectivas circa corpora circumstantia uti signum præsentiæ corporis Christi, tum causalitas extranaturalis ad sustentanda objectiva accidentia, quibus mediantibus, juxta ipsos, producuntur, illæ modificationes; dum, juxta Cartesianos, illæ modificationes causantur absque medio illorum accidentium objectivorum, sed immediate virtute divina.

2. Sufficiunt autem, seu non requiruntur accidentia objectiva ad causandas illas modificationes. Etenim hæc accidentia non sunt necessaria, ut producantur illæ modificationes, siquidem virtus divina sufficit ad eas immediate causandas; nec necessaria sunt, ut illæ modificationes sint pro nobis signum præsentiæ corporis Christi; posita enim illa Dei immediata actione, illæ modificationes eodem modo et in iisdem conditionibus nos afficiunt, nobisque signant præsentiam corporis Christi, ac si reipsa adessent panis et vini substantia, aut accidentia objectiva, quæ propugnant Thomistæ; ergo ad specierum sacramentalium permanentiam seu ad signum sacramentale sufficiunt modificationes seu species subjectivæ, nec requiruntur objectivæ.

Insuper, in hac hypothesi facilius concipiuntur nutritio ac cæteri effectus corruptionis specierum, ex dictis n. 50.

Nec in hoc systemate, cum sacerdos frangit, manducat, porrigit hostiam, idem est ac frangere, manducare, porrigere modificationes aeris aut alterius corporis, ut aiunt quidam,

sed sacerdos producit modificationes ipsas ad usum illius sacramenti necessarias, sicut, in Baptismo, ipse baptizans, per actionem *ablutionis* ac per verba formæ, producit modificationes subjectivas, quæ constituunt signum efficax gratiæ baptismalis. Imo, in Matrimonio, ipsa verba aut gestus, quatenus significant corporum traditionem, constituunt illius sacramenti materiam : porro verba aut gestus, quatenus signum sacramentale, nihil aliud sunt per se quam modificationes aeris, aut luminis, auditus aut visus, cum significatione intellectuali ex conventione illis adjuncta, quæ, ex revelatione speciali, adjuncta est etiam subjectivis speciebus in Eucharistia. « On sait qu'un sacrement, c'est-à-dire, un signe, *consiste dans ce qui paraît,* et non pas dans le fond, ni dans la substance... et dans l'Eucharistie... c'était assez qu'il n'y eût *rien de changé à l'égard des sens.* » Bossuet, *Hist. des Variat.*, liv. 2, n. 38, 39.

Nec exinde sequitur, ut contendunt plures, quod nullomodo curandum sit de munditie aut fœditate specierum, id est, prædictarum modificationum, quæ constituunt signum præsentiæ corporis Christi quoad substantiam. Non magis enim curandum esset de speciebus objectivis, quæ, ut fatentur Thomistæ, corpori Christi omnino extrinsecæ remanent, et quarum munditiæs aut fœditas nullatenus afficit corpus Christi; nec similiter curandum esset de modificationibus, quæ materiam *proximam* ac formam aliorum sacramentorum quoque constituunt.

Tandem hoc systema, concludunt Cartesiani, sua simplicitate commendatur, paucioribus intricatur difficultatibus, divinæ congruit providentiæ, quæ nihil supervacaneum operatur, atque magis consonat œconomiæ aliorum sacramentorum.

Nihilominus, argumentum in favorem objectivorum accidentium ex tot Theologorum patrocinio desumptum, magnam vim retinere videtur.

§ IV

De permanente Christi præsentia in Eucharistia.

61. — Bucerus, ut Lutheranos et Zuinglianos de præsentia Christi in Eucharistia inter se contendentes, n. 54, componeret, asseruit Eucharistiæ sacramentum essentialiter consistere in actione transeunte, haud secus ac Baptismum. Unde Lutherani, qui realem Christi præsentiam in

Eucharistia confitentur, n. 34, ut simul cultum SS. Eucharistiæ labefactarent, Buceri assertum amplexi sunt, atque autumarunt Christum esse in Eucharistia tantum dum sumitur, aut dum perficiuntur ea, quæ ad ejus usum requiruntur, nempe, consecratio, fractio, distributio ac manducatio panis. Nam, ut aiunt, Christus, postquam consecrasset Eucharistiam, eam non servavit, sed statim porrexit Apostolis; sed etiam alia sacramenta in re transeunte consistunt; demum in primæva Ecclesia reliquiæ Eucharistiæ parvulis edendæ tradebantur, vel comburebantur, ne aliquid ex sacra cœna superesset. Vide Bellarm. *de Euchar.* lib. 4, c. 1. Contra sit

PROPOSITIO

62. — *Corpus Christi permanenter existit in Eucharistia, et independenter ab esu.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* verbis : « Accipite et comedite : *Hoc est corpus meum*... Bibite : *Hic est enim sanguis meus.* Ex illis verbis, corpus Christi præsens est sub speciebus sive *ante usum*, siquidem Christus, antequam Apostoli Eucharistiam acceperint de manu Domini, affirmat corpus suum esse quod præbet; sive in *ipso usu*, eo quod Christus declarat se non præbere ad comedendum et bibendum, nisi præcise quia porrigeret corpus suum et sanguinem, ut patet ex particula *enim*, sicut animadvertit Conc. Trid., n. 3; aliunde, ex eodem calice omnes Apostoli successive biberunt, ut patet ex verbis Luc. 22 : « Accipite et *dividite inter vos;* et Marc. 14 : *Biberunt ex illo omnes;* et tamen non toties dixit Christus : *Hic est sanguis meus*, quoties biberunt, sed semel tantum; ergo permanens est præsentia Christi in Eucharistia.

2° *Traditione.* SS. Patrum testimonia jam relata n. 55, præsentiæ permanentiam non minus ac ipsam præsentiam Christi in Eucharistia affirmant, et ideo ab aliis testimoniis referendis hic abstinemus.

Idem non minus constat perantiqua praxi Ecclesiæ, Eucharistiam sive domi, sive in templis asservantis, adorantis, et ad infirmos ac alios absentes deferentis. Etenim 1. sæ-

vientibus persecutionibus, domum asportabatur Eucharistia a fidelibus, ex Tertull., *ad Uxorem*, lib. 2, c. 5, et ex S. Cyprian. serm. *De lapsis*. Similiter, interdum navigantes secum habebant Eucharistiam, tum ut a periculis evaderent illæsi, tum ut, adveniente naufragio, non discederent sine sacra communione, ut refert S. Ambr., *De obitu Satyri fratris*, c. 7. — 2. Data pace, Eucharistia asservabatur in templis, et recondebatur in columbis aureis aut argenteis, aut in turriculis, aut in pastophoriis seu tabernaculis, ex S. Chrysost. Epist. ad Innoc. I, et ex vita S. Basilii. — 3. Ex S. Justino, *Apolog*. 2, post sacra peracta in ecclesia, diaconi Eucharistiam deferebant ad absentes fratres, qui aliqua de causa impediti fuerant, ne interessent celebrationi mysteriorum. Mos erat etiam ut magnarum sedium Episcopi, alii ad alios Eucharistiam in signum communionis mitterent, ex S. Irenæi Epist. ad Victorem papam. Tandem Eucharistia ad ægrotos deferebatur, ut constat ex facto Serapionis senis relato a S. Dionys. Alex., apud Euseb., lib. 6, c. 44, et ex Conc. Nicæno I, can. 13, quod præscribit, ut, *secundum antiquam regulam*, in mortis articulo nemini denegetur sacra communio. Quare ipse Calvinus, *Institut*. lib. 4, c. 17, § 39, ait : « Qui servant Eucharistiam, habent, fateor, veteris Ecclesiæ exemplum. » Porro hujusmodi praxes necessario supponunt ab initio Ecclesiæ viguisse fidem de permanenti præsentia Christi in Eucharistia ; ergo, etc. Vide Bossuet, *Communion sous les deux espèces*, 1re p.

Asserta propositio definita fuit a Conc. Later. IV, n. 34. Flor., n. 46, Trid., n. 6, 12, quod sic loquitur : « Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed *tantum in usu, dum sumitur, non autem ante* vel *post ;* et in hostiis seu particulis consecratis quæ post communionem reservantur, vel supersunt, *non remanere verum corpus Domini* : anathema sit. » S. Th. 3 p. q. 76. a. 6, ad 2.

3° *Ration*. 1. Præsens est corpus Christi vel in solo usu seu sumptione, vel in serie omnium actionum cœnæ, vel

..um et determinatum tempus, vel extra usum et
nenti modo Christus existit in Eucharistia : atqui
..iora admitti nequeunt. Non *primum*: statim enim ut
us protulit hæc verba, *Hoc est corpus meum*, corpus
..it vere præsens, alioquin verba Christi, statim ut
..ntiata sunt, vera non fuissent. Nec *secundum* et *ter*-
si enim ante et post Sacramenti susceptionem, per ali-
tempus permanet in Eucharistia corpus Christi, dicant
..rani unde limites habeant, quos huic durationi figant?
Eucharistia, ut sæpius dictum est, instituta fuit a
..sto per modum cibi spiritualis animarum : atqui cibus
..oralis, licet ad usum sit ordinatus, est quid perma-
.., et habet completam nutriendi vim antequam acci-
..ur ; ergo et Eucharistia, cujus sumptio est tantum con-
.. requisita ut reipsa nutriat.

.. Si usus sit de essentia sacramenti, eo ipso recipientes
..iciunt sacramentum non minus ac ministri : hoc au-
.. absurdum est ; ergo, etc.

4. Equidem Christus, postquam consecrasset Eucharis-
m, non distulit ejus usum ; sed non legitur dilationem
..hibuisse, atque contrarium constat ex praxi primævæ
..clesiæ.

Alia sacramenta consistunt in re transeunte : at, cum
..ta ratio sacramentorum pendeat a voluntate Christi, in
..ac materia non ratiocinatur a pari, sed attenditur ad
..hristi voluntatem, quæ, ex dictis, de ejus permanente
..ræsentia in Eucharistia constat.

In primæva Ecclesia sæpe parvulis tradebantur hostiæ,
..i, communione adultorum facta, plus æquo superessent,
..præsertim nimis parvæ et deformatæ, et simul plures re-
..servabantur, ex modo probatis. Aliunde, si post usum, seu
..communione facta, jam non sit sacramentum, quorsum tanta
..cura circa reliquias? Vide Bellarm., *de Euchar*, lib. 4, c. 5.

623. — Hinc 1° cessat præsentia Christi in Eucharistia
statim ac species panis et vini sunt corruptæ. Certum est.
Nam, ex dictis n. 46, Christus voluit nobis exhibere cor-
pus suum sub specie panis, ac suum sanguinem sub spe-

cie vini; ergo cessat hujusmodi præsentia, eo ipso ac desinunt illæ species. « Corpus Christi remanet in hoc sacramento, *quousque species sacramenti manent* : quibus cessantibus, desinit esse corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia *tollitur habitudo corporis Christi ad illas species*, » S. Th. 3 p., q. 76, a. 6, ad 3.

Jam vero, si stomachus sit calidior et vegetior, hostia parva, ex medicorum judicio, infra trigesimam vel etiam sexagesimam horæ partem, et magna hostia cum vino consecrato in parva quantitate, prout fit communiter, infra medium quadrantem, vel etiam intra brevius tempus, consumitur.

Extra sumptionem, cessat sacramentum, si corrumpantur accidentia propria vino, vel pani, sicut sapor, odor, etc.

628. — Hinc 2° ad hoc sacramentum quatuor concurrunt, nempe, consecratio, species consecratæ, corpus Christi, sumptio Eucharistiæ. In hoc consentiunt omnes.

At dissentiunt auctores in definiendo quænam ex his quatuor intrinsece constituant sacramenti essentiam. Videlicet, juxta de Lugo, non tantum species et corpus Christi sed etiam verba consecrationis constituunt intrinsece sacramentum, quatenus sunt signum sensibile seu forma.

Juxta Cajetanum et Marsilium, ut videtur, essentia sacramenti adæquate reponenda est in sola verborum forma, quia sunt simul signum sensibile et efficax gratiæ seu Christi.

Sylvius, 3 p., q. 33, a. 1, putat sacramentum esse ipsum corpus Christi quatenus sub speciebus existit, eo quod illud corpus gratiam continet et confert.

Juxta Suarez, Vasquez, Busembaum et alios non paucos, tum species, tum corpus Christi intrinsece, primario ac directe, non autem in obliquo seu indirecte et extrinsece, ad illius sacramenti essentiam pertinent, quia post consecrationem ex utroque componitur illud sacramentum.

Aureolus et Capreolus sentiunt usum seu sumptionem Eucharistiæ esse partem integrantem hujus Sacramenti, eo modo quo satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ.

Tandem Soto, Gonet, Salmanticenses, Contensonius,

Billuart et Thomistæ plerique primariam ac formalem illius Sacramenti rationem reponunt in sacris speciebus prout continent corpus et sanguinem Christi.

His expositis, 1. consecratio est actio conversiva substantiæ panis in substantiam corporis Christi, et ita quid insensibile et transiens; et ideo esse nequit Sacramentum, seu signum sensibile et in Eucharistia permanens. Attamen verborum prolatio est causa *efficiens* specierum formaliter ut consecratarum seu continentium substantiam corporis et sanguinis Christi, et etiam causa *formalis*, utpote, per illa consecrationis verba, species determinantur ad significandum et continendum corpus Christi; et in hoc sensu, ut propugnat de Lugo, verba consecrationis, uti virtualiter permanentia per species formaliter ut consecratas, dici possunt pertinere etiam ad essentiam Sacramenti.

2. Corpus Christi non est in Eucharistia per se sensibile, sed est res sub speciebus contenta, et qua talis, effectus consecrationis seu Sacramenti, n. 48, ad 9. Cum tamen illud corpus sit immediata causa instrumentalis gratiæ cibantis, sub hoc respectu pertinet ad Sacramenti essentiam, ut putat Sylvius, sed mediantibus speciebus.

3. Eadem ratione corpus Christi primario ac directe, ad essentiam illius Sacramenti non pertinet, ut volunt Suarez et alii, sed indirecte tantum seu per species, sub quibus significatur et continetur illud corpus.

4. Nec sumptio per se pertinet ad illius Sacramenti essentiam; siquidem, verbis Sacramentalibus semel prolatis, eo ipso existit Sacramentum, sicut cibus præsupponitur manducationi. Aliunde, solus sacerdos hoc Sacramentum conficit; non vero ipse solus sumit. Attamen, ut propugnant Aureolus et Capreolus, sumptio Eucharistiæ essentialiter respicit corpus Christi et effectum Eucharistiæ, sicut cibus ordinem habet ad manducationem, sine qua cibus de facto non nutrit.

5. Demum species ut formaliter consecratæ, seu significantes et continentes corpus Christi, sunt per se sensibiles ac permanentes, gratiam cibantem seu Eucharistiæ propriam per se significant; eamdem causant instrumentaliter,

nempe, per corpus Christi quod continent et uti præsens significant; ergo essentiam Sacramenti constituere videntur illæ species ut formaliter consecratæ. « In hoc Sacramento, tria considerari possunt, scilicet, id quod est *Sacramentum tantum*, quod est *panis et vinum;* » S. Th. 3 p., q. 73, a. 6. — « Diligenter observandum est, multa in hoc mysterio esse, quibus aliquando Sacramenti nomen sacri scriptores tribuerunt. Interdum enim et consecratio et perceptio, frequenter vero et ipsum Domini corpus et sanguis, qui in Eucharistia continetur, Sacramentum vocari consuevit... Verum hæc omnia minus proprie dici Sacramenta perspicuum est; *ipsæ autem panis et vini species veram et absolutam hujus nominis rationem habent.* » Catech. Rom., p. 2, *de Euchar.*, n. 8.

624. — Hinc 3° Christus in Eucharistia cultu *latriæ* etiam exteriori, est *adorandus*. De fide est.

Nam Christus realiter et modo permanenti præsens est in Eucharistiæ Sacramento : porro Christus cultu latriæ, etiam exteriori, est adorandus ubicunque præsens est; ergo, etc. Consonat Traditio, cujus unicum hic testem, S. Augustinum, appellare satis est, *in Ps.* 98 : « Quia in carne, inquit, hic ambulavit Christus, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, *nemo autem illam carnem manducat,* nisi *prius adoraverit,* inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini; et non solum non peccemus adorando, sed *peccemus non adorando.* » Idem definit Conc. Trid., n. 14.

625. — Hinc 4° *licita* est ac *pia* praxis, ab Ecclesia instituta, exponendi SS. Sacramentum.

Exinde enim non parum accenditur fides et devotio erga Christum, utiliter ad orationes ferventiores excitantur, in iisque constantius fideles perseverant.

Cum autem sæpe eveniat ut rebus etiam optimis abutantur homines, sedulo hic observabis quod ad hanc SS. Sacramenti expositionem requiritur specialis causa, et ut altaria honeste ac decenter ornentur, in iisque cerei luceant.

62[6]. — Hinc 5° *pie* et *religiose* admodum in Dei Ecclesiam introductus est mos ille, ut SS. Sacramentum *solemniter in publicis processionibus circumferatur*.

Ita Conc. Trid. n. 5, 14 : « *Æquissimum* est enim, inquit, *sacros aliquos statutos esse dies*, cum Christiani *omnes singulari* ac *rara quadam significatione, gratos* et *memores* testentur *animos* erga communem Dominum et Redemptorem, pro *tam ineffabili et plane divino beneficio*, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentantur. Atque sic quidem oportuit *victricem veritatem de mendacio* et *hæresi triumphum agere;* ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant. »

62[7]. — *Quæritur* an, ad exstinguenda incendia, turbinesve avertendos, corpus Christi deportare liceat?

Resp. Non licet absque licentia Episcopi, et in quibusdam diœcesibus illud prohibetur sub pœna suspensionis. Nam 1., etsi nonnunquam ad Eucharistiæ præsentiam exstincta sint incendia, aliquando tamen contingit et contingere potest, ut non exstinguantur; tuncque deperit aliquid pietatis in fidelibus, præsertim in mulierculis aliisque id genus, qui de rerum sanctitate ex eventu sæpius judicant. 2. Fieri nequit in tumultu incendiis annexo, ut honor debitus tanto Sacramento impendatur. 3. Periculum est ne Eucharistiæ ad incendia vel contra turbines deportatio quamdam Dei tentationem importet.

ARTICULUS IV

De tempore institutionis Eucharistiæ.

63. — *Quæritur* quandonam institutum fuerit Eucharistiæ Sacramentum?

Resp. 1° De fide est ipsum Christum instituisse hoc Sacramentum in ultima Cœna, pridie quam pateretur, ut constat ex tribus Evangelistis, Matth. 26, Marc. 14, Luc. 22, et S. Pauli, 1 Cor. 11, ỳ 23-25. Idem definitum est a Conc. Viennensi, Clementin. lib. 3, tit. 16, declaratum a Conc.

Trid., n. 1, assertum ab Ecclesia in canone Missæ : *Pridie quam pateretur, accepit panem,* etc.

Et profecto convenientissimum fuit illud tempus. Etenim 1. Christus post ultimam Cœnam in propria specie a discipulis discessurus erat; et ideo conveniens fuit, ut tunc seipsum ad solatium in Sacramentali specie reverendum exhiberet. 2. Sine fide passionis Christi nunquam potuit esse salus, juxta illud, Rom. 3, ℣ 25 : « Quem proposuit Deus propitiationem *per fidem in sanguine ipsius ;* » atque in veteri lege illius passionis figura præcipua fuit immolatio agni paschalis, n. 31, 4° : atqui in ultima Cœna, celebrata illa agni paschalis immolatione, per immediate subsequentem Christi passionem, eo ipso abrogatæ manebant figuræ omnes hujusmodi; ergo in eadem Cœna institui aliud Sacramentum ejusdem passionis rememorativum in posterum, qualis est Eucharistia, omnino fuit opportunum. 3. Quæ ultimo dicuntur et fiunt præsertim ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, ac profundius animo imprimuntur; et ideo, ut in majori veneratione haberetur hoc Sacramentum, Dominus in ultimo discessu a discipulis illud instituit : « Salvator, *quo vehementius commendaret mysterii hujus altitudinem*, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat; » S. August. *Epist. 118 ad Januarium,* Ita etiam S. Th.. 3 p., q. 73, a. 5; S. Cypr., Serm. *de Cœna Domini;* S. Chrysost., *Homil.* 83 in Matth. 28, in I Cor.; S. Hieron. *in Matth.* 26.

2° Græci vero, ut suum de pane fermentato usum tueantur, contendunt Christum in institutione Eucharistiæ adhibuisse panem fermentatum, eo quod, ut aiunt, uno die anticipavit esum agni paschalis, ac festum azymorum, scilicet, Pascha celebravit die seu luna decima tertia primi mensis, non vero decima quarta, qua sub pœna mortis vetitus erat usus fermentati panis[1].

1. Nomine *Cœnæ legalis,* ea intelligitur, in qua Agnus paschalis comedebatur, juxta mandatum Dei, Exod. 12, ℣ 2. Cæremonia hæc vocabatur *Pascha* seu *Phase,* id est, transitus, ut ibidem dicitur, ℣ 11, eo quod instituta fuisset in memoriam præservationis ab Angelo exterminatore, ibid. ℣ 27.

Communiter Latini contrarium propugnant, atque sentiunt Christum celebrasse Pascha, juxta legis mosaicæ præscriptum die decima quarta, seu et feria quinta ad vesperam, et ideo cum pane azymo consecrasse. Cæterum, ut recte advertit S. Th., in 4, dist. 11, q. 2, a. 2, q. 3, quocunque die Christus Eucharistiam instituerit, semper sequitur illum in azymo consecrasse. Etenim ante Eucharistiæ institutionem Pascha manducavit, ut omnia Evangelia testantur, et consentiunt ipsi Græci : atqui Pascha sine azymis manducari non poterat, ut patet ex Exod. 12, et etiam consentiunt Græci, atque ex more Judæorum ac lege Moysis, usus azymorum ab immolatione Paschæ inceptus, interruptionem non patiebatur; ergo Christus in fermentato non potuit Eucharistiam consecrare, etiamsi die decima tertia eam, post Paschæ celebrationem, instituisset.

At, Christum celebrasse ultimam cœnam paschalem prima die azymorum, quando necesse erat secundum legem occidi Pascha, et quando Judæi illud immolabant, seu feria quinta ad vesperas, constat ex tribus Evangelistis, Matth. 26, ℣ 17, 19, 20; Marc. 14, ℣ 12, 16; Luc. 22, ℣ 7, 8, 13, 14, 15; qui dicunt Christum celebrasse Pascha *prima die Azymorum* : atqui prima dies azymorum erat luna 14, sub secundis vesperis, non vero 13. Nam 1. Nullibi in Scripturis dies prima Azymorum adscribitur lunæ XIII, sed lunæ XIV et XV, eo quod XIV esset initium Festi, et XV esset ipsum Festum seu solemnitas Azymorum : atqui si prima dies solemnis Azymorum fuit XV, nihil ad illam attinet vespera secunda lunæ XIII, sed solum

Solemnitas Agni paschalis juncta erat cum alia quæ dicebatur *Azymorum*, de qua dicitur, Exod. 12, ℣ 15. Duæ illæ solemnitates, etsi interdum confundantur, quia conjunctæ erant ac simul incipiebant, ut constat Exod. 12, ℣ 18, nihilominus distinctæ erant ratione præcepti et ritus, significationis et causæ, loci et durationis : solemnitas Azymorum instituta fuit in memoriam egressionis ex Ægypto.

Soliti erant Judæi festivitates suas celebrare a vespera diei præcedentis ad vesperam diei subsequentis; ita præscribitur Levit. 23, ℣ 32 : *A vespere usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.*

Vespera apud Judæos habebat quasi duas partes : primam a solis declinatione seu a meridie, alteram a crepusculo post occasum solis; tempore autem medio inter has duas vesperas mundabatur domus a fermentato, deinde celebrabatur Pascha.

Judæi mensis a novilunio inchoabant; unde apud ipsos idem est primus dies ac prima luna : primus mensis censetur ille cujus decima quarta dies magis immediate sequitur æquinoxium veris; dicitur *Nisan*, apud nos Martius.

secunda vespera lunæ XIV ; alioquin una dies haberet tres vesperas ; ergo, etc. 2. Septem duntaxat diebus Judæi tenebantur in Azymis, Exod., c. 12, ✝ 15 et 18 : *Septem diebus azyma comedetis... quarta decima die mensis ad vesperam... usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam* : atqui, si prima dies Azymorum fuisset tunc XIV et incepisset lunæ XIII ad vesperam, essent octo dies integri azymorum usque ad XXI ; ergo, etc.

Idem uno ore Patres et Doctores Latini conclamant ; nec, cum Asiatici contenderent celebrandum esse Pascha cum Judæis, luna 14 primi mensis, atque se exemplo Christi et Apostolorum tuerentur, ullus sive Pontificum, sive Patrum, ipsis opposuit Christum cum Apostolis non celebrasse Pascha lunæ 14, sed luna 13 : quod sane non omisissent in tam celebri et diuturna controversia, cum inde funditus everteretur opinio quartodecimanorum.

CAPUT III

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

Duplex erit hujus quæstionis articulus : 1° de Materia. 2° de Forma.

ARTICULUS PRIMUS

De Materia Eucharistiæ.

631. — Ex supradictis, panis et vinum sunt Eucharistiæ remota seu potius removenda materia ; et tamen validitas Sacramenti pendet a natura substantiæ panis et vini, quæ ad consecrationem usurpantur.

Errarunt circa materiam Eucharistiæ *Artorytæ*, qui panem et caseum consecrabant ; *Aquarii*, qui solam aquam offerebant in calice ; ex Calvinianis nonnulli, qui, deficientibus pane et vino, quidquid habet rationem cibi et potus consecrari posse censent ; Græci schismatici, qui asserunt, post Michaelem Cærularium, Photii schismatis instauratorem, valide confici Eucharistiam cum pane fermentato, non vero cum pane azymo. Itaque agemus 1° de pane : 2° de vino Eucharistico ; 3° de modo quo utraque materia Sacerdoti consecranti debet præsens esse, et determinata.

§ I

De Pane Eucharistico.

PROPOSITIO PRIMA

632 — *Panis triticeus magnitudinis hujus, quæ sensibus percipi possit, est necessaria materia Eucharistiæ.* Certum est.

Et quidem 1° *panis.* Illud enim est materia necessaria Eucharistiæ, quod ipse Christus adhibuit, Eucharistiam instituendo, quod adhiberi præcepit, et semper in Ecclesia adhibitum fuit : atqui 1. Christus, Eucharistiam instituens, adhibuit panem. Luc. 22, ỳ 19 : « Jesus, *accepto pane, gratias, egit et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum.* » 2. Adhiberi præcepit ; nam, alloquens Apostolos, eorumque successores in persona Apostolorum, dixit : *Hoc facite in meam commemerationem.* 3. Semper adhibuit Ecclesia ; constat ex testimoniis SS. Patrum supra relatis, n. 35, 46, in quibus dicitur per verba consecrationis panem mutari et converti in corpus Christi.

2° *Panis triticeus.* 1. Ex modo dictis, Christus, Eucharistiam instituens, panem accepit, et panem adhiberi præcepit : atqui panis simpliciter dictus, est panis ex tritico seu frumento ; ergo, etc. 2. Ex constanti utriusque Ecclesiæ praxi : usus Ecclesiæ Græcæ constat ex his verbis Conc. Flor., sess. ultima : *De pane, sive azymus, sive fermentatus fuerit, non curant Græci, dummodo ex tritico constet.* Praxim Ecclesiæ Latinæ testantur Rubricæ Missalis Romani : *Si panis non sit triticeus, non conficitur Sacramentum.* Item ex unanimi Theologorum consensu.

Et vero panis triticeus magis confortat hominem, et ideo aptior est ad significandum panem Eucharisticum, qui dicitur *panis fortium;* sed etiam solus decuit excellentiam et dignitatem hujus Sacramenti.

3° *Sensibus pervius.* Eucharistia, utpote Sacramentum signum est sensibile : atqui, si valide consecrari posset particula insensibilis, tunc Eucharistia signum sensibile non esset ; ergo certum videtur quod non possit valide consecrari materia, quæ non est humano modo sensibilis seu

per visum perfectissimum perceptibilis, licet percipi posset ope instrumenti optici. Materia enim sacramentorum debet esse sensibilis humano modo seu absque artis adminiculo.

An vero partes separatæ et adeo exiguæ, ut non cadant sub sensus humano more, amittant eo ipso consecrationem, quidam affirmant, tum quia illæ partes jam non sunt signum sensibile, tum quia eædem jam non remanent aptæ ad usum et finem sacramenti.

Alii vero communius negant. Namque Concilia, dum declarant corpus Christi esse sub singulis specierum partibus facta separatione, loquuntur sine ulla restrictione; sed etiam separatio ex se nullatenus est conversiva, ut per eam species jam non contineant substantiam corporis Christi; nec, eo quod materia sensibilis requiratur ad ipsam sacramenti confectionem, exinde sequitur idem requiri ad permanentiam sacramenti. « Hic est differentia, ait Suarez, disput. 43, sect. 8, n. 7, inter *fieri* et *factum esse* hujus sacramenti; nam, ut fiat, necesse est totam materiam esse sensibiliter præsentem ministro, et posse sensibus demonstrari pronomine *hoc*; at vero, postquam materia consecrata est, jam non est necessaria probatio formæ, nec præsentia, ut ibi Christus conservetur; et ideo, quandiu ibi conservatur substantia panis, tandiu conservatur præsentia corporis Christi. » Tandem, juxta omnes, si partes exiguæ congregarentur et continuarentur, ita ut iterum caderent sub sensus, iterum quoque Christus præsens esset sub illis sine nova consecratione: atqui tamen hujusmodi congregatio ac unio non æquivalet consecrationi: ergo permanet Christi præsentia sub illis speciebus etiam non sensibilibus.

63[3]. — Hinc 1° quidquid juxta prudentium hominum æstimationem *non est, nec vocatur panis simpliciter et absolute,* et quidem *panis triticeus,*, illud non est valida materia ad consecrandum corpus Christi. Igitur valide non potest consecrari panis confectus ex castaneis, amygdalis, fabis, pisis, et aliis hujusmodi, quæ intra cortices nascuntur, nec

etiam panis hordeaceus, vel avenaceus : imo si panis triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioquin corruptus, non conficitur Sacramentum.

Unde, cum hodie farinæ triticeæ frequentissime adulterentur, sedulo cavendum est, ne hujusmodi farinæ adhibeantur ad conficiendas hostias pro consecratione.

De pane sicalitio (*de seigle*), censuit S. Thomas hunc valide consecrari posse, ratus scilicet secale ejusdem esse speciei cum tritico; quippe juxta quosdam veteres, in segnioribus terris illud ex isto nascitur. Hæc opinio falsa est, utpote falso nixa principio.

Præterea panis debet esse *aqua naturali* subactus, et puro igne coctus; ideo nec farina aquæ non immixta, nec cruda farinæ massa valide consecrari potest, utpote quæ non est panis, nec cibus humanus. Item farina oleo subacta. vel butyro frixa, non est valida Eucharistiæ materia. Si vero panis sit confectus aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est an sit valida materia, ut dicitur in Rubr. Missalis.

Nulla est consecratio, si panis sit *substantialiter corruptus;* quod quidem aliquando judicatu difficile est, et vulgo colligendum ex mutatione coloris, saporis, odoris, et ex ejus facili in cineres solutione. Si vero sit mucidus, et cœperit corrumpi, sed non sit corruptus, erit valida, sed graviter illicita consecratio.

64. — Hinc. 2°, ex Rubr. Missalis, 1. si celebrans *ante* consecrationem advertit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa hostia, aliam ponat, et, facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit.

2. Si id adverterit *post* consecrationem, etiam post illius hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut jam dictum est, et incipiat a verbis, *Qui pridie quam pateretur*. Illam vero priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter ponat. Si hanc sumpserit, nihilominus

sumat eam quam consecravit: quia præceptum de perfectione sacramenti majoris est ponderis, quam quod a jejunis sumatur.

3. Si hoc contingat post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua, et, facta prius oblatione, saltem mente concepta, Sacerdos consecret, incipiendo a verbis, *Qui pridie*, ac statim sumat utramque, et prosequatur missam, ne sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo.

4. Denique, si hostia consecrata dispareat vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel aliquo animali accepta, et nequeat reperiri: tunc altera consecretur, incipiendo a verbis *Qui pridie*, facta ejus prius oblatione, ut supra.

Quoad autem occurentes defectus qui materiæ validitatem non officiunt, hæc notanda sunt: scilicet, 1. si aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret Sacerdos, et sumat; et illa servetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, et corruptæ mittantur in sacrarium.

2. Si hostia, *ante* consecrationem, inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis hostia consecretur; si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur et offeratur: quod si illius hostiæ jam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem hostia appareat confracta, accipiatur altera integra; si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit.

3. Si, ex aliquo casu, hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos missam prosequatur, faciendo cæremonias et signa consueta cum residua parte hostiæ, quæ non est madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, et sumat pariter corpus et sanguinem, signans se cum calice dicens: *Corpus et sanguis Domini nostri*, etc. Hactenus ex Rubr. Missalis [1].

1. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, et species appareant integræ, reverenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur; et postea in sacrarium proji-

PROPOSITIO II

65. — *Valide conficitur Eucharistia tum in azymo pane, tum in fermentato.* Certum est.

Constat 1° *ex constanti usu Ecclesiæ* Latinæ in azymo, et ex antiquissimo Græcorum more in fermentato consecrandi, quem utriusque Ecclesiæ usum approbans Concilium Florentinum, sic definit in Decreto unionis : *Definimus... in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.*

2° *Ration. theol.* 1. Ad Eucharistiæ materiam sufficit verus panis : atqui uterque, et fermentatus, et azymus, est verus panis, habens uterque conditiones omnes ad verum et proprie dictum panem, nimirum, similiter ex tritico constat, aqua elementari sola coagmentatur, et igne coquitur.

2. In eo pane valida est certe consecratio, in quo ipse Christus primum consecravit, Eucharistiam instituens : atqui Christus, in ultima Cœna, Eucharistiam instituens, consecravit in azymo pane, n. 63; ergo, etc.

Revera certe convenientior est azymus, 1. ex usu Ecclesiæ Romanæ, quæ hoc accepisse a S. Petro creditur; 2. ex significatione : azymus enim significat puritatem in suscipiente : *Itaque epulemur, non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis et veritatis*, I Cor. 5, ỳ 8; 3. facilius ac decentius conficitur; 4. magis immunis est ab omni corruptione; 5. tandem fermentatus est grumosus, unde aliquid facile decidere potest.

ciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur.

Si hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit, mundetur, et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur. Ita Rubr. Missalis.

66. — Hinc Græcis *in pane* fermentato, Latinis *in pane* azymo, *juxta Ecclesiæ suæ consuetudinem*, Eucharistiam *conficere* licitum est, *imo ex Jure* ecclesiastico præceptum.

Constat tum ex Concilio Florentino jam citato, tum ex utriusque Ecclesiæ praxi, quæ vim legis habet.

Itaque graviter peccaret Latinus Sacerdos, si apud Latinos consecraret in fermentato pane : et Græcus similiter, si apud Græcos in azymo consecraret. Etenim nemini licet suæ Ecclesiæ ritum mutare, cum illa mutatio legitima auctoritate sit prohibita : porro sanxit Conc. Flor. in *Decreto unionis*, ut unusquisque, juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem consecret. Et Benedictus XIV, Constitut. *Etsi pastoralis*, Bullar. tom. 1, n. 37, § 6, n. 10, Florentinæ Synodi legem inculcans, « districtius illud inhibet, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a divinis. »

67. — *Quæritur* 1° an constans semper fuerit usus fermentati panis in Ecclesia Orientali, et azymi in Occidentali ?

Resp. Consentiunt fere omnes, vel a primis Ecclesiæ seculis, in Orientali Ecclesia fermentatum panem communiter adhibitum fuisse ; dissentiunt vero de usu Occidentalis Ecclesiæ : alii ad ipsa Apostolorum tempora eum referunt ; alii recentiorem esse judicant. Constat tamen, saltem a decimo seculo, communiter ab omnibus acceptum esse, atque etiam ab undecimo presentem vigere praxim, qua nec in furno, nec sub cineribus, sed intra ferri laminas, ad hunc usum fabrefactas et sculptas, coquitur panis ad consecrationem assumendus, atque in formam orbicularem, majorem quidem pro Missa celebranda, minorem vero pro fidelibus communicandis, disponitur.

68. — *Quæritur* 2° an liceat uti fermentato pane in Ecclesia Latina, ne populus die festo careat Missa, vel æger Viatico, vel mutilum maneat sacrificium, v. g., si, consecrata utraque specie, detegatur corruptam esse speciem panis, nec alius haberi possit præter fermentatum ?

Resp. 1. Si sacrificium sit integrandum, juxta omnes, Sacerdos non solum potest, sed et debet uti pane fermentato, quia præcepto divino de integritate sacrificii cedere debet præceptum ecclesiasticum de azymo pane.

2. Si agatur de Viatico, vel de Missa ex præcepto audienda, non licet uti fermentato pane, juxta communiorem sententiam, quia in illo duplici casu præferenda est reventia erga tantum sacramentum utilitati proximi, vel præcepto ecclesiastico de auditione Missæ.

Juxta plures autem hoc licitum est. Nam, ex una parte, nulla per se adest irreventia in consecratione cum fermentato, siquidem ex præcepto Ecclesiæ Græci cum fermentato consecrare tenentur; ex alia vero, præceptum mere ecclesiasticum de azymo cedere debet divino præcepto recipiendi Viaticum, et præcepto partim divino de auditione Missæ.

§ II

De Vino Eucharistico.

PROPOSITIO PRIMA

69. — *Vinum ex necessitate Sacramenti est necessaria Eucharistiæ materia.* De fide est.

Prob. Illud est materia Eucharistiæ necessitate sacramenti necessaria, quod Christus, instituendo Eucharistiæ Sacramentum, adhibuit, adhiberi præcepit, et semper in Ecclesia adhibitum fuit : atqui, etc. 1. Vinum adhibuit; etenim, ex S. Marc. 14, ỳ 23-25 : Jesus, *accepto calice...*, *ait*, discipulis scilicet : *Hic est sanguis meus,.. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis ;* ergo genimen vitis sive vinum erat in calice. Et vero, juxta phrasim Scripturæ et usum consuetum, nomine calicis simpliciter et sine addito, intelligitur vinum. 2. Adhiberi præcepit, his verbis : *Hoc facite*, etc. 3. Semper adhibuit Ecclesia, ut constat ex ipsius praxi constanti, quam testantur omnes liturgiæ, scripta SS. PP., et Conciliorum definitiones.

70. — Hinc quidquid proprie et simpliciter non est, nec vocatur vinum, illud non est idonea materia ad sanguinem

Christi consecrandum; idcirco nec aqua naturalis sola et pura valide consecrari potest, nec liquor elicitus ex pomis, vel pyris, nec etiam aqua vitæ, ut vocant, nec vinum aromaticis mixtum, aut coctum, nisi tota vini natura servetur.

Item, ut dicitur in Rubricis Missalis, titulo *de Defectibus*, si vinum sit penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel si vino admixtum fuerit tantum aquæ, ut vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum. Denique, consecrari non potest vinum in racemis et uvis adhuc contentum et nondum ab eis elicitum. Ratio est quia hæc omnia nec sunt, nec simpliciter dicuntur vinum. De vino congelato dissentiunt Theologi an valide possit consecrari. At, si, facta consecratione, congelatio fiat, non ideo desinit esse sanguis Christi.

Si vinum ceperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquando acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis, ex eadem Rubrica conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat. Unde, attentis vere innumeris adulterationibus, quibus hodie subjicitur aut conficitur vinum, summa cura attendendum est, ut ad consecrationem non adhibeatur vinum nisi certo naturale.

Itaque, ex Rubr. Miss., *ibid.*, 1. si celebrans *ante* consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice : debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, saltem mente concepta, consecrare incipiendo a verbis, *Simili modo*, etc.

2. Si *post* verba consecrationis, advertat vinum non fuisse positum, sed aquam : deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, et consecret, resumendo a verbis, *Simili modo*.

3. Si hoc advertat post *sumptionem* Corporis, vel hujusmodi aquæ : apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, saltem mente concepta, et consecret, et sumat, quamvis non sit

jejunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et, facta oblatione ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cætera.

4. Si quis percipiat ante vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice.

5. Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate sacramenti.

6. Denique, si materia quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi: si id ante consecrationem corporis, ulterius procedi non debet; si, post consecrationem corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata: tunc, si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et missa absolvenda, ita tamen ut prætermittantur verba et signa quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si, expectando aliquandiu, haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum.

Quoad autem defectus occurentes, qui ipsam materiæ validitatem non afficiunt, hæc determinat Rubrica Missalis. Scilicet, 1. si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem *ante* consecrationem, Sacerdos projiciat vinum in locum decentem, et aliud ponat in calice, misceat parum aquæ, offerat, ut supra, et prosequatur missam; si *post* consecrationem ceciderit musca, aut aliquid ejusmodi, et fiat nausea sacerdoti, extrahat eam, et lavet cum vino, finita missa, comburat, et combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum sanguine.

2. Si, *post* consecrationem, aliquid venenosum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in calice, et aliud vinum cu[m] apponendum denuo consecrandum : et finita mi

guis repositus in panno lineo, vel stuppa tandiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur[1].

70[1]. — *Quæritur* an, si, post consecrationem, misceatur liquor vino consecrato, hoc amittat consecrationem, aut mixtus liquor transeat in sanguinem?

Resp. Distinguendum est. Scilicet, 1. si liquor mixtus vino consecrato sit *alterius speciei* et in magna quantitate, ita ut sic mixta non servent naturam suam specificam, sed exinde exurgat compositio physica et substantialis, gallice dicta *combinaison* : eo ipso non mansisset vini subtantia, et ideo corrumpuntur vini species, atque cessat eorum consecratio. Ita omnes; S. Th., 3 p., q. 77, a. 8.

2. Si præfatus liquor alterius speciei sit commixtus in *parva quantitate*, nec mordaces habeat proprietates, quibus solvat naturam vini; tunc adest tantum mixtio simpliciter seu imperfecta, Gallice *mélange*, quæ non sufficit ad corruptionem substantialem; et ideo, cum remansisset vini substantia, remanent consequenter vini species, et eorum consecratio. Ita etiam omnes; S. Th., *ibid.* Idem a fortiori verum est, si liquor *ejusdem* speciei, nempe vinum, et in parva quantitate, misceatur vino consecrato.

3. Si *ejusdem speciei* liquor, nempe, vinum non consecratum misceatur in *magna quantitate* vino consecrato, hoc amittit consacrationem, juxta S. Th., *ibid.* Nam consecratur *hic* panis, *hoc* vinum; et ideo cessat consecratio, si species non remaneant eædem numero : atqui, posita diffusione substan-

1. Si per negligentiam aliquid de sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque tertium, linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, et ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra.

Si contingat totum sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo sanguine fiat, ut jam dictum est. Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco, *Simili modo*, etc., facta prius tamen calicis oblatione, saltem mente concepta. Ita in Rubr. Missalis.

tiæ extrinsecæ, licet ejusdem speciei, in magna quantitate per totum vinum consecratum, hujus substantia non eadem numero permansisset, ac proinde nec eædem numero remanent ejus species consecratæ; ergo cessat eorum consecratio.

Contrarium affirmant plures, inter quos Suarez, disp. 57, sect. 4. Etenim, per divisionem specierum, non amittitur eorum consecratio, ex dictis n. 52, 63, ad 3 : atqui, per mixtionem vini non consecrati cum consecrato, non fit corruptio, sed diffusio ac divisio specierum consecratarum; ergo harum partes remanent consecratæ.

In nullo casu liquor vino consecrato mixtus transit in sanguinem; peracta enim consecratione, non fit nova transsubstantiatio; Innoc. III, c. 6, tit. 41, lib. 3 Decret. Unde ille liquor, quando vinum consecratum, cui mixtus est, servat suam consecrationem, separandus est, nec ad usus profanos adhibendus, ut ait Suarez, *ibid.*

PROPOSITIO II

71. — *Vino consecrando aquam admisceri debet, non tamen necessitate Sacramenti.* Certum est.

1. *Vino consecrando aqua admisceri debet,* 1. *Ex decreto ad Armenos*, qui aquam vino non miscebant : « Decernimus ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblationem *paululum aquæ admisceant vino.* » 2. *Ex Conc. Trid.*, n. 161 : « Monet sancta Synodus *præceptum esse* ab Ecclesia Sacerdotibus, ut *aquam vino in calice offerendo miscerent.* »

2. *Non est de necessitate sacramenti, ut vino consecrando aqua admisceatur.* 1. *Ex Rubricis* Missalis Romani; nam si Sacerdos oblitus sit paululum aquæ vino immiscere ante consecrationem, Rubricæ vetant ne post consecrationem immisceat, quia non est de necessitate sacramenti. 2. Ex scriptis eorum qui redarguerunt praxim Armenorum; neque enim unus est, qui asserere ausus sit calicem ab illis invalide consecrari. 3. *Ex Catech. Rom.*, n. 77 : « Quamvis aquæ admiscendæ ita graves rationes sint, ut eam sine *mortali peccato* prætermittere non liceat, *ea tamen si desit, Sacramentum constare potest.* »

Hujus autem mixtionis rationes hæ sunt : 1. Christus ita

fecisse creditur, tum ex veterum Traditione, tum ex usu apud omnes viros temperantiæ et sobrietatis amatores recepto; 2. hac mixtione exprimitur mysterium, quo e latere Christi, in cruce pendentis, aqua fluxit cum sanguine: 3. cum in Apocalypsi, 17, ✝ 15, populum aquæ designent, per illam mixtionem unio populi cum capite Christo repræsentatur.

72. — *Quæritur* 1° cujus speciei et quantitatis aquam vino misceri necesse sit?

Resp. 1. Aqua illa debet esse naturalis et elementaris, quia quam misceri jubent Concilia, hanc simpliciter aquam vocant: aqua autem simpliciter dicta est elementaris.

2. Eugenius IV, in decreto ad Armenos, hæc habet: « Vino ante consecrationem *modicissima aqua admisceri debet;* » et Eugenio consonat Pius V, qui eos redarguit, qui non aquæ guttam, ut fieri debet, sed plus aquæ quam vini in calicem effundebant. Generatim consulendum est, ne sacerdos excedat octo vel decem guttulas. Quod si casu nimiam aquæ quantitatem infuderit, iterum aliqua quantitas vini erit adjicienda. Usus parvi cochlearis pro aqua in calicem infundenda non est illicitus, ex dec. S. Cong. Rit., 6 febr. 1858.

Hinc erit irrita consecratio, si eadem esset vini et aquæ quantitas; namque Eucharistia ex vino simpliciter dicto confici debet: atqui ubi est eadem aquæ et vini quantitas, jam non est vinum simpliciter dictum, sed mixtum aliquod proprio nomine carens: sicuti ubi est compositum ex tritico et hordeo, jam non est panis simpliciter.

73. — *Quæritur* 2° an aqua vino immixta convertatur in sanguinem Christi, et antea in vinum?

Resp. Quatuor fuere ea de re opiniones tempore S. Th.: alii dicebant aquam vino adjunctam per se manere, nec converti, vino solo in sanguinem Christi converso; alii dicebant, sicut vinum convertitur in sanguinem Christi, ita aqua converti in aquam, quæ fluxit de latere ejus: alii, quibus adhæret S. Thomas, q. 74, a. 8, affirmarunt aquam

onverti in vinum, et postea in sanguinem; alii denique quam per se et immediate cum vino in sanguinem converti docent. Itaque

1. Licet non sit de fide, attamen certum est, quocunque modo hoc fiat, aquam in sanguinem converti. Namque verba, *Hic est sanguis meus* exigunt ut, post consecrationem, nihil sit nisi sanguis Christi, et ideo quod in sanguinem Christi convertatur, quidquid in calice continetur; S. Th., *ibid.* Idem docent SS. patres, Theologi, et Innoc. III, c. 6, tit. 41, lib. 3 decret.

2. Hactenus in magnum agmen descendunt Theologi circa quæstionem an aqua immediate convertatur in vinum, aut in sanguinem Christi. Prius affirmant Innoc. III, *ibid.*, Catech. Rom., 2 p., c. 4, 12, 17, plerique Thomistæ et Scotistæ, quibus adstipulati sunt Suarez, Vasquez et alii. Posterius tenent Salmeron, Ægidius, Layman, Baronius, de Lugo, Toletus, Tournely, S. Ligor., lib. 6, n. 209.

74. — *Quæritur* 3° an consecratio *unius speciei sine altera* sit *valida?*

Resp. Nemo dubitat quin sit valida, ait S. Ligorius, si id casu accidat. Dubium igitur fit an valide consecret Sacerdos, qui *positivam habet intentionem* consecrandi *unam tantum speciem* sine altera. Negant Lugo et alii. Ratio enim Sacramenti dividi nequit a ratione sacrificii, siquidem Sacerdos non accepit potestatem conficiendi hoc Sacramentum, nisi sacrificando, ut patet ex forma ordinationis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium:* porro, juxta probabiliorem sententiam, ad essentiam sacrificii pertinet consecratio utriusque speciei, ut infra dicetur, n. 192.; ergo non est consecratio, nec ideo Sacramentum, sine utraque specie.

Alii vero communiter affirmant, inter quos Suarez, Bonacina, Benedict. XIV, *de Missæ sacrif.*, lib. 3, c. 10, n. 19, Salmant., *de Euchar.*, c. 4, punct. 3. Namque 1. panis certe consecratur prius tempore quam vinum; ergo non est necessaria connexio inter has duas materias, quæ ad necessitatem simpliciter Sacramenti conficiendi pertineat.

2. In omni Sacramento, si minister intendat efficere quæ verba significant, quodque de se efficere possunt circa materiam subjectam, illa intentio sufficit ad effectum : atqui hoc intendit Sacerdos etiamsi nolit aliam speciem consecrare.

75. — *Quæritur* 4° an necessaria sit utriusque speciei consecratio *ex præcepto* et quidam *divino?*

Resp. affirmative, et hoc videtur certum apud Theologos ; vide Benedict. XIV, *ibid.* Etenim Christus, in ultima cœna, postquam sub duplici specie consecrasset, dixit Apostolis : *Hoc facite in meam commemorationem ;* ergo per hæc verba, ut exponit Conc. Trid., n. 168, Christus præcepit sacerdotibus, ut etiam sub duplici specie consecrarent, et ita offerrent sacrificium incruentum cruenti commemorativum. Quare in hoc nunquam dispensat Ecclesia ; atque adeo urget illud præceptum, ut sacerdos, si usus fuerit invalida materia panis aut vini, iterum panem aut vinum reponere debet, offerre, consecrare et sumere, ex dictis n. 64, 70.

§ III

De modo, quo materia consecranda debet esse præsens Sacerdoti, et determinata.

PROPOSITIO PRIMA

76. — *Materia consecrationis debet esse Sacerdoti moraliter præsens*. Certum est.

Verba enim consecrationis, *Hoc est*, etc., designant rem moraliter præsentem.

Ad illam autem moralem præsentiam, non necesse est ut materia consecranda immediate videatur, vel ut sonus verborum ad eam perveniat ; sed hæc duntaxat requiruntur et sufficiunt : 1. ut materia consecranda non multum distet a consecrante ; 2. ut ab illo quodammodo percipiatur, vel ratione sui, vel ratione vasis in quo continetur, vel ratione cumuli cui jungitur.

77. — Hinc 1° valide et licite consecrari potest cumulus

hostiarum, quamvis inferiores nec videantur, nec tangantur; pariter si Sacerdos, ante consecrationem, omittat discooperire pyxidem, in qua sunt hostiæ consecrandæ, non desinet illas hostias valide consecrare, modo intentionem habuerit illas consecrandi : tamen, si reflectat, debet pyxidem aperire, sicut præscribit Rubrica.

78. — Hinc 2°, juxta communem Doctorum sententiam, non consecrantur hostiæ in Tabernaculo clausæ, vel sub pede calicis delitescentes, vel a tergo positæ; quia tunc non videtur adesse præsentia moralis necessaria ad servandam veritatem illorum verborum : *Hoc est corpus meum*[1].

PROPOSITIO II

79. — *Materia consecrationis per consecrantis intentionem debet esse aliquo modo determinata*. Certum est.

Non enim vera est et perfecta voluntas consecrandi, nisi versetur circa materiam determinatam; et generatim loquendo, intentio non est practica, quandiu ad nullum objectum particulare determinatur; ergo, si Sacerdos, coram se centum formulas habens, intendat solummodo consecrare quinque, illas nullatenus designando aut determinando, tunc nullas consecravit.

Variis autem modis hæc materia determinari potest, vel explicite et particulatim seu in individuo, v. g., cum dicitur : Volo consecrare hanc hostiam, quam in manibus teneo; vel solum implicite et acervatim, v. g., cum dicitur : Volo consecrare hunc hostiarum cumulum.

Ad vitandos scrupulos multaque incommoda, multum expedit, ut Sacerdos habeat intentionem consecrandi materiam super corporale, vel in pyxide, aut calice positam, quæ præsens est debito modo, et quæ juxta præscriptum ab Ecclesia ritum consecrari potest. Qua quidem intentione

1. « Si parvæ hostiæ pro communicando populo afferantur Sacerdoti paulo post factam oblationem, licite eas consecrare poterit, suppleta oblatione mentaliter. Nunquam autem licet consecrare hostias ad altare allatas, canone incepto; sed et vix id licet ex gravissima causa, si incepta præfatione. Ita Benedict. XIV, S. Ligor.

sic rite directa, licet consecrans putet unicam in suis manibus esse hostiam, cum sint plures; aut existimet decem formulas esse super corporale, cum sint plures, vel pauciores; tamen omnes consecravit. Ratio est quia, licet in æstimatione numeri decipiatur, non tamen in intentione, quæ fertur in totam materiam debito modo præsentem.

Unde, si sacerdos putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Ita Rubr. Missalis.

E contra, si contingat ex hostiis appositis aliquam reperiri extra corporale, aut forsan delitescere sub corporale, talis hostia non erit consecrata, eo quod intentio Sacerdotis ad eas duntaxat directa fuerit hostias quæ debito modo, et juxta sanctæ Ecclesiæ ritum, præsentes forent; ita sententia probabilior et communior.

Ex eodem principio sequitur guttas vini, quæ extra calicem aliquando remanent, non consecrari virtute intentionis prædictæ. Quantum autem ad guttulas, quæ intra calicem e reliquo vino separatæ sunt, illas abstergere curet Sacerdos, ut totum vinum in calice positum per modum unius liquoris et unius potus consecrentur. Cum autem dubium sit an illæ vini guttæ consecrentur, Minister non debet post consecrationem eas abstergere; eas igitur simul cum sanguine vel cum ablutionibus sumat.

Si advertat Sacerdos aliquam esse super altare hostiam, vel plures in pyxide inclusas, de quibus rationabiliter dubitet an sint consecratæ, non erunt populo distribuendæ, nec profane tractandæ; sed vel post sumptionem sanguinis erunt sumendæ, si paucæ sint numero; vel si sint in nimia quantitate, asservandæ erunt, ut in alia Missa consecrentur. Ita Benedictus XIV, pro casu quandoque occurente quo Sacrista, cui Sacerdos in sacristia declaravit se particulas populo distribuendas consecraturum, pyxidem hostiis refertam extra corporale, Sacerdote non advertente, posuerit. *De Sacrificio Missæ*, sect. 2, n. 159.

ARTICULUS II
De Forma Eucharistiæ.

Duplex est Eucharistiæ forma, una panis, altera vini. De utraque sigillatim dicemus.

§ I
De Forma super panem pronuntianda.

80. — 1. Juxta Lutherum, nihil interest quænam verba in Sacramentis administrandis usurpentur.

2. Scotus et quidam alii sentiunt verba : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* constituere quidem formulam consecrationis, sed præcedentia, *Quid pridie,* etc. : *Simili modo,* etc., etiam requiri, alioquin illæ formulæ non significarent corpus et sanguinem Christi, sed Sacerdotis.

3. Demum Græci quidam contendunt verba, *Quod pro vobis tradetur,* esse de essentia formæ. Imo inter Græcos non defuere, qui ad consecrationem requirerent precationem qua, post prolationem verborum, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* Sacerdos Deum precatur, ut mittat « Spiritum Sanctum super dona sancta proposita, ut superveniens sancta et gloriosa sua præsentia sanctificet, et efficiat hunc panem corpus sanctum Christi, et calicem hunc pretiosum sanguinem Christi. » Sit igitur

PROPOSITIO

81. — *Ad consecrationem corporis Christi, verba,* Hoc est corpus meum, *requiruntur et sufficiunt.*

Et quidem 1° *requiruntur*. De fide est. Constat 1. *Script.* Nam Christus, postquam dixit : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* addit : *Hoc facite, etc.* : porro his verbis, ut satis clare colligitur, Christus Apostolis jussit et consecrare suum corpus, suum sanguinem, et uti eodem medio seu eadem forma et materia, quibus ipse usus est pro simili consecratione ; ergo præfata formula requiritur.

2. *Traditione constanti et universali.* SS. Patres hoc unanimiter docent, ex statim dicendis. Conc. Florent. definivit formam Eucharistiæ esse verba Salvatoris, quæ a Sacerdote

proferuntur in persona Christi : atqui præfata verba proferuntur in persona Christi ; ergo illa verba sunt de essentia formæ.

3. *Ration. theol.* Prædicta formula expresse significat consecrationem corporis Christi : porro in Sacramentis verba significantia sunt etiam efficientia, et ideo essentialia; ergo illa verba requiruntur.

2° *Sufficiunt* autem. Ita communissime. Prob. 1. *Script.* Namque, licet S. Matth. et S. Paulus referant Christum dixisse illa verba : *Accipite et comedite,* tamen S. Marcus solum ponit *Sumite,* S. Lucas utrumque omittit; ergo signum est hæc verba non esse essentialia, quia, ut jam diximus, omnino credibile est singulos Evangelistas integre narrasse Sacramenti institutionem quoad omnia essentialia.

2. *Traditione.* S. Justinus, *Apolog.* 2 in fine; Tertull., *contra Marcion.*, lib. 4, c. 4; S. Cypr., Serm. *de Cœna Domini;* S. Chrysost., Homil. *de Prodit. Judæ;* S. Damasc., lib. 4, c. 14, ad consecrationem corporis et sanguinis Christi, ponunt sola verba *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus;* ergo hæc verba ad validam consecrationem sufficiunt.

Præterea, ex Conc. Florent., forma Eucharistiæ sunt verba a Sacerdote prolata in persona Christi : porro verba antecedentia, *Accipite* et *comedite, bibite,* non proferuntur in persona Christi, sed recitative et historice, alioquin non essent vera, et idem dicendum est de verbis, *Quod pro vobis tradetur;* ergo hæc nec illa verba non sunt de essentia formæ.

Tandem Ecclesia Latina post verba, *Hoc est corpus meum,* nullum aliud verbum profert : porro hæreticum est dicere Ecclesiam Latinam vera consecratione carere; ergo nec verba, *quod pro vobis tradetur,* nec oratio subsequens apud Græcos usitata, sunt de essentia formæ. Revera Græci, in Conc. Florent., declararunt per orationem, quam verbis consecrationis subjiciunt, postulari consecrationem corporis mystici Christi, id est, peti non ut fiat Sacramentum, sed ut proficiat illis, qui ad illud adorandum vel sumendum accedunt.

3. *Ration. theol.* Formula, *Hoc est corpus meum*, absque alio verbo sufficienter significat transsubstantiationem; ergo illa formula sufficit. Et vero, illa formula sufficienter determinatur ad significandum corpus Domini per intentionem Ministri in persona Christi loquentis independenter ab iis quæ præcedunt vel subsequuntur.

Attamen sententia Scoti omni probabilitate non caret, et ideo verba præcedentia omitti non debent. Quare rubrica præcipit ut Sacerdos incipiat ab illis verbis: *Qui pridie, etc.*, et *Simili modo, etc.*, quando forma est repetenda ratione dubiæ materiæ, vel eo quod forma fuerit semiprolata.

Itaque, ex Rubr. Missalis, si celebrans *non recordetur* se dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei *constet* se omisisse formam consecrationis, vel partem, resumat ipsam formam, et cætera prosequatur per ordinem. Si vero *valde probabiliter dubitet* se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si demum non sint de necessitate sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

82. — *Quæritur* an singula verba prædictæ formæ ita sint apte et convenienter tradita, ut mutari nullo modo possint?

Resp. 1. Pronomen *Hoc* in subjecto propositionis positum est ad significandam substantiam sine determinata specie, quia cum forma sacramentalis sit effectiva rei significatæ, subjectum rem illam in specie significare nequit, donec compleatur et significatio et factio rei per attributum, ex dictis n. 38.

Unde, si quis mutet pronomem *hoc* in adverbium locale *hic*, tollitur forma essentialis; quia forma jam non significaret transubstantiationem seu conversionem substantialem, sed tantum locum, in quo positum esset corpus Christi. Si quis autem mutet pronomen *hoc* in pronomen *hic*, peccaret quidem, sed probabilius permaneret significatio transsubstantiationis, et ideo essentialis forma. Attamen, si in aliquo idiomate vox *corpus* esset masculini ge-

neris, dubium non est quin pronomen *hoc* posset mutari in masculinum.

Similiter locutio, *Ecce corpus meum*, non videtur significare conversionem substantialem, et ideo insufficiens reputanda est.

Juxta Suarez, qui diceret *illud est corpus meum*, non consecraret, quia pronomen *illud* non demonstrat materiam præsentem; bene vero pronomen *istud*.

2. Verbum substantivum *est* aptissime positum est in hac forma. Non debuit enim conversio panis significari ut in fieri, sed ut jam facta, quoniam fit in stanti, et non prius fit quam sit facta : hoc autem ita proprie significatur per verbum substantivum in præsenti, ut nullum aliud verbum poni posset salva proprietate ac veritate propositionis. Sic, qui diceret : *Hoc fit corpus meum*, significaret panem fieri corpus Christi, quod falsum est, siquidem Christi corpus fit *ex pane*, panis autem non fit corpus ; sed etiam verbum *fit* indicat ipsam factionem conversionis, non autem conversionem jam facta, prout requiritur. Idem dicendum est de hac propositione : *Hoc transit in corpus meum*.

Itaque, si verbum *est* mutetur in quodcunque aliud, in primis est grave peccatum, quia agitur de re valde gravi : atque verisimile est mutationem esse substantialem, ideoque non perfici consecrationem.

Nec etiam valet forma : *Hoc enim corpus meum*, subintelligendo *est*. Nam, licet in continua oratione verbum substantivum facile subintelligi possit, in casu tamen præsenti fieri nequit, tum quia non habetur oratio continua, tum quia in re de qua agimus, verbum illud non habet tantum sensum assertorium, ut in sermone communi, sed etiam habet vim productivam corporis Christi. Ita Suarez, S. Ligor. et alii communissime.

3. Recte etiam in hac forma positum est nomen *corpus*, tum quia, ad representendam passionem voluit Christus corpus et sanguinem seorsum consecrare; tum quia vox *caro* proprie condistinguitur ab ossibus et nervis, dum corpus complectitur carnem, nervos et ossa; tum quia hoc

Sacramentum significat unitatem corporis mystici, quod ex partibus heterogenis constat. Unde plerique Theologi censent vocem *caro* non sufficere ad essentiam formæ.

4. Particula *meum* ita determinat corpus, ut sine illa non fieret vi verborum præsentia corporis *Christi*, nec Sacerdos in persona Christi consecraret. Unde invalida est hæc forma : *Hoc est corpus Christi*, quia Sacerdos sic pronuntians, non exprimit se in persona Christi loqui. Revera cum hoc Sacramentum sit præ cæteris admirabile, et maxime declarans Christi omnipotentiam, maxime decuit Sacerdotem, illud conficiendo, ut persona Christi loqui.

Tandem, juxta omnes, vox *enim* non est necessaria; nec, juxta quosdam contra plures, ejus omissio gravis est.

Christus addidit verba, *Quod pro vobis tradetur*, tum ad clarius exprimendam corporis veritatem, tum ad passionis commemorationem. Ecclesia tamen Latina satis existimavit determinationem similem adjungere in forma sanguinis, in cujus consecratione repræsentatio passionis Christi consummatur.

§ II

De forma Eucharistiæ super vinum pronuntianda.

Circa hanc formam eædem moventur difficultates ac de forma super panem pronuntianda, n. 80, quæ cum jam discussæ fuerint, n. 81, hic nihil de iis dicendum superest. Itaque

83. — 1° *Ad consecrationem sanguinis Christi*, verba *Hic est calix sanguinis mei*, vel, *Hic est sanguis meus*, requiruntur. De fide est.

Constat ex dictis n. 81. De his enim verbis eadem argumentatio est, quæ de istis, *Hoc est corpus meum*. Scilicet, illa verba a tribus Evangelistis et a S. paulo referuntur, et cum proprie significent consecrationem sanguinis Christi, et quidem quatenus in persona Christi factam, illam ideo efficiunt, ac consequenter sunt de essentia formæ et Sacramenti.

2° Utrum vero *sufficiant*, id est, an non sint necessaria

verba sequentia : *Novi et æterni testamenti, mysterium fidei qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, controvertitur.

Alii quippe putant hæc verba esse de essentia formæ. Ita S. Antoninus, S. Thomas, 3 p., q. 78, a. 3, Gonet et communiter Thomistæ, Salmanticenses. Namque 1. omnia illa verba, si excipias *æterni*, *mysterium fidei*, colliguntur ex tribus Evangeliis, et ex S. Paulo, I Cor. 11, ỿ 25 ; verba autem *æterni, mysterium fidei*, ex traditione Domini habentur, ut innuit S. Paulus, *ibid.*, et ut asseritur in Catech. Rom., de *Euchar.*, n. 21 ; ergo illa verba non minus sunt essentialia quam verba, *Hic est sanguis meus*.

2. Ex consuetudine Ecclesiæ Latinæ, Sacerdos eodem ritu et modo, tenendo calicem in manibus, illa omnia verba profert. Insuper in decreto Eugenii IV ad Armenos, sub fine, omnia præfata verba in forma Sanguinis ponuntur. Idem legitur. in Catech. Rom., *ibid.*, n. 21. Imo Pii V jussu, expunctus est commentarius Cajetani, in quo opinionem S. Thomæ deserebat. Porro ex his omnibus colligitur illa verba esse de essentia formæ.

3. Verba, de quibus agitur, sunt determinatio prædicati, *sanguis meus ;* et ideo, donec pronuntientur, non est absoluta propositio, nec consecratio. Revera, Eucharistia instituta est non solum ad significandum corpus et sanguinem Christi per modum cibi et potus ; sed etiam ad significandum sive sacrificium, quod in consecratione sanguinis perficitur, sive virtutem passionis Christi circa remissionem peccatorum : porro hæc duo exprimuntur per verba, *Novi et æterni, etc.*; ergo, etc.

Attamen Salmanticenses sentiunt vocem *æterni* virtualiter contineri in illis, *Novi testamenti ;* et verba, *mysterium fidei,* in illis, *Qui pro vobis effundetur* etc., et ideo illa verba ut non essentialia habent.

Alii vero communius et probabilius docent verba, *Hic est calix sanguinis mei*, *Hic est sanguis meus*, esse ad consecrationem sufficientia. Ita communiter Patres jam citati n. 81, Scotus, Suarez, Cajetanus, Bellarm., S. Bonavent., S. Ligorius, Soto, Sporer, Collet, etc.

Etenim 1. singuli Evangelistæ non referunt omnia verba, de quibus agitur, siquidem omnes omiserunt verba *æterni, mysterium fidei;* S. Matth. et S. Luc., particulam *pro vobis;* S. Marcus, *in remissionem peccatorum;* S. Paulus retinet solum verba *Novi Testamenti;* ergo signum est illa verba non esse essentialia.

2. Omnes liturgiæ antiquæ Græcorum omittunt verba *æterni, mysterium fidei*, et Æthiopes insuper omittunt particulam, *Novi Testamenti;* et nihilominus, juxta omnes, Græci valide consecrant.

3. Verba Sacramentorum efficiunt quod significant : atqui verba, *Hic est calix sanguinis mei, Hic est sanguis meus*, per se sola constituunt propositionem integram, quæ sufficienter exprimit transsubstantiationem; ergo hanc efficiunt, atque ideo sola sunt essentialia.

Revera, verba *Novi et æterni Testamenti*, significant aliquid accidentale et consecrationi extrinsecum. Verba autem, *Qui pro vobis effundetur*, dicuntur a Sacerdote recitative seu historice tantum, nec magis necessaria videntur, quam verba, *Quod pro vobis tradetur*, n. 81. Demum verba, *æterni, mysterium fidei*, non sunt in Scriptura, atque, ut aiunt Salmanticenses, virtualiter in aliis continentur; ergo non sunt essentialia. Vide c. 6, tit. 41, lib. 3 Decret.

Quidquid sit, in praxi, omnia illa verba proferri debent, tum quia, ubi agitur de Sacramentis, tutior pars eligenda est, tum quia in hac re consuetudo et traditio Ecclesiæ habent vim præcepti, tum denique quia hoc præscribit rubrica; vide n. 81, in fine.

84. — *Quæritur* an verba formæ super vinum pronuntiandæ, ita sint apte et convenienter tradita, ut mutari nullo modo possint?

Resp. Quatuor ex illis verbis, scilicet, *Hic, est, sanguis, meus*, ejusdem sunt rationis cum similibus verbis super panem pronuntiandis; et ideo quæ supra dicta sunt, n. 82, hic etiam totam vim retinent.

Quoniam vero alia verba sint plena mysteriorum, dili-

gentius perpendere ea oportet, ut ait Catech. Rom., de Euchar., n. 23. Scilicet,

1. Locutio *Calix sanguinis mei*, id est, *sanguis meus in hoc calice contentus*, proprie et immediate significat sanguinem ut potabilem seu potum sanguinis. Sanguis enim Christi in hoc Sacramento consecratur in quantum est potus fidelium : hoc autem non importatur in ratione sanguinis : et ideo oportuit hoc designari per vas huic usui accommodatum. Cæterum, juxta omnes, valida est etiam forma, *Hic est sanguis meus*, quæ refertur a S. Matth. et S. Marco.

2. *Testamenti*. Omne testamentum est dispositio hæreditatis, quæ effectum suum non sortitur nisi per mortem testatoris : porro cœlestem hæreditatem seu vitam gratiæ et gloriæ disposuit Deus hominibus dandam nonnisi per virtutem mortis violentæ seu effusi sanguinis Christi, juxta illud : « *Per proprium sanguinem* introivit semel in sancta, *æterna redemptione inventa*; et ideo *novi Testamenti mediator* est : ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. » Hebr. 9, ℣ 15.

3. *Novi*, ut distinguatur a testamento, quod sub lege veteri inierat Deus cum gente hebraica. Hujus enim objectum fuere bona in primis temporalia, figurativa bonorum spiritualium per Christum consequendorum; ejusdem autem virtus fuit in morte seu sanguine hircorum aut vitulorum, quatenus figurativo mortis seu sanguinis Christi : dum objectum testamenti, cujus Christus mediator est, sunt bona spiritualia gratiæ et gloriæ; ejusque virtus oritur ex morte seu effusione ipsius sanguinis Christi.

4. *Æterni*, tum ratione ipsius hæreditatis seu gratiæ et gloriæ æternæ, tum ratione æternæ Dei prædestinationis, tum ratione sacrificii Christi, quo firmatum est illud testamentum, et quod manet in æternum secundum ordinem Melchisedech, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 283, 290.

5. *Mysterium*, quia hoc Sacramentum est unum ex mysteriis fidei maxime reconditis et abditis, in quo aliud videtur, aliud sub speciebus latet.

6. *Fidei*, tum quia, quod sanguis Christi secundum ve-

ritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur; tum quia ipse sanguis Christi per fidem justificat, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 279.

7. *Qui pro vobis et pro multis effundetur;* et quidem *pro vobis* præsentibus, vel pro delectis ex Judæorum populo, quales erant Apostoli, excepto Juda, vel pro vobis sacerdotibus, pro manducantibus; *pro multis* etiam, id est, pro cæteris electis ex Judæis aut gentibus, vel pro aliis omnibus, qui sunt multi, vel pro quibus offertur. Vide S. Th. 3 p., q. 78, a. 3; Catech. Rom. *de Euchar.*, n. 23; Suarez, *de Euchar.*, disput. 60, sect. 2, 3.

CAPUT IV

DE EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ

Dicemus 1° quales sint Eucharistiæ effectus, 2° quonam tempore producantur.

§ I

Quales sunt effectus Eucharistiæ.

Hoc proprium est Eucharistiæ, quod ex opere operato non solum producat gratiam habitualem, sicut et cætera sacramenta, sed et gratiam actualem. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

83. — *Eucharistia dat augmentum gratiæ habitualis, per modum spiritualis alimoniæ, non autem per se ac directe primam gratiam.* De fide est.

Et quidem 1° *augmentum gratiæ habitualis.* Constat 1. *Script.*: « Si quis manducaverit ex hoc pane, *vivet in æternum.* Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, *in me manet, et ego in illo*... Qui manducat me, et *ipse vivet propter me;* » Joan. 6, ℣ 52, 57, 58: atqui nullus vivere potest in æternum, nec in Deo manere, nec vivere propter Deum, nisi per gratiam sanctificantem; ergo, etc.

2. *Traditione.* Juxta Conc. Florent, *per hoc Sacramentum*

sumentibus digne *gratia augetur;* et idem declarat Conc. Trid. in verbis mox referendis.

3. *Ration. theol.* De fide est omnia Sacramenta novæ legis conferre gratiam ex opere operato omnibus non ponentibus obicem, ex probatis in Tract. *de Sacram. in genere* n. 53, 64; porro Eucharistia est sacramentum novæ legis, ex dictis, n. 32; ergo de fide est Eucharistiam dare augmentum gratiæ habitualis.

Et vero, Christus per hoc Sacramentum venit sacramentaliter in unumquemque hominum, sicut et per Incarnationem venit visibiliter in mundum : atqui per Incarnationem contulit mundo vitam gratiæ, juxta illud : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, Joan. 1, ℣ 17; ergo per hoc Sacramentum homini datur gratiam, secundum illud : *Qui manducat me, vivet propter me;* Joan. 6, ℣ 58.

Similiter, eo quod hoc Sacramentum repræsentet passionem Christi, in homine producit *effectum*, quem ipsa passio Christi fecit in mundo. Unde S. Chrysost. dicit : « Quum accesseris ad tremendum calicem, ut ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas. » Ita S. Th. 3 p., q. 79, a. 1.

2° *Per modum spiritualis alimoniæ.* Et in hoc consistit finis et effectus Eucharistiæ vere proprius. Videlicet, hoc Sacramentum, et quidem solum, per se primo et directe ordinatur ad nutriendam charitatem propter solam majorem perfectionem ejus, ut homo *in seipso perfectus* existat, per majorem conjunctionem ad Deum, ut ait S. Th.

Constat 1. *Script. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, Joan. 6, ℣ 56 : atqui cibus et potus ad hoc ordinantur, ut vitam corporalem in seipsa sustentent, augeant, reparent et delectent; ergo eumdem effectum producit caro Christi, eam digne sumentibus.

2. *Traditione.* Juxta SS. Patres, panis ille animæ nostræ substantiam fulcit, S. Ambrosius; per hoc Sacramentum anima conjungitur Deo, sicut nutrimentum nutrito, aut sicuti species sacramentales ex pluribus rebus in unum coalescunt; S. August., S. Cypr., S. Th., 3 p., q. 79, a. 1, 3. Eadem ratione dicunt Patres reliquos cibos converti in subs-

tantiam aliti, cui similes redduntur; hunc vero cibum in sese convertere hominem ipsum manducantem, quia eum sanctiorem ac puriorem reddit, sibique *similiorem* ac magis unitum. « Cibus sum grandium; cresce et manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me. » S. August. *Conf.* lib. 7, c. 10.

Idem declarant Concilia. Juxta Conc. Florent., « Hujus Sacramenti effectus est *adunatio hominis ad Christum.* Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne, gratia augeatur, *omnemque effectum, quem materialis cibus et potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, Sacramentum* hoc *quoad vitam operetur spiritualem.* » Vide Conc. Trid., n. 2.

Hinc Eucharistia merito nuncupatur *Sacramentum amoris,* non solum eo quod ex summo amore Dei institutum sit, sed præsertim quia per se primo et directe ordinatur ad amorem divinum nutriendum, fovendum et perficiendum.

3° *Non* autem *per se ac directe primam gratiam* confert, nec ideo peccati mortalis remissionem.

Constat 1. *Script.* « *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.., Qui enim manducat indigne, judicium sibi manducat;* I Cor. 11, ℣ 29 : : porro, ex constanti SS. Patrum et Ecclesiæ totius Traditione, per verbum *indigne* intelligitur sumptio Eucharistiæ cum conscientia peccati mortalis; ergo hoc Sacramentum præsupponit in suscipiente primam gratiam.

2. *Ex Conc. Trid.*, n. 13, quod definivit « *præcipuum sanctissimæ Eucharistiæ non esse remissionem peccatorum;...* et ne tantum Sacramentum *indigne,* atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, illis quos conscientia peccati mortalis gravat... necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. »

3. *Ration. theol.* Hoc Sacramentum institutum est per modum cibi et potus spiritualis : *Caro mea vere est cibus,* etc... : porro cibus et potus non ordinantur de se ad vivicandum seu suscitandum mortuum, sed ad nutrien-

dum vel confortandum hominem jam vivum : nutrimentum enim suscipere, non est nisi viventis ; ergo hoc Sacramentum suscipientem supponit jam vivum per gratiam.

Propterea ab omnibus Theologis Eucharistia annumeratur inter Sacramenta *vivorum*, quæ in suscipiente præsupponunt vitam animæ spiritualem.

86. — An autem *per accidens* et *indirecte* Eucharistia conferat primam gratiam peccati mortalis remissivam, controvertitur inter Theologos. Affirmat S. Thomas, et hanc sententiam ut piam et probabiliorem propugnant Suarez, S. Ligor. et alii, sicut jam perpendimus, ubi de *Sacram, in genere.*, n. 66. Quidquid sit, ut *per accidens* Eucharistia conferat primam gratiam remissivam peccati mortalis, certum est requiri, 1. attritionem vere supernaturalem ; 2. bonam fidem, qua, scilicet, suscipiens inculpabiliter existimet se in gratia accedere, ac proinde non habeat conscientiam peccati mortalis, de quo prudenter non putet sufficientem se pœnitentiam egisse. Ita omnes Theologi.

Hinc evenire potest ut quis, in peccato mortali jacens, bona fide etiam absque attritione ad Eucharistiam accedat : et proinde nec gratiam recipiat, nec tamen novum peccatum mortale committat.

PROPOSITIO II

87. — *Eucharistia dat ex opere operato aliquem effectum gratiæ actualis*, Ita communiter.

Scilicet, est de se efficax ad excitandum animi devotionem et charitatis fervorem, cum speciali Spiritus suavitate ac dulcedine.

Etenim 1º ex Conc. Florent., hoc Sacramentum spiritualiter confert illos effectus, quos corporalis cibus materialiter producit, quorum unus est *oblectare viventem* et *vires confortare;* ergo hunc effectum in anima producit Eucharistia. Et vero Clemens V, cum Conc. Viennensi, dicit : « In hoc Sacramento habetur *omne delectamentum et omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.* » Idem in plurimis locis Scripturæ dicitur de manna, quæ

fuit hujus Sacramenti figura. Porro spiritualis dulcedo, divinum oblectamentum non est sine animæ attentione et affectione actuali, nec proinde sine actuali gratia.

Unde Catech. Rom., n. 52, sic habet : « Sacræ Eucharistiæ cibus non solum animam sustentat, sed *vires* illi addit, efficitque ut spiritus divinarum rerum *delectatione* magis *commoveatur*. »

2° « Panis communionis, inquit S. Damascenus, non simplex panis est, sed unitus divinitati, sicut carbo non est simplex lignum, sed unitum igni : » porro, ut ait S. Gregorius Papa, « amor Dei non est otiosus : magna enim operatur, si est ; » ergo, concludit S. Thomas, « per hoc Sacramentum, quantum est ex virtute sui, non solum habitus gratiæ et virtutis confertur, sed etiam *excitatur in actum*, secundum illud ; *Charitas Christi urget nos*. II Cor. 5, ỷ 14. Et inde est quod, ex virtute hujus Sacramenti, anima spiritualiter delectetur, et quodammodo inebrietur dulcedine bonitatis divinæ, secundum illud ; *Comedite, amici, et bibite et inebriamini, charissimi ;* Cant. c. 5; » S. Th. 3 p. q. 79, a. 1.

88. — Quæ autem gratia actualis est auxilium excitans et adjuvans liberum arbitrium, atque ex parte quidem Sacramenti semper infallibile, etsi tamen liberum arbitrium ei resistere possit et non cooperari. Producitur præsertim in ipsa sumptione hujus Sacramenti et quidem digna : fervor enim charitatis ipsam charitatem necessario præsupponit ; et ideo *tunc maxima devotio requiritur*, ait S. Th. q. 80, a. 8.

Attamen, ut advertit Suarez, disput. 63, sect. 9, ex ipsa gratia habituali per hoc Sacramentum ex opere operato collata, atque vere a suscipiente recepta, oritur jus ad gratias actuales in tempore opportuno concedendas, ad fervorem charitatis excitandum, aut ad vitandum peccatum.

PROPOSITIO III

89. — *Eucharistia remittit peccata venialia*. Certum est. Constat 1° *Traditione*. Etenim. Conc. Trid. docet « Chris-

tum instituisse Eucharistiam *tanquam antidotum quo liberamur a culpis quotidianis;* » n. 2. — « Quidquid charitatis ardore anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, totum id Eucharistia, *eas ipsas minores culpas abstergens,* restituit, » ait Catech. Rom., 33. — « On doit se sentir d'autant plus obligé à purifier les péchés véniels avant la communion, que c'est *par elle principalement qu'on s'en doit relever,* les autres étant lavés par un autre sacrement. » Bossuet, *Médit., Cène 1re p., 10e journ.* Ergo per Eucharistiam aliquomodo remittuntur peccata venialia.

2° *Ration. theol.* Ex dictis n. 83, Eucharistia instituta est per modum cibi, et ideo reparat quidquid quotidie per calorem concupiscentiæ ex ardore charitatis imminuitur: porro hæc diminutio fervoris in charitate fit per peccata venialia; ergo hæc peccata tolluntur per Eucharistiam, et quidem *directe* et *immediate*, juxta plures.

Præterea, ex dictis n. 87, hoc Sacramentum excitat ad charitatis actum, per quem peccata venialia solvuntur: ergo per hunc actum, et ideo saltem *mediate* Eucharistia remittit venialia. S. Th., 3 p., q. 79, a. 4.

Ad hunc autem effectum ex opere operato, duo tantum videntur necessaria, juxta Suarez, in suscipiente, nimirum, ut sit in statu gratiæ, et non habeat actualem affectum ad tale peccatum.

Itaque affectus venialium præteritorum, vel actualis eorum commissio in ipsa Eucharistiæ receptioue, est obex fervori charitatis; suavitati ac dulcedini hujus Sacramenti, et impedit remissionem venialis peccati; non autem tollit augmentum gratiæ habitualis et charitatis. Ita S. Th. q. 79, a. 8, quem secuti sunt multi. Vide Tract. *de Pœnit.* n. 294, 307.

Hinc etiam Eucharistia *indirecte remittit pœnam temporalem.* Fervor enim, quem hoc Sacramentum directe excitat, satisfactorius est, et ideo per illum fervorem homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum gradum suæ devotionis et fervoris. S. Th. q. 79, a.

PROPOSITIO IV

90. — *Eucharistia hominem præservat a peccatis futuris.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ;* Joan. 6, ℣ 52 : porro hoc verificari nequit, nisi Eucharistia sit antidotum, quo a peccatis mortalibus præservemur; ergo, etc.

2° *Traditione.* Ex Conc. Trid., n. 2, Eucharistia instituta est tanquam antidotum, quo a peccatis mortalibus præservamur. Hinc, ut testatur S. Cyprianus ; « cum olim a tyrannis fideles ad tormenta et cædem propter Christiani nominis confessionem vulgo raperentur, ne illi forte, dolorum acerbitate victi, in salutari certamine deficerent, vetus in Ecclesia catholica mos fuit, ut eis ab Episcopis Dominici corporis et sanguinis Sacramenta præberentur ; » Catech. Rom., n. 54. Ergo Eucharistia vim habet a peccatis futuris præservandi.

3° *Ration. theol.* Duplex est causa peccati, interior concupiscentia, et exterior dæmonum impugnatio, sive mundi scandalum. Porro Eucharistia 1., quatenus spiritualis cibus et spiritualis medicina, nutrit charitatem contra interiorem peccati fomitem : « Nutrimentum autem charitatis est diminutio cupiditatis, » ait S. August. 2. Confirmat etiam animam contra exteriores peccati causas, tum quia est repræsentatio mortis Christi, per quam victi sunt et repelluntur dæmones, tum quia excitat ad fervorem charitatis, et suppeditat jus ad auxilia gratiæ actualia, quæ sunt veluti arma quibus anima munitur. Unde S. Chrysost. dicit : « Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo. » Ita S. Th., q. 79, a. 6.

Propterea hoc Sacramentum merito nuncupatur *panis fortium*, et ad donum perseverantiæ adeo confert ut, qui ab illo se abstinent, in magno periculo gratiam amittendi versentur, juxta S. Cypr., Suarez, et alios, ut infra dicetur.

Nec exinde concludendum est illum, qui semel digne

Eucharistiam recepit, nusquam peccaturum mortaliter. « Homo enim in statu viæ est hujus conditionis, quod liberum arbitrium ejus potest flecti in bonum et malum : unde, licet hoc Sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem præservativam a peccato, non tamen aufert possibilitatem peccandi. » S. Th., q. 89, a. 6.

PROPOSITIO V

91. — *Eucharistia est pignus futuræ gloriæ nostræ et perpetuæ felicitatis.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Etenim dicitur : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, *habet vitam æternam*, et *ego resuscitabo eum in novissimo die ;* » Joan. 6, ℣ 55. Ergo Eucharistia est pignus vitæ æternæ et resurrectionis.

2° *Traditione.* Conc. Trid., n. 2, dicit de hoc Sacramento : « *Pignus id esse voluit* (Christus) *futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis.* » — Et in Missæ canone sic habetur : « Hic est calix sanguinis mei, novi et *æterni Testamenti ;* » ergo Eucharistia est pignus fœderis perpetui inter Deum et animam. « Ut uno verbo omnes hujus Sacramenti utilitates et beneficia comprehendantur, dicendum est, sacræ Eucharistiæ *summam vim esse ad æternam gloriam comparandam.* » Catech. Rom., n. 56.

3° *Ration. theol.* 1. Ex dictis, n. 90, hoc Sacramentum directe confirmat cor hominis in bono, et consequenter præservat a peccato, atque multum confert ad perseverantiam ; ergo hoc ipso viam munit ad æternam gloriam.

2. Eucharistia instituta fuit per modum cibi spiritualis ad perficiendam unitatem animæ cum Christo, ex dictis n. 85 : porro hæc refectio cibi spiritualis et unitas significata per species panis et vini, habentur quidem in præsenti, sed imperfecte, perfecte autem in statu gloriæ ; ergo consecutio æternæ vitæ ad plenitudinem effectus hujus Sacramenti pertinet. Unde dicit S. August. : « Quum cibo et potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit in so-

cietate Sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta; » in Joan. *Tract.* 26. S. Thom., q. 79, a 2.

92. — Hinc propter hanc virtutem, quam dat perveniendi ad gloriam, Eucharistia merito *Viaticum* nuncupatur; in cujus figura legitur quod Elias *comedit et bibit et ambulavit in fortitudine cibi illius* (panis) *quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.* III Reg., 19, ℣ 8.

Eadem ratione hoc Sacramentum vocatur *symbolum resurrectionis,* a Conc. Nicæno; *pharmacum immortalitatis*, a S. Ignatio; *cibus nutriens ad immortalitatem* et vitam æternam, a S. Cyrillo; S. Chrysost. dicit, « animas eorum, qui hoc Sacramentum in fine vitæ suscipiunt, ab Angelis, propter assumptum illud Sacramentum, hinc recto in cœlum deduci; eorum vero corpora, satellitum more, stipantibus Angelis, custodiri in vitam æternam; » *de Sacerdotio,* lib. 6.

93. *Quæritur* 1º an, etiam in hac vita, hoc Sacramentum habeat aliquam efficaciam in *ipso corpore* digne suscipientis?

Resp. affirmative. Moderatur enim fomitem peccati, et alios bonos affectus in sensitivo appetitu excitat, ut promptius et jucundius homo virtutem operetur, ait Suarez, disput. 64, sect. 1. Unde S. Hieron. de hoc Sacramento exponit illa verba Zachariæ, c. 9: *Vinum germinans virgines.* « Carnis libidinem *cohibet* ac *reprimit* Eucharistia, inquit Catech. Rom.; dum enim charitatis igne animos magis accendit, concupiscentiæ ardorem restinguat, necesse est. »

94. — *Quæritur* 2º an, *ratione sacramentalis unionis*, cum simul adest spiritualis, dici possit Christum *nobis magis uniri*, quam per solam spiritualem?

Resp affirmative. Nam, quando Christus digne sumitur, realiter conjungitur suscipienti, et vere ac proprie intra ipsum constituitur, et quasi quodam *corporali amplexu* apprehenditur.

Ex hoc fit, ut quandiu Christus adest, quantum est ex sacramenti virtute ejus, *excitet suscipientem ut diligat*, et *affectu* etiam *complectatur* eum, quem *corporaliter habet præsentem*.

Ac rursus, ex eadem corporali sumptione et quasi permixtione, ut Sancti loquuntur, relinquitur, etiam post transactam realem Christi præsentiam, *moralis quædam habitudo inter Christum* et *suscipientem*. Nam ratione illius contractus, speciali titulo censetur hic esse quasi aliquid Christi, et Christum habere specialem curam, non solum animæ, sed etiam corporis ejus, ut illud sanctificet, suæque gloriæ particeps faciat. Quæ autem habitudo non manet in eo qui indigne communicavit, quia obicem posuit effectui Sacramenti.

§ II

De tempore quo producuntur Eucharistiæ effectus.

95. — *Quæritur*, scilicet, 1° an *per totum tempus quo Christus est realiter præsens intra hominem, augeatur in illo sacramentalis effectus, dum ipse homo sese magis ac magis disponat*.

Resp. Controvertitur. Negativam tenent plures auctores, eo quod præsertim hoc Sacramentum conferat gratiam per manducationem et potum, quatenus consistunt *in usu sumentis*, et ideo per motum specierum a gutture ad stomachum; postea enim tantum sequitur digestio specierum; quæ non est actio humana, sed naturalis et physica. Ita Soto et alii.

Affirmativam autem uti *valde probabilem* asserunt Suarez, Cajet., Lugo, S. Ligor., n. 269, atque illam sic propugnant. 1. Ex Concilio Floren., quos effectus operatur in corpore cibus materialis, secundum proportionem producit in anima hoc Sacramentum : atqui cibus materialis non tantum operatur dum sumitur, sed nutrit et confortat, quandiu durat in stomacho; ergo et Eucharistia. Et revera, gratia non promittitur ratione *manducationis*, sed ratione *cibi ut manducati*. Unde S. Augustinus ait : *Manducare Christum est illum manentem in se habere*; in Joan. *Tract*. 26.

2. Hic modus institutionis aptissimus est ad majorem devotionem et reverentiam exhibendam huic sacramento, saltem tempore quo in homine manet, ex spe majoris fructus. Imo, post sumptionem exteriorem, homo potest facilius se totum interius colligere, et efficacius ad fructum ex illo cibo hauriendum sese disponere.

3. Tandem non est cur dicatur tunc ibi esse Christum quasi otiosum, cum habeat vim sanctificandi, nec aliunde ipsam actualem devotionem excitare possit ex opere operato, nisi prius gratia habitualem in eadem proportione augeat.

96. — *Quæritur* 2° an, quando Eucharistia, eo tempore quo suscipitur, non habet effectum, propter obicem suscipientis, *postea incipiat illum habere, recedente obice*, etiamsi *jam desit omnino præsentia Christi in sumente?*

Resp. Quidam affirmant, inter quos Petrus Soto, Cajetanus, hoc præsertim ratiocinio innixi: cætera Sacramenta hujusmodi effectum habent; cur ergo non etiam hoc, quod sicut est cæteris dignius, ita debet esse efficacius?

Sed multo plures negant, inter quos S. Thomas, S. Bonavent., Suarez. Etenim 1. nullus Sanctorum hoc docuit; imo S. Paulus de indigne communicante dicit, judicium sibi manducare et bibere; nunquam autem dixit talem communionem postea esse posse illi utilem.

2. Gratiæ efficacia, de qua agimus, colligitur pro quibusnam aliis Sacramentis, eo quod simpliciter aut pro aliquo statu iterari non possint, vel sint ad salutem media necessaria, de *Sacram. in genere*, n. 77, et seq.: porro Eucharistiæ Sacramentum et frequentissime iterari potest, et effectus ejus non est simpliciter aut pro aliquo statu speciali necessarius; ergo nulla est necessitas ob quam habeat effectum, recedente obice.

3. Excellentia et perfectio hujus Sacramenti postulat, ut cum maxima reverentia recipiatur: porro ad hanc reverentiam spectat, ut homines intelligant, accedentes ad illud Sacramentum absque dispositione, privari etiam spe fructus ex tali communione: nec est verissimile perditum Sacer-

dotem, qui quotidie indigne communicat, per unum actum pœnitentiæ in fine vitæ, consequi omnem gratiam, quam ex opere operato obtinuisset, si digne communicasset. Vide Suarez, disp. 63, sect. 8.

CAPUT V

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ

97. — *Quæritur* quis sit Eucharistiæ minister consecrans, vel dispensans, dispensans ratione ordinis, vel jurisdictionis?

Resp. Minister Eucharistiæ est consecrans, vel dispensans. *Consecrans* minister conficit hoc sacramentum simul quatenus sacramentum et sacrificium; et ideo de eo diximus n. 208, 209. *Dispensans* minister ille est, qui *ex potestate* hoc sacramentum tali fideli adscribit per modum *unius actici* et exinde differt ab illo, qui per usum quasi *passivum*, *exequitur* illam dispensationem autorizabilem, qualis est fidelis, cum, accepta a Sacerdote hostia consecrata, eam in domum suam defert, et propriis manibus se communicat, ut olim, sæviente persecutione. Sic, in ultima Cœna, Christus fuit non solum consecrator, sed et proprius dispensator hujus sacramenti, cum dixit : *Accipite, comedite, dividite inter vos*, licet Apostoli panem consecratum propriis manibus sumpserint, ac ealicem ipsi diviserint inter se.

Dispensans minister autorizabilis, de quo hic agitur, considerari potest ratione ordinis, vel jurisdictionis. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

98. — *Soli Sacerdotes sunt, jure divino, ministri ordinarii Eucharistiæ dispensandæ.* Certum est.

Prob. 1º *Script.* Nam Christus in ultima cœna fuit Eucharistiæ consecrator simul et proprius dispensator, ut modo dictum est : atqui per verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22, jus contulit, ac munus imposuit idem perficiendi ; ergo, qui consecrant Eucharistiam seu sacer-

otes, ex jure divino possunt ac debent eam dispensare.

2° *Traditione*. Idem enim declarat Conc. Trid., n. 8 : « Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut *laici a Sacerdotibus communionem acciperent*, sacerdotes autem *celebrantes seipsos communicarent* : qui mos tanquam ex *traditione apostolica* descendens, jure ac merito retineri debet. »

3° *Ratione* idem confirmatur. Etenim 1. consecratio Eucharistiæ ad ejus distributionem ut ad finem ordinatur; et ideo potestas dispensandi consectarium est ac complementum potestatis consecrandi Eucharistiam.

2. Sacerdos, qua talis, medius est inter Deum et populum; unde, sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere.

3. In reverentiam Eucharistiæ, a nulla re contingitur nisi consecrata: unde et corporale et calix consecrantur : porro solius sacerdotis manus consecrantur in ordine ad tangendum hoc sacramentum; ergo ad illum solum pertinet per tactum dispensare Eucharistiam ; et sic congruit ut presbyteri sumant, et dent cæteris. S. Th. 3 p., q. 82, a. 3.

PROPOSITIO II

99. — *Diaconi, ex officio, porrigunt Christi sanguinem, non vero corpus, nisi in necessitate*. Certum est.

Constat praxi primævæ Ecclesiæ. Scilicet, quando sub utraque specie fideles communionem accipiebant, præcedebat sacerdos porrigens corpus, et, ut res brevius et commodius perficeretur, sequebatur diaconus calicem ministrans; et ita non proprie ac formaliter dispensabat diaconus, sed executioni tantum demandabat dispensationem a sacerdote factam. Nunc etiam Romæ, quando Papa solemniter celebrat, corpus Domini propriis manibus sumit; diaconus autem illi deinde sanguinem porrigit. Propterea, in Pontificali, diaconi appellantur *ministri Christi* et *dispensatores mysteriorum Dei*.

Aliunde, ex una parte, diaconus, ratione ordinationis, quasi propinquus ordini sacerdotali, aliquid participat de ejus officio; et ideo, vi muneris sui in offertorio cum sa-

cerdote offert calicem, atque sanguinem in vase contentum dispensat; ex altera vera parte, diaconus, cum non habeat manus consecratas, nec offert panem cum sacerdote, nec ex officio dispensat corpus Christi. Sed etiam, sanguini admiscetur aqua, quæ populum significat: diaconus autem stat inter sacerdotem et populum; ergo magis convenit diaconis dispensatio sanguinis, quam corporis. S. Th. 3 p. q. 82, a. 3.

In casu tamen necessitatis, ex jussu sacerdotis, diaconus ipsum corpus Domini dispensare potest, juxta omnes; imo, absente presbytero, teneretur diaconus Viaticum deferre ad periculose decumbentem. Excepto casu necessitatis, juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam, diaconus, absque Episcopi licentia, non potest Eucharistiam administrare. S. Ligor. lib. 6, n. 237.

PROPOSITIO III

100. — *Ex jure ecclesiastico, dispensatio Eucharistiæ generatim pertinet ad illos, qui ex officio habent animarum curam.* Certum est.

Videlicet, jus illud respicit communionem paschalem, viaticum, primam communionem, communionem in missa, extra missam.

1° De *communione paschali* speciatim dicemus n. 143-147.

2° *De Viatico.* Ad parochum pertinet jus Viaticum parochianis etiam clericis et sacerdotibus administrandi. In hoc consentiunt omnes.

Regulares autem præsumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, Viaticum ministrare absque parochi licentia, ipso facto incurrunt excommunicationem S. Pontifici reservatam; vide Tract. *de Censuris*, n. 65. Sub illa censura non videntur comprehendi votorum simplicium Instituta.

Licite tamen possunt Regulares, absque licentia parochi, ministrare Viaticum suis fratibus, clericis etiam, mercenariis, operariis, servis, famulis, ac quibusvis hospitibus etiam secularibus et extraneis, quos in locis vel habitationibus Regularium reperiri contigerit in mortis articulo, aut

periculo, et quoties de illo dubitari poterit; Conc. Trid., sess. 24, c. 11; Clementin. c. 1, tit. 7, lib. 5; vide Institut. canonicas, Tract, 6, n. 215.

De Viatico et etiam de communione paschali juvenum aut puellarum in collegiis, conventibus aliisve institutis degentium, jus determinatur vel ex privilegiis a S. Sede concessis, vel ex auctoritate respectivi Episcopi, ut exponimus in Institutionibus canonicis, Tract. 5, n. 199, 6°.

3° *De prima communione.* Ex jure naturali, admissio ad primam communionem spectat præsertim parochum, pueri confessorem et ejus parentes.

Quoad jus canonicum, semota consuetudine legitime præscripta, aut cujusque diœcesis legislatione, illa admissio non videtur esse de parochialibus juribus; nec ideo ut læsus se merito existimet parochus, si forte unus aut alter juvenis identidem alibi, quam in parœcia, primam communionem recipiat. Vide fusius Institutiones canonicas, Tract. 5, n. 199, 3°.

4° *De communione in Missa.* Ex communi Ecclesiæ praxi, quilibet sacerdos in missa licentiam habet Eucharistiam distribuendi omni communicare volenti, eo quod Conc. Trid. exoptat, ut in singulis missis qui adstant fideles, Eucharistiæ fiant participes; ses. 22, c. 6.

Porro est regula ut communio fiat adstantium statim post communionem sacerdotis celebrantis, antequam se purificet. Orationes enim pro gratiarum actione, quæ post communionem in Missa dicuntur, non solum ad sacerdotem, sed etiam ad alios communicandos spectant. Aliunde, communio fidelium statim post sacerdotis communionem, magis significat conjunctionem membrorum cum Christo capite. Tandem, qui communicat intra Missam, bonum præbet exemplum adstantibus, magisque publice fidem catholicam profitetur. Unde errant, qui nullo discrimine post finem Missæ sacram præbent Eucharistiam.

Adest autem rationabilis causa differendi communionem fidelium ad finem Missæ, si multi ad Eucharistiam suscipiendam accederent, ac simul plurimi adessent Missæ, quorum aliqui tædio caperentur, finem Missæ expectantes.

Ita Rubrica Missalis, Rituale Rom., Benedict. XIV, Constit. *Certiores*, 13 nov. 1742.

5° *De communione extra Missam*. Ex communi Doctorum sententia, distributio Eucharistiæ extra missam per se spectat parochum, cum munus sit parochi oves sibi creditas tum verbi, tum sacramentorum ac præcipue Eucharistiæ pabulo reficere; et ideo qui, sine licentia parochi, hoc sacramentum extra Missam distribuit in ecclesia parochiali, aut domo infirmis, licet non sub forma Viatici, alienum officium invadit.

Ad hoc autem sufficit licentia rationabiliter præsumpta: porro, ex usu et sententia communi, cui conceditur facultas celebrandi missam in ecclesia parochiali, intelligitur etiam concessa facultas ministrandi Eucharistiam etiam extra Missam in eadem ecclesia; S. Ligor., lib. 6, n. 235. Potest tamen parochus determinare tempus, quo opportunius extra missam in sua ecclesia valet aut debet Eucharistia distribui.

Insuper, Regulares jus habent deferendi, non publice quidem, Eucharistiam infirmo, si iste satisfecerit præcepto de Viatico, vel etiam quando communicat jejunus, nec alicui obligationi, v. g., præcepto paschali, per communionem satisfacere intendit.

An vero sacerdos *non consecrans* possit aliquando *sibi Eucharistiam propria manu dispensare*, distinguendum est. Videlicet, si in loco solus sit sacerdos, potest sibi dispensare Eucharistiam in casu necessitatis aut etiam devotionis causa tantum, modo absit scandalum, ut communiter affirmant Theologi, inter quos Suarez, disput. 72, sect. 3, de Lugo, Gonet, disp. 10, a. 2, n. 19; S. Ligor., lib. 6, n. 238. Nam Conc. Nicænum I, can. 14, absolute concedit diacono, absente sacerdote, seipsum propria manu communicare; ergo a fortiori hoc licet sacerdoti.

At, ut subdit Suarez, quia res non est usitata, non debet fieri nisi ubi unus tantum esset sacerdos, qui non posset sacrificare.

Insuper, sacerdos consecrans, quia offert sacrificium nomine Ecclesiæ tanquam homo publicus, intra missam

pascitur a Christo ipso; extra missam vero facit communionem laicam, et ideo in hoc pendet a suo parocho, sicut cæteri fideles, nec absque ejus licentia saltem prudenter ac tuto interpretata, potest hoc modo seipsum communicare.

101. — *Quæritur* 1° quonam *tempore possit* aut *debeat* dispensari Eucharistia?

Resp. Per se loquendo, qualibet *hora* diei potest dispensari Eucharistia. Attamen invaluit ubique diuturna consuetudo non ministrare Eucharistiam sub vesperas, a fortiori tempore nocturno, nisi urgeat necessitas. In Gallia viget consuetudo Eucharistiam distribuendi in nocte Natalis Domini.

Quoad *diem*, ex jure excipiuntur feria sexta in Parasceve et Sabbatum Sanctum. De die Parasceves consentiunt omnes ex jure et consuetudine non licere dispensare Eucharistiam nisi moribundis; Benedict. XIV, *de Sacrif. Missæ*, lib. 3. c. 18, n. 14.

De Sabbato Sancto non idem est consensus, ut videre est apud Benedict. XIV, *ibid.*, S. Ligor., lib. 6, n. 252. S. Congr. Rit., ad dirimendam illam controversiam, prohibuit, 27 sept. 1837, distribuere communionem Sabbato Sancto, nisi in locis ubi invaluit consuetudo, et tunc quidem distribui debet duntaxat intra missam solemnem, vel post completum officium.

Qui animarum curam habent, *tenentur* eis Eucharistiam dispensare, *quoties rationabiliter petunt*, seclusis legitimis impedimentis. Ad hoc enim præponuntur illi sacerdotes, ac congruentem recipiunt sustentationem.

An vero ad id teneatur parochus tempore pestis cum gravi vitæ suæ periculo, disputant Theologi; sed communiter fatentur parochum teneri ad conferendam Eucharistiam, quando tenetur confessionem audire illius, qui peste inficitur, cum tunc administratio Eucharistiæ non per se inducat novum periculum. Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 13, c. 19, n. 8; S. Ligor., n. 253.

Unde Parochus investigare debet infirmos Eucharistiam non petentes, saltem si sint in gravi mortis periculo: illos

sæpe invisere, atque bene dispositos ad frequentem communionem adhortari. Vide Tract. *de Sacram. in gener.*, n, 131, 132.

102. — *Quæritur* 2° quid agendum sit a Sacerdote, *si, ad infirmum cum Eucharistia adveniens, ejusque confessionem excipiens, eum indispositum inveniat?*

Resp. Confessarius omni modo possibili satagere debet pœnitentem adducere ad sufficientem dispositionem. Quod si non obtineat, atque adeo non possit absolvi infirmus, tunc enixe inducendus est ut, peracta confessione, declaret publice se nolle adhuc Eucharistiam suscipere. Hac præstita declaratione, patet Eucharistiam ei ministrandam non esse. Si vero id declarare deneget, atque communicare velit, Eucharistia eidem, licet indisposito, ministranda est, ad servandum intactum confessionis sigillum, Cæterum, ex dictis in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 138-140, graviter peccat sacerdos, qui hostiam non consecratam pro consecrata porrigit, etiam scienti et consentienti.

Hinc non parum interest, ut Sacerdos, saltem plerumque, jam infirmi *confessionem audierit, antequam Eucharistiam afferat.*

103. — *Quæritur* 3° an *secreto deferri possit Eucharistia?*

Resp. negative, sed *manifeste* et *honorifice*, ut dicit Conc. Trid., n. 15, et præscribit Ritual. Rom., nisi impediant variæ circumstantiæ, v. g., loca hæreticorum, vel proximum irreverentiæ periculum in locis etiam Catholicorum. Sed tunc, ut secreto deferatur, requiritur Episcopi licentia.

In deferendo SS. Sacramento pro sacro Viatico publice infirmis ministrando, sed sine baldachino, non licet parocho vel ministro procedendi per viam *capite cooperto*, ex decis. S. Cong. Rit., 31 aug. 1872.

104. — *Quæritur* 4° an dari possint *plures particulæ uni communicanti*, vel una *major*, devotionis causa, vel an particulæ *frangi possint, si deficiant?*

Resp. 1. Ex decreto S. Congr. Conc. ab Innoc. XI appro-

bato, prohibetur ne dentur plures particulæ uni communicanti, vel una major; et id verum est, etiam particulæ consecratæ supersint, nec sit tabernaculum ubi reponantur; in hoc casu Sacerdos illas particulas sumere debet ante ablutionem; vel, si sint in nimia quantitate, ad proximum tabernaculum eas deferre.

2. Ex praxi generali frangi possunt particulæ si deficiant, quando deest alia missa, vel fideles expectare non possunt. Tunc sacerdos dividere debet hostias in duas tantum, vel, ad summum, in tres partes, quia, secus, cum debita reverentia communionem dare non posset; imo esset periculum ne communicantes Sacramentum non reciperent, siquidem particula nimis parva in ore facile dissolvi potest, antequam deglutiatur. Ita S. Congr. Rit., 16 mart. 1833.

105. — *Quæritur* 5° utrum, si desint minores formulæ, Sacerdos possit *partem majoris in qua consecravit, detrahere ut det communionem petenti?*

Resp. affirm. in casu viatici moribundo deferendi, ratione urgentis necessitatis, ex consensu unanimi Doctorum. Idem communiter docent Theologi cum S. Ligor., n. 217, si esset communicaturus unus vel alter fidelis, qui secus diu communionem exspectare deberet.

106. — *Quæritur* 6° *quandonam renovandum sit ciborium?*

Resp. Renovandum est *frequenter*, ex Ritual. Rom.; *singulis octo* vel saltem *quindecim diebus*, juxta Benedict. XIV; *singulis octo diebus*, ex Pontifical. Rom., ex recentioribus decis. S. Congr. Rit., et ex praxi communi.

107. — *Quæritur* 7° an *status gratiæ requiratur in Eucharistiæ Ministro?*

Resp. Hanc quæstionem jam perpendimus, in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 121, 127, 128, 129, et illuc remittimus.

CAPUT VI

DE SUBJECTO EUCHARISTIÆ

Expendemus 1° quibus dari debeat Eucharistia; 2° quænam requirantur dispositiones præcise ad Eucharistiæ perceptionem; 3° quid de frequenti usu communionis.

ARTICULUS PRIMUS

De iis, quibus dari debet Eucharistia.

108. — Ex dictis in Tract. *de Baptismo*, n. 33, Eucharistia solis baptizatis exhibenda est. Inquirendum est autem an ministrari possit etiam iis baptizatis, qui in statu speciali degunt, nempe, infantibus, amentibus, surdis-mutis, energumenis, peccatoribus. Unde

109. — *Quæritur* 1° an Eucharistia ministrari possit *infantibus?*

Resp. 1. Pueris, qui usum rationis nondum adepti sunt, etiam in articulo mortis deneganda est Eucharistia, tum propter irreverentiæ periculum, tum quia obstat præsens Ecclesiæ disciplina.

2. Pueris autem qui, jam rationis compotes, *in articulo mortis* versantur, non solum dari potest communio seu Viaticum, sed etiam *debet*. Nam, ex una parte, pueri in tali periculo constituti, tenentur ex præcepto divino communicare, n. 142; ex alia autem, utilitas Eucharistiæ tunc majorem dispositionem non exposcit. Hinc graviter errant Parochi, qui Viaticum hujusmodi pueris administrare nolunt. Ita Suarez, Lugo, Layman, Benedict. XIV, S. Ligor. n. 301.

Ex Catech. Rom. 2 p., c. 4, n. 68, « qua ætate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam *pater* et *sacerdos*, cui illi confitentur peccata; ad illos enim *pertinet* explorare et a pueris percunctari an hujusmodi admirabilis sacramenti *cognitionem aliquam acceperint*, et *gustum habeant*. »

Conc. Rothomagense, an. 1850, prohibuit, quin nemo ad

sacram Eucharistiam prima vice suscipiendam admitteretur, antequam duodecim saltem annum attigerit. S. Congr. Conc. illud decretum sic reformavit : « Nemo ad sacram Eucharistiam prima vice admittatur, qui nondum hujus Sacramenti *cognitionem* et *gustum* habeat, judicio præsertim *parochi* ac *sacerdotis*, cui peccata puer confitetur. » Ex his patet quanam ætate, pro cujusque pueri facultate, cognitione acquisita et gustu, urgere possit, extra mortis periculum, communionis præceptum. S. Ligor., n. 301. Vide Institutiones canon., Tract. 5, n. 199, 3°.

110. — *Quæritur* 2° an Eucharistia ministrari possit *amentibus?*

Resp. 1. Perpetuo amentibus omnino deneganda est, haud secus ac pueris ante usum rationis ; ita omnes cum S. Th., q. 80, a. 6, et Ritual. Rom. 2. Amentibus autem qui lucida habent intervalla, tribui potest, etiam extra mortis articulum, modo rite sint dispositi, et absit irreverentiæ periculum ; ita Rituale Rom. 3. Iis qui ex rationis usu in perpetuam amentiam vel phrenesim inciderunt, Eucharistia in articulo mortis tribui potest et debet, modo laudabilem vitam duxerint, vel signa pœnitentiæ dederint, nullumque subsit irreverentiæ periculum : ita decernitur in Conciliis Carthag. IV, Arausic. I, Catech. Rom., n. 49, S. Th., Suarez, S. Ligor., n. 302. Operæ tamen pretium est, ut Sacerdos formulam non consecratam prius immittat in os phrenetici, ut exploret an aliquid immineat irreverentiæ. 4. Quoad autem *semifatuos*, id est, qui debilem habent rationis usum, tribui debet in Paschate et in articulo mortis, si sciant distinguere cibum hunc a profano ; verum non expedit ut frequentius ad sacram mensam admittantur, nisi specialem erga Sacramentum altaris præ se ferant reverentiam. S. Ligor., n. 303.

111. — *Quæritur* 3° an tribui debeat Eucharistia *energumenis*, an *mutis-surdis a nativitate?*

Resp. ad 1. Consulendus est Episcopus, si commode fieri possit ; sin autem, expendendum utrum energumenus

sua culpa possideri meruerit, an non ; in primo casu, non ante ad sacram communionem admittendus est, quam congruæ pœnitentiæ signa exhibuerit ; in secundo casu vel lucidis fruitur intervallis, et tunc sacra Eucharistia privari non debet : ita S. Thomas et alii passim Theologi ; vel semper subjacet impetui dæmonis, ita ut immineat irreverentiæ periculum, et tunc tribui non debet Eucharistia.

Resp. ad 2. Mutis-surdis a nativitate tribui potest Eucharistia, non in articulo mortis tantum, sed saltem in tempore paschali, si in iis sit aliqua hujus Sacramenti cognitio, et ad minus intelligant id quod recepturi sunt non esse profanum panem, sed aliquid ad animæ suæ salutem institutum, et aliunde peccata sua nutibus exprimant. Aliud dicendum de mutis-surdis simul et cæcis a nativitate, quia nullatenus intelligere possunt naturam cibi Eucharistiæ. Ita S. Ligor., n. 303.

112. — *Quæritur* 4° an tribui debeat Eucharistia *peccatoribus* sive *occultis*, sive *publicis*, *an reis ultimo supplicio damnatis ?*

Resp. ad 1. Hujusmodi quæstioni jam responsum fuit in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 135-137. Hic unum duntaxat addere sufficiat, quod peccator publicus, cui deneganda est communio, dicitur non is præcise cujus peccatum est aut fuit publicum, sed alio duplici sensu : 1. is cujus status peccaminosus est publicus, id est, de quo moraliter notorium est quod sit in statu peccati, puta quia pergit in crimine, vel nulla apparet aut præsumitur pœnitentia. 2. Is, qui, licet legitime confessus et justificatus, nondum tamen sic vitam emendavit ut, scandalum publicum ex enormitate et infamia secutum reparaverit : hi sunt qui referuntur in Ritualibus, excommunicati, interdicti manifesti, infames ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sacrilegi, blasphemi et alii ejus generis peccatores. Propter alia igitur peccata communia, etsi publica, non est deneganda communio, saltem inconsulto Episcopo, quia per confessionem, imo et ipsam communionem repa-

ratur scandalum ex his peccatis communibus natum; atque hæc est praxis communis.

Resp. ad 2. Nihil *per se* obstat. Docet quidem Benedict XIV *eam consuetudinem sequendam esse, quæ in unoquoque loco respective obtinere dignoscitur;* de Syn., lib. 7, c. 11. Sed *magis conformem pietati christianæ* vocat usum hoc Sacramentum ministrandi capite damnatis; atque censet Episcoporum partes esse, hanc disciplinam in suis diœcesibus invehendam curare. S. Pius V, ad suum in Hispaniis Nuntium, in hac re sic habet: « id (Sacramentum Eucharistiæ) *minime esse denegandum* censemus; cum *christianæ charitati magis conveniat, eos ad resistendum tali tempore fortius* diabolicis tentationibus *sacra communione muniri*, ut perituro corpore, saluti animæ, quantum fieri potest, subveniatur. »

ARTICULUS II

De dispositionibus ad perceptionem Eucharistiæ requisitis.

Dispositiones aliæ sunt ex parte corporis, aliæ ex parte animæ.

§ I

De dispositionibus ex parte corporis.

Duplex dispositio requiritur ex parte corporis, scilicet, 1° jejunium, 2° decentia.

NUMERUS PRIMUS

De Jejunio ad Communionem requisito.

113. — *Quæritur* 1° quid sit jejunium *naturale?*

Resp. Jejunium naturale est *abstinentia ab eo omni, quod sumitur per modum cibi aut potus, in quantumvis minima quantitate, post mediam noctem.*

Dicitur 1°: *abstinentia ab eo omni, quod sumitur per modum cibi aut potus.* Ad hoc requiritur, ut quid ab extrinseco intromittatur per os in stomachum, sitque ab eo alterabile aut digestibile, etiamsi forte non nutriat. Sic enim in communi hominum sensu, intelligitur aliquod sumi per

modum cibi aut potus, non vero quod sumitur per m... respirationis aut salivæ.

Itaque 1. humor ex capite vel ex gencivis sponte f... reliqua vini et aquæ quibus os abluitur, vel particul... ex præterita cœna dentibus inhærentes, fumus, p... culex, floccus nivis aut guttæ pluviæ quæ indelibera... per modum respirationis aut salivæ degluliuntur, non ... vunt jejunium. Idem dicendum est de tabaco per ... attracto, vel masticato, vel in fumum dissoluto; ista e... si forte *præter intentionem* et in parva quantitate stomac... subeant, se habent per modum salivæ aut pituitæ.

2. Si quid gustes vel sumas in ore, sed nihil deglut... jejunus eris.

3. Aurum, argentum, stannum, etc., non frang... jejunium naturale; secus dicendum de charta, ter... carbonibus, etc.; hæc enim sunt digestibilia; S. Lig... n. 277.

Dicitur 2° : *in quantumvis minima quantitate*, quia je... nium naturale consistit in indivisibili; non enim magis ... jejunus naturaliter, qui parum, quam qui multum m... ducavit : unde non admittit levitatem materiæ.

Dicitur 3° : *post mediam noctem ;* quia in Ecclesia Roma... initium diei naturalis sumitur a media nocte, sicque ... jejunium a media nocte est æstimandum et ita commu... usu æstimatur. Qui vero *dubitat* an aliquid sumpserit p... mediam noctem, probabilius non cadit sub lege jejunii, ... manet in possessione suæ libertatis; a fortiori si nullam habeat rationem probabilem quod comederit. Tempus autem mediæ noctis, non moraliter, sed physice recipiendum est; ita S. Ligor., n. 282.

Ad hoc determinandum, anteponi *potest* vel tempus verum, vel tempus medium, ex decis. S. Pœnitentiariæ 29 nov. 1882; sed hoc, vel illud tempus signantia horologia *publica* potiusquam privata sequi debent sacerdotes et fideles, ex decis. S. Pœnitentiariæ, 18 jun. 1873, et S. Congr. Rit., 7 aug, 1875. Vide Tract. *de Præceptis Eccles.*, n. 26. Cæterum, ad primum horæ ictum media nox jam expleta est, ut communiter sentiunt doctores.

114. — *Quæritur* 2° an jejunium naturale requiratur ad sacram communionem?

Resp. Jejunium naturale, ex lege *ecclesiasticâ*, ad sacram communionem sub gravi requiritur, nisi in quibusdam casibus exceptis.

Constat antiqua et universali consuetudine, quam sic refert S. August., *Epist.* 118 : « Placuit Spiritui Sancto *per Apostolos*, ut, in honorem tanti Sacramenti, *in os christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi*, et ideo *per universum orbem mos iste servatur.* » Hæc consuetudo fuit confirmata in pluribus Conciliis œcumenicis, atque constanter et ubique custodita.

Talis praxis maxime convenit, tum propter reverentiam hujus Sacramenti, et ut fideles assuescant discernere inter hunc sacrum cibum, et alios communes; tum propter spiritualem significationem, ut indicetur fidelibus, quod Christus et erga Christum charitas debet esse primus ac primarius eorum cibus; tum ad vitanda pericula vomitus, vel alterius irreverentiæ, et ut mens sit liberior et expeditior ad res spirituales et divinas tractandas.

Christus tamen hoc Sacramentum dedit Discipulis post ultimam cœnam, cum jam suæ passioni et morti esset vicinus, ut vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, arctiusque infigeret cordibus et memoriæ discipulorum, ex dictis n. 63. S. Th. 3 p., q. 73, a. 5, 80, a. 8.

115. — *Quæritur* 3° in quibusnam casibus liceat *non jejuno* communicare?

Resp. Quatuor sunt præcipui casus, in quibus hoc licet, nempe quando adest necessitas perficiendi sacrificium, vitandi scandalum, aut irreverentiam, infirmitas ad mortem.

Et quidem 1° *necessitas perficiendi sacrificium*. Integritas enim sacrificii est de jure divino : unde si Sacerdos hostiam corruptam sumpserit, vel loco vini consecrandi, aquam hauserit, tunc debet aut panem solum, aut vinum cum aqua solum, aut panem et vinum cum aqua offerre, consecrare et sumere, ut dictum est n. 64, 70.

Item, si alter Sacerdos, post consecration...

tantum ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato, graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, missa ab illo loco ubi ille desiit, expleatur per alium sacerdotem etiam non jejuno, si non adsit jejunus[1].

Sed etiam si sacerdos, *post* consecrationem inceptam recordetur se aliquid comedisse vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium et sumere Sacramentum.

2° *Necessitas vitandi scandalum.* Scilicet, si Sacerdos se aliquid manducasse vel bibisse recordetur *ante* consecrationem, sed jam missa incepta, potest missam prosequi, si timeatur scandalum, posito quod missam inceptam desereret. Ita S. Th. 3 p., q. 83, a. 6 : porro fere in omni casu timendum est scandalum ex cessatione missæ inceptæ orturum, ut ait La Luzerne, *Instruct. sur le Ritel de Langres* c. 6, a. 5 ; ergo ordinarie in præfato casu Sacerdos potest missam inceptam prosequi, ut concludit Gousset, *Morale*, t. 2, n. 195.

Eadem ratione Parochus non jejunus, deficiente alio Sacerdote jejuno, potest nihilominus celebrare in die majoris solemnitatis, v. g., in festo Paschæ, omnium Sanctorum, Patroni, primæ communionis, juxta Collet, La Luzerne, Gousset, *ibid*. n. 196.

In die autem Dominica aut simplici festo de præcepto, obligatio pro fidelibus audiendi Missam per se non sufficeret, ut Parochus aut Vicarius non jejunus secundam missam licite celebraret, sed ad hoc requiruntur specialia incommoda ex non celebratione consecutura, quæ an sint sufficientia vel non, pro variis casibus particularibus, solus Sacerdos in his circumstantiis positus, recte æstimare potest. Ita Gousset, *ibid*. n. 198.

1. In hoc casu, si non obierit sacerdos, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia hostia consecrata, sacerdos qui missam supplet, dividat hostiam, et unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma corporis obiit sacerdos, non est necesse ut missa per alium suppleatur. Si vero obierit semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequatur missam, et super eamdem calicem repetat integram formam a verbis, *simili modo*, etc., vel posset super alium calicem præparatum integram formam proferre, et hostiam primi sacerdotis, et sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semiconsecratum. Ita Rubr. Missalis.

3° *Necessitas vitandi irreverentiam*, v. g., si periculum sit ne hostia sacra in cujuspiam impii potestatem deveniat, vel ne comburatur; tunc enim et a laico contingi, et ab eo non jejuno, si desit Sacerdos, aut qui jejunus sit laicus, sumi potest. Ratio est quia jejunii lex nonnisi in reverentiam Eucharistiæ constituta est, ac proinde non obligat quando ipsa Eucharistiæ debita reverentia id postulat.

Si Sacerdos post ultimam ablutionem *adhuc existens in altari*, reperiat vel *in corporali*, vel *in patena, reliquias aliquas* relictas et *a se eadem Missa consecratas, debet eas sumere* quia pertinent ad idem sacrificium, quod jejunus inchoavit; secus, si ab alio, vel a seipso in alia Missa essent consecratæ, quia tunc non pertinent ad idem sacrificium. Similiter, si jam recessisset ab altari, et vestimenta exuisset, quia tunc jam est completa actio Sacrificii. Suppono in his ultimis casibus, non esse periculum irreverentiæ, si serventur particulæ; alioquin Sacerdos debet eas sumere. Similiter, si palato, vel calici adhæreat particula hostiæ, potest aquam vel vinum sumere, ut eam deglutiat, quod etiam licitum est infirmis: in his enim casibus violatio jejunii non censetur moraliter præcedere communionem.

4° *Infirmitas ad mortem*, per quam intelligitur periculum mortis, sive *naturalis*, sive *violentæ*. Si periculum non instaret, deberet differri communio in diem sequentem, ut infirmus jejunus Viaticum sumeret. Hinc Pastor non esset a peccato immunis, si, cum mane ad infirmum adhuc jejunum Viaticum deferre commodo posset, differret ad vesperum, cum ille jam non esset jejunus; attamen hoc ipso quod morbus sit periculosus, non est scrupulose differenda communio, nec cogendus Pastor ut post mediam noctem afferrat Viaticum.

116. — *Quæritur* 4° an liceat communionem *iterum ministrare infirmo non jejuno, qui jam Viatico munitus est?*

Resp. affirm. Hoc enim sacramentum ægrotis non datur præcise ad satisfaciendum præcepto, sed in præsidium contra tentationes, quæ tempore mortis magis urgent. Et hoc non solum si novum recurrat periculum, sed etiam si

idem perduret. Ita communiter cum S. Ligor., n. 285, et Benedict. XIV, *de Syn.*, lib. 7, c. 12.

117. — *Quæritur 5° quanto tempore* distare debeat una *communio ab alia,* si ægrotus non jejunus communicet?

Resp. Communior sententia censet distare debere octo diebus circiter. Sed non improbabiliter plures dicunt quod infirmus, assuetus sæpius ex devotione communicare, bene possit altero die statim post Viaticum sumptum suscipere communionem non jejunus, idque in singulis diebus admittunt, nec hoc improbat S. Ligor., lib. 4, n. 285. Facilius concedi potest communio infirmis religiosis, vel aliis personis piis in monasterio degentibus sive sint jejunæ, sive non, quam cæteris, quia tunc minor habetur apparatus, populique admiratio, cum Eucharistia non sit publice per plateas deferenda.

118. — *Quæritur 6° an liceat aliquando* dare communionem *infirmo non jejuno, nec periculose decumbenti, si morbus sit diuturnus?*

Resp. negative, ex praxi actuali Ecclesiæ et communissima Theologorum sententia. Imo juxta Suarez, Lugo, solus Papa hac in lege dispensare potest. In tali casu, videtur esse ratio sufficiens, ut Eucharistia post mediam noctem infirmo administretur pluries in anno, vel saltem ad præceptum paschale adimplendum.

Tandem ex decentia, aliqua mora servari debet inter sumptionem hujus Sacramenti et alios cibos, saltem quandiu species consecratæ in stomacho incorruptæ perseverant, nisi adsit rationabilis causa aliquid statim sumendi; secus talis comestio a veniali culpa non excusaretur. Ita S. Ligor., n. 289, et alii communiter.

Similiter omnes conveniunt congruum esse, ut communicantes, per aliquod temporis intervallum, abstineant ab exspuendo; et hoc omnino requiritur, si aliquod hostiæ fragmentum in ore remanserit.

NUMERUS II

De corporis decentia ad Communionem requisita.

119. — *Quæritur* quænam requirantur ad sacram communionem corporis *decentia*, et mundities?

Resp. 1° De jure naturali requiritur exterior habitus et corporis compositio, quæ animi internam reverentiam et pietatem exhibeat. Cum enim ipse Christus sensibili quodam modo existat in hoc Sacramento, debetur huic augustissimo sacramento non solum interna, sed etiam externa veneratio et adoratio.

Unde mulieres accedere debent ad sacram communionem in ornatu sancto, modestiam redolente, et pectore cooperto. Si quæ valde indecentes se præsentarent, communio eis neganda esset, cum debitis tamen cautionibus ad scandala, quantum fieri potest, præcavenda.

Convenit ex decentia et humilitate christiana, ut milites communicaturi, ad sacram mensam, depositis armis, accedant, etsi nulla lege ad id obligentur. Item dicatur de laicis chirothecas (gants) deferentibus.

2° Nulla prorsus corporis macula per se impedit a communione suscipienda, quia corporis maculæ nihil conferunt ad bonitatem vel malitiam moralem, quam solam per se requirit Eucharistia, quatenus est animæ cibus.

Unde lepra, fluxus sanguinis, et similia, quæ sine patientis culpa eveniunt, per se non prohibent a communione, cum non obstent devotioni ad communionem requisitæ. Idem verum est de maculis corporis occultis, vel etiam visibilibus, sed indebilibus. Si vero essent notabiles, et brevi cessare deberent, differenda esset communio, cum commode fieri potest; secus, quando diutius durant. Tandem, si sordes sint visibiles, et facile possint auferri, decentia et reverentia tanto sacramento debita exigit, ut diligenter auferantur.

§ II

De dispositionibus requisitis ex parte animæ.

Duplex est ex parte animæ dispositio, remota et proxima. Unde

120. — *Quæritur* 1° in quonam consistat dispositio remota ex parte animæ in sumptione SS. Eucharistiæ?

Resp. Ad dispositionem remotam, requiritur status gratiæ prudenter existimatus, et etiam prævia confessio et absolutio sacramentalis, quando suscipiens alicujus peccati mortalis sibi conscius est, etsi aliunde esset contritus contritione perfecta.

Et quidem 1. *status gratiæ prudenter existimatus*. Cum enim Eucharistia sit sacramentum vivorum, supponit in recipiente *statum gratiæ prudenter existimatum;* unde, qui cum conscientia peccati mortalis illud recipit, grave sacrilegium committit, juxta illud : *Qui manducat... indigne.... judicium*, id est condemnationem, *sibi manducat...*, *non dijudicans corpus Domini...*; fit *reus... corporis et sanguinis Domini*, quasi denuo eum crucifigeret; I Cor. 11, ℣ 27, 29. Attamen ex his verbis concludi non potest, indignam communionem esse inter omnia peccata, vel inter omnia sacrilegia maximum; contrarium enim constat, ut videre est apud S. Th., 3 p., q. 80, a 5; Suarez, disp. 66, sect. 2.

2. Requiritur etiam *prævia confessio et absolutio sacramentalis,* quando suscipiens alicujus peccati mortalis sibi conscius est, etsi aliunde sit contritus contritione perfecta. Constat ex his S. Pauli verbis : « *Probet* autem *seipsum homo*, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; » I Cor., 11, ℣ 28. Nam, juxta Conc. Trid., n. 7, 19. « Ecclesiastica consuetudo declarat, eam *probationem* necessariam esse, ut nullus *sibi conscius mortalis peccati*, quantumvis sibi *contritus videatur*, absque *præmissa sacramentali confessione* ad sacram Eucharistiam accedere debeat : quod *a Christianis omnibus*, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus *ex officio incubuerit celebrare,* hæc sancta Synodus *perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris*. Quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, *quamprimum confiteatur*. »

Idem Concilium, n. 19, ipso facto excommunicatum declarat eum, qui doceret in præfato casu non necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem.

An vero illud universale et antiquum præceptum sit juris

divini, vel tantum ecclesiastici, controvertitur; communis tamen sententia docet hoc præceptum esse divinum. Vide Suarez, *de Euchar.* disput. 66, sect. 3; S. Ligor., n. 256.

121. — Hinc 1°, ex Conc. Trid., licitum est communicare cum sola contritione, absque præmissa confessione sacramentali, quando hæc duo simul occurrunt, *defectus* Confessarii, et *necessitas* communicandi. Porro,

Quantum ad *copiam Confessarii*, censetur deesse, 1. quando non adest præsens Confessarius, et ita distat, ut non possit adiri sine gravi incommodo. 2. Quando adest Confessarius, sed non approbatus, vel approbatus, sed non vult audire. 3. Quando ex confessione alicujus peccati facienda imminet grave damnum, puta fractio sigilli, graves inimicitiæ, et quidquid excusat ab integritate materiali confessionis : quo in casu communicaturus, si solum hoc peccatum mortale habeat, non tenetur confiteri, si alia mortalia habeat, hæc confiteri debet, omisso illo ex quo timet damnum, illud alteri postea confessurus.

Quantum autem ad *necessitatem celebrandi* et communicandi, 1. censetur adesse necessitas celebrandi, si alioquin vel ipse Sacerdos, vel alter esset moriturus sine Viatico. 2. Quando Parochus debet die festo celebrare, nec potest habere alium qui ejus vices suppleat; idem dic de vices ejus gerente. 3. Est necessitas, quando celebratio vel communi omitti sine scandalo aut gravi nota non potest, v. g., si Sacerdos altare ascenderit, aut pœnitens jam sacræ mensæ assideat, et ibi recordetur peccati mortalis non declarati; aut si debeat hodie celebrare pro defuncto præsenti, etc. Imo, etsi Sacerdos aut pœnitens, qui recordatur peccati mortalis ex inculpabili oblivione non declarati in confessione, possit sine nimio incommodo confiteri, vel communionem omittere, vel Missam inceptam deserere ante consecrationem, probabilius tamen non tenetur confiteri, nec a communione abstinere, nec Missam inceptam deserere. Nam pœnitens aut Sacerdos, cum jam fuerit rite confessus et justificatus per sacramentum Pœnitentiæ, est sufficienter probatus, etiam juxta mentem Conc. Trid. Ita

S. Ligor., 257, Collet, Pontas, Gousset, n. 249, contra alios quorum sententia videtur minus probabilis.

In omni casu, sacerdos conscius peccati mortalis, qui non potest confiteri atque simul tenetur missam celebrare, debet actum contritionis perfectæ elicere cum proposito confitendi et satisfaciendi.

122. — Hinc 2°, ex Conc. Trid., tenetur *quam primum confiteri Sacerdos*, qui conscius peccati mortalis tamen, urgente necessitate, absque prævia confessione, ob defectum Confessarii celebravit.

His enim verbis non continetur merum consilium, ut patet ex hac propositione damnata ab Alexandro VII : *Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali*, confitendi quamprimum, *est consilium non præceptum*.

Istud autem *quamprimum*, non intelligitur, *quando suo tempore confitebitur*, ut patet ex condemnatione hujus propositionis ab Alexandro VII : *Illa particula*, quamprimum, *intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur;* neque etiam intelligi debet stricte ac physice, quasi immediate post Missam teneatur confiteri; nulla enim actio moralis sic præcipitur, nisi forte id in præcepto exprimatur; sed intelligi debet moraliter, id est, post unam vel alteram diem, seu potius prima data opportunitate.

Juxta communissimam sententiam, illud Concilii Trid. præceptum *quamprimum confitendi*, non obligat etiam laicos. Ita Suarez, disput. 66, sect. 7, Lugo, Layman, Vasquez, Elbel, S. Ligor., n. 268, contra plures.

Namque 1. Conc. Trid. nominat tantum Sacerdotes celebrantes, et ideo de his proprie ac præcise intelligendum est illud præceptum. 2. Revera, ad celebrandum, major quædam reverentia ac præparatio requiritur; aliunde, cum celebrandi necessitas frequentius occurrat Sacerdotibus, merito illa obligatione præveniuntur, ne facilius assuescant confessionem prætermittere. Unde, juxta Suarez, illa lege non obligatur Sacerdos, qui more laicorum communicat, tum quia ille tunc se gerit ut laicus, tum quia ille tunc non celebrat.

Tandem controvertiur an teneatur *quamprimum* confiteri Sacerdos, qui recordatur peccati inculpabiliter obliti in præcedenti confessione. Negant communiter Theologi, si Sacerdos meminerit peccati post celebrationem, quia non celebravit conscius illius peccati. Idem probabilius dicendum est, si meminerit peccati ante celebrationem, ex dictis, n. 121 in fine.

123. — *Quæritur* 2° quid requiratur ad *proximam* dispositionem in Eucharistiæ sumptione?

Resp. Proxima hujusmodi dispositio requirit 1° *fidem vivam*, ut Eucharisticus cibus a profano distinguatur; 2° *reverentiam* singularem erga divinam Majestatem in hoc Sacramento præsentem; 3° *humilitatem* profundam, ut quisque suam indignitatem agnoscat, atque in illo uno tota securitas nostra collocetur; 4° *spem* firmam atque ferventem *charitatem*, ut illius cibi desiderium acuatur.

ARTICULUS III

De frequenti usu Communionis.

124. — Inquirendum habemus 1° quotuplex distingui possit communio ratione usus plus minusve frequentis; 2° an, generatim, consuli debeat frequens usus communionis; 3° quænam sint conditiones ad usum plus minusve frequentem communionis; 4° quænam sit regula generalis circa hanc frequentiam; 5° ad quem pertineat permittere communionem plus minusve frequentem. Itaque.

125. — *Quæritur* 1° *quotuplex distingui possit communio ratione usus plus minusve frequentis?*

Resp. Distingui potest communio *quotidiana*, *frequens* seu *pluries* in hebdomada, minus frequens seu *hebdomadaria*, non frequens seu *menstrua*, vel ad *quindecim dies*.

Equidem, juxta plures, communio octidua reputatur frequens simpliciter. Attamen communio vere et simpliciter *frequens*, potius dicenda est ea solum quæ, præter dies dominicos vel festos, fit diebus ferialibus, etiam sine prævia confessione, et ideo *pluries* in hebdomada. Ita S. Ligor.,

Praxis Confessarii, n. 149, 150, Scavini, et alii communiter.

Et revera, ex dicendis, omnes fere auctores ad communionem simpliciter frequentem requirunt conditiones quas non exigunt ad communionem octiduam ; ergo apud illos hæc ut proprie frequens non habetur.

126. — *Quæritur 2° an generatim consuli debeat frequens et etiam quotidiana communio?*

Resp. affirm. Constat 1. *ex praxi primævæ Ecclesiæ*, in qua fideles consueverant quotidie Eucharisticum panem degustare. Utrum vero ad quotidianam communionem ex præcepto Ecclesiæ tunc adigerentur fideles, ut opinatur Vasquez, vel an potius ex mera devotione et charitatis ardore quotidianus ejusdem usus fuerit a fidelibus receptus, ut existimant Suarez et alii, dubium est, ait Benedict. XIV, *de Synod.* l. 7, c. 12.

2. *Ex communi doctrina Patrum*, qui frequentem communionis usum semper approbarunt, atque enixe fidelibus commendarunt : « Si *quotiescunque* effunditur sanguis Christi, qui in remissionem peccatorum effunditur, *debeo semper accipere* : qui *semper pecco*, debeo *semper habere medicinam* ; » S. Ambros., *de Sacram.* l. 4, c. 6. — « *Iste panis quotidianus est; accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit;* » S. August., *de verbis Domini*, Serm. 28. — « Tanta igitur *charitate* atque *honore* affecti, inquit S. Chrysost., *non torpeamus.* Non videtis *quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt; qua pressione papillis infigunt labia?* Non minore cupidate nos quoque ad hanc mensam et ad hujus calicis spiritualem accedamus papillam : imo vero *majori desiderio quasi lactentes pueri gratiam spiritus sugamus : unus* sit nobis *dolor, una mæstitia, si hoc alimento spirituali privamur.* » Homil. 83 in Matth.

3. *Ex Conc. Trid.*, quod « optaret ut in *singulis Missis* fideles *adstantes*, non solum spirituali affectu, sed *sacramentali etiam Eucharistitiæ perceptione communicarent; quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret;* » infra, n. 163; idem declarat supra, n. 8. Unde

Innoc. XI imponit Episcopis « ut diligentissime caveant *ne alicui communio denegetur, etiam quotidiana,* et quærant, ut par est, in suis subditis *hanc alere devotionem;* » in decreto an. 1679.

4. *Ex natura hujus Sacramenti.* Nam hoc Sacramentum traditur per modum cibi spiritualis, ut in anima operetur quod cibus materialis in corpore : atqui cibus materialis quotidie sumitur; similiter manna quotidie dabatur populo in deserto; ergo et hoc Sacramentum quotidie sumi convenit; propterea dicitur ab ipso Christo *panis quotidianus;* Luc. 11, ℣ 3.

Et revera, perspicuum est non minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus indigere : porro effectus hujus Sacramenti est vitam spiritualem seu charitatem sustentare, augere, reparare, animam delectare, dando augmentum charitatis habitualis, excitando ad charitatis fervorem, et ideo liberando a culpis quotidianis, quibus fervor in charitate et animæ vires quotidie deprimuntur, n. 85 et seq.; ergo convenit hoc Sacramentum frequenter imo et quotidie sumi, ut quotidie vita supernaturalis nutriatur, reparetur, perficiatur, sicque ab infirmitate quotidiana et liberetur et præservetur.

Hinc Parochi parati erunt fideles crebro adhortari ad usum communionis frequentem, imo et quotidianum; ita Catech. Rom., n. 63, Innoc. XI, S. Carolus Borr., S. Ligor., n. 151.

Præterea, ut notant SS. PP., 1. *sola dilatio per se* non confert ad meliorem dispositionem; et regulariter contingit ut qui tarde accedunt, minus dispositi sint, quam qui frequenter. 2. Communicare per se bonum est; abstinere autem bonum est tantum per accidens, scilicet, vel ex defectu dispositionis, vel ut quis ad reverentiam excitetur. 3. Frequenter accedere est per se ex propensione charitatis, differre autem, ex negligentia, vel timore : atqui, per se loquendo, melius est ex charitate operari, quam ex timore. 4. Voluntas communicandi digne ex se non est minus bona et meritoria, quam affectus abstinendi etiam ex reverentia; ergo illa voluntas cum ipsa receptione

fructus sacramentalis ex opere operato, est quid eligibilius. Ergo iterum simpliciter et generatim loquendo, favendum est potius frequentiæ quam dilationi.

127. — *Quæritur 3° quænam requirantur conditiones ad usum communionis plus minusve frequentem?*

Resp. Circa hujusmodi satis difficilem, et in diverso sensu sæpe sæpius intellectam atque solutam quæstionem quædam observanda præmittere necesse est. 1. Duplex est, ut vidimus n. 85, 86, communionis effectus ex opere operato, atque duplex correspondens impedimentum; scilicet, *augmentum gratiæ habitualis* per modum spiritualis alimoniæ, cui opponitur *commissio peccati mortalis*, et ad hoc *affectus; gratia actualis* ad animi *devotionem* et charitatis *fervorem excitans*, cui opponitur *commissio venialis peccati*, vel ad hoc *affectus*.

2. Magnum discrimen adest inter *commissionem venialium* et *affectum* ad illa. Nam sanctiores ipsi plura venialia committunt, sed ex fragilitate, non autem ex voluntate deliberata, ita ut et commissa plangant, et ab iis præcavere desiderent atque conentur. Qui vero servant affectum ad illa, deliberate illa committunt, post commissionem de iis non dolent, nec satisfactoriis operibus eluunt; et ideo ab iis non præcavent nec abstinere conantur, sed ita sunt dispositi, ut velint saltem implicite iterum illa, data occasione, perpetrare. His positis statuitur

128. — 1° *Menstrua communio nemini sat disposito deneganda, imo omnibus maxime consulenda est, etiam fidelibus negotiis secularibus implicatis.*

Ita communiter. Et revera, ex una parte, illi de quibus agitur, de peccatis mortalibus quæ plus minusve frequenter committunt, ita sufficienter dolent, ut sint capaces recipiendi augmentum gratiæ habitualis; ex alia vero, se diutius hoc vitæ supernaturalis alimento priventur, valde difficile est eos posse diu in divina gratia perseverare, aut ab habitu peccati mortalis præcavere vel immunes fieri, ob

innumeras occasiones, et rerum æternarum in mente quasi obliterationem propter seculi sollicitudines.

129. — 2° *Hebdomadaria* communio *permittenda est iis qui graves culpas* ex habitu *non committunt*, communionis *desiderium habent*, etsi *pluribus vitiis levibus laborent nec sint de emendatione solliciti*. Attamen *utile est iis communionem aliqua hebdomada interdicere*, ut majorem concipiant horrorem in suos defectus, et majorem erga Sacramentum hoc reverentiam.

Ita S. Ligor., *Praxis confess.*, n. 148, S. Antoninus, Scavini. Juxta Scaramelli « hodie, ex communi Asceticorum sensu et Ecclesiæ praxi, communio *octidua illis omnibus est concedenda*, *quibus absolutio conceditur*, nisi forte ex peculiari aliqua causa aliud Confessori videatur. »

Et vero, illi, de quibus agitur, ex una parte, vitam Christianam agunt, atque sufficienter sunt dispositi, ut saltem ex magna parte fructus Sacramenti percipiant : ex altera autem, non adeo frequens est illa communio octidua, præsertim si interdum aliqua hebdomada iis interdicatur, ut pariat hanc familiaritatem contemptui proximam, qua pro illis elidatur hoc præcipuum charitatis incitamentum.

Equidem S. Francisc. Salesius dicit : « Pour communier tous les *huit jours*, *il est requis* de n'avoir ni péché mortel, *ni aucune affection au péché véniel*; » *Vie dévote*, 2 p., c. 20. At ille S. Doctor hanc sententiam confirmat hoc textu, quem tribuit S. August. : « Omnibus Dominicis communicandum suadeo et hortor, *si tamen mens sine affectu peccandi sit*. » Porro 1. hæc ultima verba intelligenda sunt de affectu ad mortale, juxta plerosque auctores, inter quos S. Antoninus, S. Th., Scotus, Tournely, etc. Ille textus non est S. August., sed, juxta communem eruditorum sententiam, Gennadii, sacerdotis Massiliensis. Ergo corruit ratio qua S. Francisc. Salesius fretus est, sicque aliquatenus debilitatur circa hoc punctum sapientissimi Directoris auctoritas.

130. — 3° *Frequens* communio, seu *pluries* in hebdomada *permitti* potest iis qui, *licet debiles*, *ea quæ sunt boni Chris-*

tiani servant, Deum amare, colere et orare gestiunt; orationi mentali aliquod tempus libenter quotidie tribuunt, nonnisi aliquando in veniale *voluntarium ob meram fragilitatem* labuntur, sed *cito postea dolent, emendationemque proponunt* Ita Innoc. XI, Benedict. XIV, S. Ligor., n. 150, 153, S. Francisc. Salesius, Scavini, etc. « Præcipue monendi sunt confessarii, inquit Benedict. XIV, ne *frequenter* ad Eucharistiam accessum iis aut *suadeant* aut *permittant*, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda, suaque vita emendanda sunt solliciti, sicuti *nec illis*, qui etsi gravia evitent crimina, *voluntatem* tamen habent *venialibus inhærentem* : qua de re legendus est S. Francisc. Salesius, *Vie dévote*, 2 p., c. 20; » *de Synod.* l. 7, c. 12. — « Iis qui *actualia* habent peccata *venialia*, aut *affectum ad illa, sine desiderio emendationis*, æquum est *frequentem* communionem denegare; » S. Ligor., n. 149, 150. « Il s'agit ici des âmes *pures, humbles, dociles et recueillies, qui sentent leurs imperfections, et qui veulent s'en corriger* par la nourriture céleste. Pourquoi se scandalise-t-on de les voir communier *souvent?* » Fénelon, *Lettre sur la Comm.*, n. 13.

Et vero, 1. hoc Sacramentum institutum est ad nutriendam et reparandam charitatem per augmentum gratiæ habitualis, sed etiam ad charitatem augendam et perficiendam, excitando ad fervorem et animi devotionem : porro, si menstrua et octidua communio sunt ad charitatem nutriendam aut reparandam, *frequens saltem* erit ad hanc charitatem augendam et perficiendam, per fervorem scilicet.

2. Frequens amicitiæ communicatio certe amicitiæ fervorem aut supponit, aut facit; ac consequenter per se excludit tepiditatem, et ideo ad veniale affectum.

3. Tandem, qui tam frequenter Deum unione germanissima intra seipsum recipit, nec divinum et adeo familiarem amicum diligere, eique sese devovere gestit; sed e contra, propter affectum ad venialia, ita est habitualiter dispositus, ut ei velit displicere : ille profecto contristat hunc divinum hospitem, nec eum debita reverentia colit; imo propter segnitiem et languorem ex tali agendi ratione dimanantem, inclinatur ad sacrilegam communionem, aut

altem ad familiaritatem contemptui proximam tantopere n rebus religionis formidandam [1].

Attamen, per accidens, expedit aliquando frequentem concedere communionem *aliquibus*, etiam affectu ad veniale laborantibus, qui essent in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant ad resistendum. S. Ligor., n. 149.

131. — 4° *Quotidiana* communio concedenda est iis qui vivunt alienati *ab affectu cujuscunque culpæ venialis*, nec ideo amplius labuntur in peccata etiam *venialia plene voluntaria;* ac consequenter qui, *superata majori parte suarum pravarum inclinationum*, incumbunt *multum orationi mentali, ad perfectionem tendere conantur, et magnum habent communicandi desiderium.*

Ita S. Ligor., n. 150, 152, 155; S. Francisc. Salesius, qui insuper addit, loco citato: « La disposition pour une communion si fréquente devant être *si fort exquise;* etc. » Similiter, ex S. Th., requiritur ex parte quotidie sumentis hoc Sacramentum, ut *cum magna devotione et reverentia* accedat; 3. p., q. 83, a. 10. Sed etiam, juxta Suarez, « decet qui tali cibo utuntur, *insigni vitæ sanctitate et puritate esse conspicuos;* » disp. 46, sect. 7; quod saltem verum est de iis, qui tali cibo quotidie nutriuntur.

Et vero illarum conditionum ratio satis deducitur tum ex tanto amoris Christi experimento erga eum, qui adeo frequenter hoc amoris Sacramentum recipit; tum ex dispositionibus jam requisitis pro communione simpliciter frequenti.

Nec tamen exinde sequitur, quod hujusmodi communio sit pro perfectis tantum. Namque, ut ait S. Francisc. Salesius, « duplex personarum genus debet sæpius communi-

1. Il faut même renoncer à *l'affection volontaire pour les péchés véniels, qui retranchent peu à peu les véritables aliments de l'amour de Dieu au fond du cœur.* Comment peut-on nourrir en soi l'*amour de Dieu au-dessus de tout*, quand on veut demeurer *attaché de propos délibéré aux choses qui lui déplaisent, qui contristent son Saint-Esprit, et qui nous mettent en tentation continuelle d'aimer ce que Dieu veut que nous n'aimions pas?* Quand vous aurez fait ce sacrifice sincère à Dieu, vous mangerez en Ange le pain des Anges. Vous vivrez pour lui; vous aurez la consolation de le recevoir *fréquemment.* » Fénelon, *sur l'Eucharistie.*

care, perfecti scilicet et imperfecti : perfecti quidem, ut se in perfectione conservent; imperfecti etiam, ut ad perfectionem valeant pervenire; fortes, ne debiles fiant; debiles, ut fortes evadant; infirmi, ut carentur; bene valentes, ne infirmentur; » *ibid*, c. 21.

Attamen expedit ordinarie semel, et aliquando etiam pluries in hebdomada communionem subtrahere iis, qui ad quotidianum ejus usum admittuntur : quod facere solent prudentes aliqui Directores, inquit S. Ligor., n. 152.

132. — *Quæritur* 4° quænam sit *regula generalis circa frequentem communionem?*

Resp. Ex decreto Innoc. XI, frequens accessus ad Eucharistiam judicio Confessariorum relinquendus est. Ut autem Confessarii prudens judicium ferre valeant hac de re, nonnullas regulas ratione et Doctorum auctoritate probatas hic adnotare utile est. Neque enim una pro omnibus regula esse potest.

133. — 1° Confessarius ex *conscientiarum puritate et præsertim ex desiderio et frequentiæ fructu*, et *ad pietatem processu* regulam sumere debet *augendi* vel *minuendi usum communionis*. Ita Innoc. XI, S. Ligor., *Praxis Confess.* n. 155, *de Euchar.*, n. 354, et alii communiter.

Hinc, « si aliquis *experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare;* » S. Th., *in Sent.* Dist. 12, q. 3, a. 1. E contra, « si dignoscatur, non obstante *frequentia* communionis, *animam* nihil *proficere in via perfectionis, nec se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus*, v. g., si æque adhæret voluptatibus sensuum, in videndo, tunc certe consulto restringendus erit usus communionis, ut et sic serio cogitare incipiat de sua emendatione, et spirituali perfectioni consulere; » S. Ligor., n. 155.

134. — 2° Confessarius, si vult animas valde proficere usu communionis, debet, 1. « cum fideles ad Eucharistiæ frequentiam accenderit, statim de *magna* ad illud sumen-

tum Sacramentum *præparatione orationem habere,* » ut præscribit Innoc. XI; 2, aliis etiam mediis curare, *ut imparati non accedant;* 3, sed etiam ut post *in gratiarum actione immorentur tempore quo possunt*; S. Ligor. n. 155. « Una enim communio, facta tempore opportuno, cum majori fit fructu, quam plures sine *debita præparatione et gratiarum actione,* » inquit Suarez.

Et tamen « *paucissimi* sunt Directores, ait S. Ligor., qui sedulo id faciant; quia *paucissimi sunt Sacerdotes qui, post Missæ sacrificium, cum J. C. in gratiarum actione subsistant;* et ideo pudet eos aliis insinuare, quod ipsi non faciunt. *Gratiarum actio ordinarie per integram horam durare debet;* fiat *saltem per dimidiam,* in qua anima in *amando* et *petendo* se exerceat; » *Praxis Confess.* n. 155. — Tunc enim « Jesus est in anima tanquam *in throno misericordiæ,* ut illi gratias largiatur; non omittamus ergo hanc præclaram opportunitatem *negotiandi; non solet divina majestas male rependere hospitium, si bene in anima excipiatur.* » Ita S. Theresia. « Ayant reçu le Sauveur du monde, vrai Fils de Dieu... faites-lui *tout l'accueil qu'il vous sera possible,* et *comportez-vous en sorte que l'on connaisse en toutes vos actions que Dieu est avec vous.* » S. Francisc. Sales., *Vie dévote,* 2e p., c. 21.

Expedit aliquando privare pœnitentes communione, ad probandam eorum obedientiam aut humilitatem, et præsertim si inde turbentur, quod argumentum esset superbiæ. Ita S. Ligor., *ibid.*, n. 152, Scavini et plurimorum praxis.

155. — 3° Tandem hanc quæstionem sic concludit Scavini cum Clericato a Benedict. XIV valde laudato : *Nullus* est cui *menstrua* communio *consuli* non possit; *pauci* quibus communio *hebdomadaria* sit *prohibenda, paucissimi* quibus *quotidiana* sit *concedenda.*

Idem affirmat Suarez, disp. 69, sect. 4, S. Ligor., n. 152, dicit Directorem non posse sine scrupulo negare communionem frequentem et etiam quotidianam, *quibusdam* animabus : et addit quod perfectio ad hoc requisita, *non est impossibilis* in hac vita; ergo supponit hujusmodi perfectionem esse saltem difficilem, et in quibusdam tantum inve-

niri. Ipse S. Francisc. Salesius circa *quotidianam* communionem sic habet : « La disposition requise pour une si fréquente communion devant être *si fort exquise*, il n'est pas bon de la conseiller généralement. Et parce que cette disposition-là, quoique exquise, se peut trouver en plusieurs bonnes âmes, il n'est pas bon non plus d'en divertir et d'en dissuader généralement un chacun... Ce serait imprudence de conseiller indistinctement à tous cet usage si fréquent ; mais ce serait aussi imprudence de blâmer aucun pour icelui, et surtout quand il suivrait l'avis de quelque digne directeur. » *Vie dévote*, 2 p., c. 20.

Nec obstat quod Sacerdotes quotidie communicent, quamvis non sint ita ferventiores. Namque 1. in hoc certe non excusantur, ut ait Scavini; sed gravius inde judicabuntur, qui tepiditate laborant et segnitie jacent, dum inter cæteros, sicut et dignitate atque communionis frequentia præcellunt, ita et sanctitate atque fructu eminere deberent. Sed insuper 2. ratio communicandi specialiter urget Sacerdotes; siquidem maxime Ecclesiæ interest quod, celebrando quotidie ac consequenter communicando, officio mediatoris inter Deum et homines perfungantur.

Cæterum, generatim loquendo, continentibus convenire potest frequentius communicare, quam conjugatis; et religiosis atque clericis præsertim, quam laicis, ut observat Suarez, disp. 69, sect. 4.

136. — *Quæritur* 5° ad quem pertineat permittere tali vel tali personæ communionem plus minusve frequentem?

Resp. Distinguendum est, scilicet, vel agitur de laico vel de religioso. Si prius, nemo accedere debet ad communionem, nisi ex Confessarii consilio, tum quia Sacerdotes sunt dispensatores mysteriorum Dei, tum quia solus Confessarius internas dispositiones et actus sufficienter cognoscit, ut hujusmodi licentiam prudenter dare queat. Et hoc clare supponitur in decreto Innoc. XI, n. 132, 133. Excipe tamen casum in quo. per accidens, adesset specialis communicandi ratio, nec pœnitens aliunde sufficienter dispositus, facile adire posset Confessarium.

Si posterius, id est, si agatur de religioso, sive vir sit, sive femina, quæstio, ut recte solvatur, multiplici distinctione indiget.

1. Usus communionis pro religiosa communitate ordinarie instituto Ordinis determinatur, ut vitetur singularitas et diversitas, quæ haud raro inter ejusdem Ordinis sodales fit occasio zelotypiæ, querelarum atque dissensionum; et ideo Confessarius instituto Ordinis ab auctoritate competenti approbato, regulariter stare debet. « Moniales *quotidie* sacram communionem petentes, admonendæ erunt, ut in *diebus ex earum ordinis instituto præstitutis* communicent. » Ita Innoc. XI, in eodem celebri decreto diei 12 febr. 1679, quod refertur in *Analectis*, 1864, col. 831.

2. Si tamen, ex manifestatione conscientiæ pœnitentis, Confessarius judicet opportunum privare talem vel talem pœnitentem aliqua communione instituto Ordinis permissa aut præscripta, potest sane talem privationem imponere. In hujusmodi enim casibus particularibus, decisio pertinet ad eum, qui, confessionis ope, cognoscit speciales circumstantias, quarum ratione specialis requiritur agendi ratio in tali vel tali casu determinato.

Cæterum, confessarius privationem alicujus communionis imponere nequit nisi raro et ob veram utilitatem, non autem ob leviusculas quasdam culpas, sive veras sive phantasticas, ulciscendas, ut aliquando evenit. « Regulariter, ait Card. de Lugo, non expedit talem pœnitentiam imponere, licet *in casu rarissimo* negandum non sit, quod possit utiliter imponi. » *De Pœnit.*, disput. 25, n. 64[1].

Insuper, si religiosa quædam ab *ultima* sua confessione sacramentali transgressionem *alicujus gravitatis*, *publicam* et *cum sororum scandalo* commiserit, in hoc casu, et quidem

1. « On ne peut pas calculer l'effet d'une communion de moins dans la vie d'un chrétien. » Lacordaire. — « L'influence de la réception d'un seul sacrement peut se faire sentir pendant des générations, et les destinées de milliers d'hommes peuvent en dépendre... Dans un endroit de la terre, en ce moment peut-être, une communion donne la vocation a un jeune apôtre, qui, dans quelques années, ira porter l'Evangile aux tribus populeuses des montagnes de l'Asie... Des multitudes dans les cieux seront redevables de leur éternel bonheur à cette seule communion. » P. Faber, *Le Précieux sang*, c. 3.

solo, potest superiorissa prohibere, quin illa religiosa ad sacram communionem accedat, *donec in sacramentali confessione suam conscientiam denuo aperuerit*. Ita S. Congr. Regul. decisione a S. Pontifice approbata, 27 jun. 1876. *Revue des sciences eccl.*, juin, oct. 1879.

3. In præfato decreto Innoc. XI, hæc adduntur : « Si quæ (Moniales) vera puritate eniteant, et fervore Spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori aut quotidiana S. Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. » Porro, per vocem *superioribus*, S. Pontifex intellexit in primis ac præcipue confessarium, uti declaravit S. Congr. Regul. 17 apr. 1724. Imo hodierna ejusdem Congr. jurisprudentia hæc est ; « Ad frequentiores communiones peragendas sorores sese dirigere debent judicio prudentis confessarii. » Vide *Analecta*, 1864, col. 638.

Revera, solus ille talem licentiam dare potest, qui, ex aperitione conscientiæ, plane cognoscit puritatem mentis et fervorem spiritus illius, qui communicare appetit : porro S. Congregat. Regul., ut iteratim recentioribus temporibus declaravit, « ob abusus qui irrepserunt, minime solet approbare aperitionem conscientiæ *superiorissæ*, sed tantum permittitur ut sorores, *si velint*, pandere possint defectus in regulæ observantia, et progressum quoad virtutes : de *aliis enim ab eis agendum est cum proprio Confessario*. » Verba *progressum quoad virtutes*, spectant progressum actibus externis manifestatum, ut colligitur ex mente et motivis decisionum ejusdem Congreg.

Quin imo, ex decis. S. Congr. Reg., 27 sept. 1861 17 jun. 1865, præfata conscientiæ aperitio, etiam plane libera, et nunquam obligatoria, fieri non potest ordinis superioribus aut directoribus ; sed, si agatur de communitate mulierum, superiorissæ vel confessario ; aut, si agatur de virorum communitate, uni ex confratribus presbyteris. *Revue des scien. eccl., ibid.*

Ergo nec ad superiorissam, nec ad superiorem aut directorem Ordinis, sed ad confessarium solum pertinet dare inferiori licentiam recipiendi sacram Eucharistiam ultra dies statutos constitutionibus Ordinis.

Attamen illud posset superior, cui omnes subordinati, ex institutionibus ab auctoritate competenti approbatis, conscientiam plane aperire debent, uti revera præscribitur sodalibus Societatis Jesu.

CAPUT VII

DE NECESSITATE EUCHARISTIÆ

Necessaria esse potest Eucharistiæ sumptio ratione medii aut præcepti, vel sub utraque specie, vel tantum spiritualis.

ARTICULUS PRIMUS

De necessitate Eucharistiæ ratione medii aut præcepti.

137. — *Quæritur* an sumptio Eucharistiæ sit necessaria necessitate medii, aut solummodo præcepti?

Resp. Illud necessarium est necessitate *medii*, sine quo, quamvis inculpabiliter omittatur, justificatio et salus obtineri nequit; talis est baptimus pro infantibus saltem fidelium et infidelium positivorum, Tract. *de Bapt.*, n. 30, fides explicita existentiæ Dei ad justificationem pro adultis; Tract. *de Decalogo*, n. 10.

Necessarimm est autem necessitate *præcepti* id, sine quo justificatio et salus non obtinetur, si culpabiliter omittatur, bene vero, si omittatur inculpabiliter; talia sunt omnia quæ sub præcepto gravi imponuntur. Hujusmodi autem præceptum est divinum, vel ecclesiasticum tantum.

Jam vero, 1. quidam schismatici græci tenent realem sumptionem Eucharistiæ esse necessariam necessitate medii ad salutem, eo quod olim Ecclesia parvulis recens natis et baptizatis Eucharistiam conferret. In eamdem sententiam descenderunt plures Calvinistæ, quam putant fuisse communem SS. Patribus, S. Augustino præsertim.

2. Non pauci etiam Theologi, inter quos Alensis, S. Bonaventura, Ferrariensis, negant esse præceptum divinum sumendi Eucharistiam, eo quod nec Scriptura, nec Traditio illud perhibeant. Unde

PROPOSITIO PRIMA

138. — *Nec infantibus, nec adultis sumptio Eucharistiæ necessaria est necessitate medii.* De fide est pro infantibus; certum pro adultis.

Prob. 1° *Script.* Etenim dicitur : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis,* Tit. 3, ℣ 5, id est, per Baptismum; etiam : *Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu,* Rom. 8, ℣ 1. Ergo, qui jam Baptismum receperunt, qui sunt in Christo Jesu per gratiam Baptismi vel charitatis perfectæ, nihil habent damnationis, ac proinde salutem consequi possunt absque Eucharistiæ sumptione.

2° *Traditione.* SS. Patres constanter tenuerunt per Baptismum deleri peccatum originale, conferri gratiam sanctificantem, ac parvulos statim post Baptismum e vivis ereptos salutem æternam adipisci, et ideo pro eis non esse necessariam Eucharistiæ sumptionem; ita expresse S. August. *de Peccat. meritis,* c. 19, S. Fulgent. *Epist. ad Ferrandum* c. 5. Quare Ecclesia curat infantibus Baptismum dari, non vero Eucharistiam. Hinc Conc. Trid., n. 27, definivit : « Si quis dixerit, *parvulis,* antequam ad annos discretionis pervenerint, *necessariam esse Eucharistiæ communionem* : anathema sit. » Et addit, n. 23 : « Neque tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in *quibusdam locis aliquando* servavit... id certe nulla salutis necessitate fecisse, sine controversia tenendum est. » Mos ille inductus est ad augmentum gratiæ pueris conferendum ; a plurimis autem seculis Ecclesia judicat illud gratiæ augmentum infantibus esse differendum, ut grandiores facti sacramentum cum majori reverentia et fructu suscipiatur.

3° *Ratione.* Eucharistiæ sumptio ad salutem non est necessaria parvulis baptizatis, cum ante rationis usum a gratia baptismali excidere nequeant; nec adultis, tum quia illa sumptio in eis præsupponit gratiam sanctificantem, tum quia in iisdem conservari potest illa gratia absque Eucharistia, scilicet, per varia virtutum exercitia. Quoad verba *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* quatenus intelligerentur de necessitate medii, vide Tract. *de Bapt.*, n. 51.

PROPOSITIO II

139. — *Adulti ad Eucharistiæ sumptionem tenentur ex præcepto divino.* Ita communiter.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* et *biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ;* » Joan. 6, v 54 : porro illa verba non minus important præceptum pro adultis de communione, quam verba *Nisi quis renatus*, etc., *Nisi pœnitentiam egeritis*, important pro adultis præceptum de baptismo et de pœnitentiæ ; alioquin nihil aliud significarent quam consilium de Eucharistiæ sumptione ; sed consilium nunquam sub conditione adeo restrictiva et absoluta datur ; ergo in his verbis divinum continetur præceptum.

Idem colligitur ex verbis : *Hoc facite in meam commemorationem,* id est, consecrate, sumite, distribuite, in meam, etc. « In hujus sacramenti *sumptione* colere nos sui memoriam *præcepit* Salvator noster, » inquit Conc. Trid., n. 2 : porro his verbis Concilium supponit præceptum de sumptione tanquam rem, de qua non potest esse difficultas, atque significat rationem propter quam Christus præcipit illam sumptionem. « Manifestum est, ait S. Th., 3 p. q. 80, a. 11, quod homo teneatur hoc sacramentum sumere, non solum ex præcepto Ecclesiæ, sed ex mandato Dei dicentis : *Hoc facite in meam commemorationem.* »

2° *Ex praxi et sensu Ecclesiæ.* Nam, ut ait Suarez, a primordiis Ecclesiæ usus hujus sacramenti fuit omnibus fidelibus in observatione maxima tanquam pertinens ad Christi traditionem et mandatum ; et exinde emanavit cura Pastorum, ut populus aliquando Eucharistiam perciperet. Idem docent communiter Theologi, inter quos S. Th., Suarez, Vasquez, de Lugo, Gonet, Billuart, S. Ligor., lib. 6, n. 192.

3° *Ratione.* Hoc sacramentum institutum est per modum cibi et potus spiritualis : atqui ex præcepto naturali tenetur homo sumere cibum vitæ corporalis ; ergo similiter, ex præcepto providentiæ supernaturalis, obligatur adultus sumere cibum illum pro conservanda ac augenda vita supernaturali animæ. Et hoc plane confirmatur constanti uni-

versalique experientia. Namque, ex una parte, rarissimi sunt, qui, dum cibum illum spiritualem derelinquunt, etiam per unum annum sese a peccatis mortalibus præservant; et ex altera parte, qui tali cibo mirabili utuntur, in gratia perseverant, ac in dies crescunt et roborantur.

Insuper, Adamus, in statu innocentiæ, ex præcepto divino debuisset interdum de ligno vitæ comedere ad vitam corporis immortalem servandam, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 209; ergo a fortiori aliquo præcepto adstringitur adultus comedere de ligno vitæ supernaturalis seu Eucharistiæ, ad hanc vitam immortalem servandam.

140. — *Quæritur* quandonam obliget hujusmodi præceptum divinum?

Resp. Per se obligat in mortis periculo, et sæpe in vita juxta communem sententiam. Et quidem *in mortis periculo*. Nulla enim unquam esse potest gravior hujus sacramenti necessitas, quam eo temporis instanti, in quo imminet ultima et vehementissima lucta cum dæmone, in quo extrema fit hominis debilitas, et a quo toto pendet æternitas.

Quare Conc. Nicænum I, can. 12 aut 13, ait: « Antiquæ legis observabitur etiam nunc, ita ut, *si forte quis recedit a corpore, necessario vitæ suæ Viatico non defraudetur.* » Porro « illa consuetudo ita recepta est, addit Suarez, disput. 69, sect. 3, n. 2, ut sine magno scandalo violari non possit, quod est signum gravis obligationis; meritoque suæ salutis negligentissimus et de statu animæ suæ, vel etiam de fide suspectus habeatur, qui *voluntarie in mortis articulo Viaticum negligeret.* Sed etiam ex præfatæ consuetudinis antiquitate colligere licet eam, ut minimum, esse traditionem apostolicam, quia ejus initium ignoramus; ac ex ejus immutabilitate conjectamus in Christi mandato esse fundatam. »

Hinc, si quis paulo ante ægritudinem communicaret, nihilominus ad sacram communionem adhuc teneretur, quia præcepto non satisfacit per opus non præceptum. Si quis vero eadem die communicasset, alii affirmant eum teneri adhuc ad communicandum per modum Viatici, alii

negant. Attamen, juxta istos, si Viaticum postularet ægrotus, non deberet ipsi denegari. *In tanta opinionum varietate*, inquit Bened. XIV, de Synodo, l. 7, c. 11, n. 2. *integrum est Parocho eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit; neque fas est Episcopo in Parochum animadvertere, qui præfato ægrotanti Viaticum denegavit.* Cæterum de iis quæ caveri et servari debent in administrando infirmis Viatico, attente legatur Rituale.

Per se etiam obligat *sæpe in vita* idem præceptum divinum. Ex dictis enim, Eucharistia est cibus spiritualis ad vires animæ reparandas, quæ quolibet instanti fervore concupiscentiæ et cupiditatum illecebris debilitantur; et ideo necesse est sæpe in vita cibum illum comedere. « Quia tamen, ait Billuart, *de Euchar.*, dissert. 6, a. 1, § 2, nullum observationis hujus præcepti tempus est vi juris divini determinatum, censetur illi satisfacere, qui semel in anno communicat, quia Ecclesia non plus exigit.

Per accidens potest quis sæpius obligari, si nempe communionem existimet sibi necessariam ad resistendum gravi tentationi.

Itaque peccaret mortaliter, qui non haberet voluntatem seu *votum* Eucharistiam recipiendi, quando communicandi urget præceptum per se aut per accidens. In hoc sensu dicitur votum Eucharistiæ esse necessarium necessitate *medii*, seu ad vitandum peccatum mortale, quo stante, salus obtineri nequit.

Attamen præceptum divinum communionis non est absolutum, sed conditionatum; nempe, obligat tantum cum modo convenienti et debita reverentia recipi potest Eucharistia, juxta præscriptas Ecclesiæ leges. Hinc explicatur quomodo olim peccatoribus, etiam in fine vitæ, denegata fuerit Eucharistia, v. g., ob indignitatem enormibus sceleribus contractam.

PROPOSITIO III

141. — *Præcepto ecclesiastico tenentur omnes et singuli fideles adulti ad communicandum singulis annis, saltem in Paschate.* Certum est.

Constat ex Conc. Lateran., sub Innoc. III, quo præcipitur : « *Omnis utriusque sexus fidelis*, postquam *ad annos discretionis* pervenerit, omnia sua peccata confiteatur... *suscipiant reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum*, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, *ad tempus* ab ejus perceptione duxerit abstinendum : alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura. »

Similiter Conc. Trid. anathemate plectit eum, qui hanc obligationem negare ausus fuerit, n. 17.

142. — Hinc 1° non satisfacit præcepto communionis paschalis per *sacrilegam* communionem. Certum est.

Contraria enim opinio damnata est ab Inn. XI. Rever Ecclesiæ præceptum communionis paschalis, est divini præcepti duntaxat determinativum quoad tempus : atqui divinum præceptum obligat ad Eucharistiam recipiendam non solum materialiter, sed tanquam spiritualem animæ nostræ cibum ; ergo, qui indigne communicavit in Paschate, tenetur iterum digne communicare.

143. — Hinc 2°, qui tempore Paschatis, ex justa vel non justa causa, omisit communionem, tenetur *quamprimum communicare*.

Etenim, ex dictis, præceptum communicandi est divinum in se ; præceptum autem Ecclesiasticum est duntaxat illius divini præcepti determinativum quoad tempus ; ergo, elapso Paschatis tempore, quanto quis diutius communionem protrahit, tanto magis peccatum auget.

Imo per se grave est peccatum differe communionem ad primam vel secundam diem post elapsum tempus paschale. Licet enim dilatio sit *in se* parva, ratione tamen temporis est graviter diversa. Per accidens excusantur, qui bona fide existimant satis esse, si ad Confessarium ultima die temporis paschalis accedant inchoandæ confessionis gratia ; sed de obligatione communicandi intra paschale tempus instruendi sunt.

Proinde, juxta omnes, incepto Paschalis tempore, teneur quamprimum huic obligationi satisfacere, qui impedimentum prævidet; imo aufferre impedimenta etiam gravia, cum sit præceptum divinum et grave.

An autem qui prævidet sibi defecturam opportunitatem communicandi in paschate, teneatur prævenire et ante tempus parachale sacram sumere communionem, non consentiunt auctores. Sed hæc juri consona videntur, scilicet, qui prævidet sibi defecturam esse opportunitatem communicandi in Paschate et *postea*, tenetur prævenire ut satisfaciat præcepto, quod ipsam communionem spectat; secus vero, si prævideat non defecturam esse opportunitatem communicandi postea.

Cæterum, nomine *Paschatis* intelligitur *totum tempus currens a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis iuclusive;* imo, urgente necessitate, ut sæpe contingit quando in amplioribus parochiis pauci sunt Sacerdotes, tempus paschalis communionis, ex Episcopi permissione, anticipari potest, vel etiam differri

Præterea, sicut statuit Conc. Later., unusquisque fidelis de consilio proprii Sacerdotis, ob rationabilem causam potest communionem ultra tempus paschale differre, v. g., si careat debitis dispositionibus ad digne communicandum. Attamen non excusandi sunt a peccato mortali, qui ex gravi negligentia accedunt indispositi ultima die temporis paschalis, ita ut a Confessario ad aliud tempus remitti debeant.

144. — *Quæritur* 1° an adsit præceptum grave communicandi in propria parœcia tempore paschali?

Resp. affirmative. Hoc infertur ex magno numero constitutionum et decretorum SS. Pontificum ad illam obligationem adstruendam, ut Pastores certi esse possint de suorum subditorum communione.

Et vero, SS. Pontifices, dum concedunt Religiosis facultatem administrandi communionem omnibus fidelibus ad eorum templa accedentibus, semper excipiunt communionem paschalem, *præterquam in Festo Paschæ*, inquiunt.

Unde in omnibus Ecclesiæ partibus viget hæc consuetudo.

Non consentiunt auctores an dicto præcepto satisfaciat qui communicat in ecclesia cathedrali. Certum est satisfacere, si vigeat consuetudo, quæ haberi possit tanquam consensus parochi vel episcopi. Idem verum est, si ipse Episcopus aut Vicarius generalis distribuat communionem in ecclesia cathedrali, et ex consuetudine aut ex circumstantiis rationabiliter præsumatur consensus aut licentia Episcopi. Secus, non videtur satisfacere præcepto communio in ecclesia cathedrali, eo quod ecclesia parochialis sit ecclesia ipsius fidelis. S. Ligor., lib. 6, n. 300.

Qui vero sacrilege communicavit in propria parochia non tenetur ibidem iterum communicare. Nam adimplevit præceptum quoad circumstantiam loci; ideoque sufficit ut communicet in quocunque loco ad satisfaciendum præcepto communionis paschalis, quod non adimplevit per communionem sacrilegam.

145. — *Quæritur* 2° ubinam peregrini, vagi, milites et famuli præcepto communionis paschalis satisfacere possint?

Resp. 1. Peregrini et vagi possunt communicare in qualibet ecclesia, nec tenentur adire parochiam loci ubi versantur : non habent enim proprium parochum, qui eos agnoscere debeat.

2. Milites in statione, vel domicilium in civitate habentes, communicare debent in parochia in qua commorantur: secus, in quacunque ecclesia præceptum adimplere possunt.

3. Famuli et alii omnes quasi-domicilium habentes, eadem lege ac incolæ loci ligantur.

146. — *Quæritur* 3° quisnam dispensare possit a præcepto communicandi in parochia?

Resp. Episcopus cum diœcesanis, Vicarii generales pariter pro diœcesi; Parochus ipse, cum lex in ipsius favorem lata fuerit; hoc aliunde consuetudine constat.

Tandem pœna contra transgressores præcepti Latera-

nensi decreto constituta, non est *latæ*, sed *ferendæ* tantum sententiæ.

ARTICULUS II

De necessitate Communionis sub utraque specie.

Certum est 1, communionem sub utraque specie a Christo fuisse præscriptam Sacerdoti Sacrum peragenti; 2. illam jure divino permissam esse laicis. Itaque quæstio est utrum laicis communicantibus, non modo permissa, sed etiam præscripta fuerit, ut docent Bohemi, Hussitæ, Lutherani et Calvinistæ.

PROPOSITIO

147. — *Communio sub utraque specie singulis fidelibus præcepto divino necessaria non est.* De fide est.

Constat 1° *Traditione.* Etenim 1. certum est primis Ecclesiæ seculis, fideles secum exportasse Eucharistiam, ab ipsis privatim et opportuno tempore sumendam : atqui non exportabant illam sub specie duplici, sed tantum sub specie panis, ut colligitur ex Tertulliano, lib. 2. *ad Uxor.*, c. 5; ex S. Cypriano, lib *de Lapsis;* ex S. Basilio, *Epist.* 28 ad Cæsarium, qui tres, de isto usu loquentes, solius speciei panis, omissa semper vino, mentionem faciunt.

2. In Ecclesia tam Græca quam Latina, olim et nunc etiam celebratur Missa *Præsanctificatorum*, in qua scilicet non fit consecratio, sed super materiam consecratam preces funduntur. Praxis illa deducitur ex Concilio Laodiceno, et Græcorum Euchologiis seu Missalibus, et Ordine Romano : atqui in ejusmodi Missa, communio fit sub unica specie, panis scilicet, qui solus asservatur, ut constat ex iisdem, quæ mox citavimus, monumentis.

3. In communione puerorum antiquitus usitata, species una ipsis præstabatur, species quidem vini recens natis infundebatur, ut constat ex S. Cypr. *de Lapsis;* species vero panis dabatur paulo majoribus, qui reliquias panis eucharistici, ne diutius servatæ corrumperentur, consumere solebant.

Quam Traditionem sic consecravit Conc. Trid. n. 24 :

« Si quis dixerit, *ex Dei præcepto*, vel *necessitate salutis*, *omnes* et *singulos* Christi *fideles utramque speciem... sumere debere* : anathema sit. »

2° *Ration theol.* Communio sub utraque specie non est necessaria ad sumendum totum Christum, nec ad percipiendam Sacramenti gratiam, cum Christus totus sit sub utraque specie, et per utramque speciem eamdem producat gratiam per modum spiritualis alimoniæ.

Aliunde nullum exstat præceptum communionis sub utraque specie. Christus enim sub utraque specie communionem non præscripsit his verbis : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis. et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Joan. 6, ỷ 54.

Siquidem particula *et* quandoque in Script. disjunctive sumitur, ut in I Cor., c. 11 : « Qui manducat *et* bibit indigne, judicium, etc. : » ubi particula, *et*, disjunctivum habet sensum, ut satis ipse Apostolus declarat his verbis : « Quicunque manducaverit... *vel* biberit... indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. » Porro, ita est in textu S. Joannis; Christus enim immediate postea dixit : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* : porro, si manducatio solius panis promittat vitam, falsum est quod non habeatur vita sine potu et cibo, copulative sumptis.

Similiter præceptum istud, *Hoc facite*, etc., non potest extendi ad omnia et ad omnes absque distinctione ulla, alioquin simplices etiam fideles consecrare deberent, quod falsum supra demonstravimus : porro communionis modus, juxta verba Christi adhibendus, ex Traditione repeti debet, quæ Traditio nobis per constantem Ecclesiæ usum ac praxim innotescit : atqui ex Traditione constat communionem sub utraque specie singulis non esse præceptam; ergo nullo modo necessaria est hujusmodi communio.

148. — Hinc *potuit* Ecclesia *calicis usum laicis interdicere*, atque validæ sunt prohibitionis causæ : scilicet 1. periculum effundendi sanguinis in ejus distributione; 2. penuria vini difficilisque consecratio in plurimis regionibus; 3. timor ne, si diutius vini species pro ægrotis asservaretur,

coacesceret; 4. repugnantia in multis, qui vini saporem ac ne odorem quidem perferre ullo modo possunt; 5. confutatio hæresis asserentis vel totum Christum non esse sub utraque specie, vel utriusque speciei necessitatem.

Cæterum 1. præceptum communionis sub una specie panis non obligat Græcos : unde etiam Romæ, in Ecclesiis sui ritus, utramque speciem sumunt.

2. Usus calicis, citra privilegium, prohibitus est laicis in omni casu, si tamen hunc excipias, in quo ad devitandam sanguinis Christi profanationem, usus ille foret necessarius : hinc deficiente eucharistico pane, calix moribundo negari debet, ut fert longe communior opinio.

ARTICULUS III

De Communione spirituali.

149. — *Quæritur* quid sit communio spiritualis, et quænam ejus utilitas?

Resp. 1° Communio *spiritualis* dicitur *pium desiderium Eucharistiæ Sacramentum suscipiendi, cum realiter suscipi non potest.* Sumunt hoc Sacramentum « spiritualiter, juxta Conc. Trid., qui *voto* propositum illum cœlestem *panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem* operatur, *fructum ejus* et *utilitatem* sentiunt; » n. 8.

Unde duobus actibus conficitur : 1. *actu fidei*, quo spiritualiter communicaturus, Christum vere in Eucharistia præsentem exhibeat; 2. *actu desiderii*, quo exoptet Christum in Sacramento suscipere et cum ipso *toto corde uniri.* Addunt etiam *actum gratiarum actionis*, ac si revera hostiam suscepisset.

2° Hæc communio Sanctis valde in deliciis fuit, et a Conc. Trid. commendatur, n. 8. « *Spiritualiter communicare* est *valde utile ;* inquit S. Theresia. *Nolite id prætermittere : hic* enim experietur Dominus *quantum eum ametis.* » Et revera, si Deus cujuscunque virtutis desiderium præmio afficit, quanto magis *desiderium ipsiusmet Dei?* Sed haud raro et miraculis patefecit Christus quantum hæc communio sit ipsimet grata, ait Scavini. Ergo a Confessariis fidelibus

suis pœnitentibus sedulo insinuanda est, atque vehementissime commendanda.

Potest autem fieri communio spiritualis in omni loco, et quidem sæpius in die, tam mane quam sero. Attamen tempus opportunius est ipsius Missæ tempus, quo *scilicet* Sacerdos communicat; tunc enim, cum ipsum Sacramentum oculis exhibeatur, et vividius menti repræsentetur, ardentius corda divino amore inflammabit. Qui est in mortali, patet quod ipsum pœnitere debeat, ut etiam utiliter communicet spiritualiter. Non percipit enim manducationis effectum, nisi qui *spiritualiter Christo conjungitur per fidem et charitatem,* ut ait S. Th. 3 p. q. 80, a. 1, 2, et Conc. Trid., n. 3.

PARS SECUNDA

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM

CONC. TRID. DECLARATIONES, CANONES ET DECRETA DE SACRIFICIO MISSÆ. *Sess. XXII.*

CAP. 1. *De institutione sacrosancti Missæ sacrificii.*

458. — Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur : quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illus salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie commituntur, peccatorum applicaretur; Sacerdo-

tem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: « Hoc facite in meam commemorationem, » uti semper Catholica Ecclesia intellexit, et docuit. Nam, celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit.

Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest : quam Dominus per Malachiam « nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam » prædixit; et quam non obscure innuit Apostolus Paulus, Corinthiis scribens, cum dicit, « non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri : » per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ et legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

CAP. 2. *Sacrificium visibile esse propitiatorium pro vivis et defunctis.*

159. — Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet Sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, perque ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, grtiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus equidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc

uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionen, offertur.

CAP. 3. *De Missis in honorem Sanctorum.*

460. — Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit: non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit : unde nec Sacerdos dicere solet : « Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule; » sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

CAP. 4. *De canone Missæ.*

461. — Et cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium; Ecclesia Catholica ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum canonem multis ante seculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat; id enim constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

CAP. 5. *De solemnibus Missæ Sacrificii cæremoniis.*

462. — Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine admininiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

CAP. 6. *De Missa, in qua solus Sacerdos communicat.*

463. — Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes. non solum spirituali affectu, sed sa-

ımentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, o ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior prove-ret : nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas as, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo com-ɜndat, siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri bent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; ırtim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tan-m, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi perti-ɔnt, celebrentur.

CAP. 7. *De aqua, in calice offerendo, vino miscenda.*

164. — Monet deinde Sancta Synodus, præceptum esse ab cclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo mis-ɜrent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, ım etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exie-it, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquæ ı Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur, ipsius populi delis cum capite Christo unio repræsentatur.

CAP. 8. *De Missa vulgari lingua passim non celebranda, et mysteriis ejus populo explicandis.*

165. — Etsi Missa magnam contineat populi fidelis erudi-ionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari ɔassim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cu-usque Ecclesiæ antiquo, et a Sancta Romana Ecclesia, om-ıium Ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui rangat eis, mandat Sancta Synodus Pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur aliquid exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent diebus præser-tim Dominicis et festis.

CAP. 9. *Prolegomenon canonum sequentium.*

166. — Quia vero adversus veterem hanc, in sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus, sanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur, atque disputantur; sacrosancta Synodus, post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu,

quæ huic purissimæ fidei, sacræque doctrinæ adversantur, damnare, et a sancta Ecclesia eliminare, per subjectos hos canones, constituit.

167. — Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari : A. S.

168. — Si quis dixerit, illis verbis : « Hoc facite in meam commemorationem. » Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes : aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum : A. S.

169. — Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere : A. S.

170. — Si quis dixerit blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari : A. S.

171. — Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit : A. S.

172. — Si quis dixerit, canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse : A. S.

173. — Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis : A. S.

174. — Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas esse : A. S.

175. — Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem : A. S.

Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missæ.

176. — Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivificat illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.

Cum igitur multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria, et improbitate irrepsisse videantur, quæ a tanti sacrificii dignitate aliena sunt; ut et debitus honor et cultus ad Dei gloriam et fidelis populi ædificationem restituatur, decernit sancta Synodus, ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo curent, ac teneantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit.

Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant.

Deinde, ut irreverentia vitetur, singuli, in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago et ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Neminem præterea, qui publico et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant; neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a secularibus aut regularibus quibuscunque peragi; ac nisi prius, qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaverint se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore, adesse.

Ab Ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu

lascivum aut impurum aliquid miscetur, item seculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur, ac dici possit.

Postremo, ne superstitioni locus aliquis detur, et dicto et pœnis propositis caveant, ne. Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent; neve ritus alios, aut alias cæremonias et preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti et laudabili usu receptæ fuerint. Quarumdam vero Missarum et candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant : doceantque populum, quis sit, et a quo potissimum proveniat sanctissimi hujus sacrificii tam pretiosus ac cælestis fructus.

Moneant etiam eumdum populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis, accedant.

Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis, ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quæcunque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi, pro data sibi a sacrosancta Synodo potestate ac etiam ut delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuant; atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant : non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscunque.

177. — Hactenus Eucharistiam spectavimus ut est sacramentum, seu ut ordinatur ad hominis sanctificationem; jam eamdem quatenus est sacrificium seu quatenus ad cultum Dei refertur, considerare debemus.

Quinque erunt capita, de sacrificio Missæ 1° notione, existentia, et essentia; 2° de effectibus et valore; 3° ministro; 4° subjecto; 5° denique de his quæ ab Ecclesia præscribuntur circa Missæ celebrationem.

CAPUT PRIMUM

)E NOTIONE, EXISTENTIA ET ESSENTIA SACRIFICII EUCHARISTICI SEU MISSÆ

ARTICULUS PRIMUS

De notione sacrificii Missæ.

178. — *Quæritur* 1° quid sit Eucharisticum sacrificium uoad *nomen?*

Resp. A Græcis illud sacrificium vocatur μυσταγωγια, iniatio, peractio mysterii; λατρεια, cultus; ιερουργια, sacricium.

Apud Latinos appellatur *collecta* seu conventus; *agenda*, l est actio per excellentiam, unde et hodiedum canon issæ vocatur *actio*; frequentius dicitur *Missa*, cujus vocis sus in Ecclesia Latina antiquissimus est. Legitur enim in onc. Carthag. II, et apud Patres ætatis etiam anterioris. lii sentiunt nomen illud deductum esse a voce hebraica *ıissah*, quæ oblationem spontaneam significat; Deuter. 16, 10. Alii vero et quidem communius existimant vocem *lissæ* a verbo *mitto* derivare, ita ut voces, *Ite missa est*, int istarum synonymæ : *Ite*, jam enim est *oblatio* ad)eum *missa*, S. Th. 3 p., q. 83, a. 4, ad 9; vel, *jam tota ctio sacra est completa;* vel *jam est dimissionis tempus;* quia ntiquus Ecclesiæ mos fuit, ut, dum Missæ sacrificium ceebraretur, populus non discederet, donec a Sacerdote vel)iacono dimitteretur, sicut ad tanti sacrificii reverentiam lecebat, et ut debitus ordo in Ecclesia servaretur[1]. Sua-

1. « Les Latins ont donné ce nom au sacrifice à cause que, lorsqu'on venait l'oblation, on renvoyait les catéchumènes, les pénitents et les possédés, et à la in le peuple, par une solennelle proclamation; de sorte qu'il s'en retournait à es occupations ordinaires, se souvenant que l'Eglise, qui l'y avait renvoyé, 'avertissait par ce moyen de les faire avec la religion que méritait sa vocation, t l'esprit dont il était plein.

« Vous voyez que ce renvoi avait quelque chose d'auguste; il est certain qu'il ı'y avait rien dans le sacrifice qui frappât davantage les yeux du peuple. C'est ui qui donne les noms, et il les nomme par ce qui le frappe davantage; et parce ju'on dénonçait cette mission ou ce renvoi solennellement par trois ou quatre

rez, disp. 74, sect. 3; Benedict. XIV, *de Sacrific. missæ* lib. 2, c, 1.

Quæcunque sit hujus vocis origo, nunc Missa significat totam actionem sacram, scilicet, non solum substantiam sacrificii, sed etiam accidentia seu omnes alias actiones et orationes, quæ ibi fiunt et dicuntur.

179. — *Quæritur* 2° quid sit Eucharisticum seu Missæ sacrificium quoad rem?

Resp. Missa difinitur : *Sacrificium Christi, sub speciebus panis et vini, per hominem-ministrum, pro Ecclesia militante oblatum, in commemorationem sacrificii in cruce consummati et ad ejus salutarem virtutem applicandam.*

Et quidem 1. *Sacrificium*, seu actio quædam, qua res ... qua, in nomine alicujus societatis, et ideo per ministrum publicum seu sacerdotem, immutatur, in significationem et protestationem divinæ excellentiæ ac supremi dominii Dei in omnem creaturam ; et hoc modo res illa Deo offertur ac consecratur. Hæc definitio sacrificii proprie dicti seu publici evoluta est in Tract. *de Incarn.*, n. 260-... ejusque intelligentia ... ad cognitionem sacrificii eucharistici præsupponitur et omnino præ... requiritur.

2. *Christi*, qui est tum victima s... seu res, quæ in se immutatur, et ut talis Deo offertur et co... secratur; tum principalis sacerdos, qui seipsum immutat... Deo offert; in missa convenit cum sacrificio quod Ch... istus in via obtulit aut in cœlo offert in sempiternum ; ... Tract. *de Incarn.* n. 278, 282, 285-91.

3. *Sub speciebus panis et vini* ; in his ad... est externus sensibilis ritus et specialis ratio illius sacr... ficii ; ejus... sub hoc respectu, discrimen tum a sacrificio c... rucis, ... externus ac sensibilis ritus fuit ipsi Christo in... trinsecus ... cruentus, per passionem, nempe, ac mortem c... ... est et a sacrificio Christi in cœlo, cujus externus ritus ... ipsi Christo intrinsecus seu in propriâ Christi s... pecie ...

fois, on n'appelait point le sacrifice, *Missa* seulement au singulier, ... riel, *Missæ*; on disait : *Missas facere, Missarum solemnia.* » Bossuet, ... *de quelques difficultés sur les prières de la Messe*, n. 2.

incruentus, cum tamen cruenti ritus repræsentatione; Tract. *de Incarn*,, n. 282-83, 288.

In Missa autem Christus pro nobis sese offert sub speciebus panis et vini, quæ ipsi remanent extrinsecæ, n. 53; sed hujusmodi species panis et vini, simul cum forma consecrationis, significant ac per se efficiunt, quod substantia corporis sit directe sub specie panis, et substantia sanguinis sub specie vini; concomitanter vero sanguis sub specie panis, et corpus sub specie vini, et accidentia corporis Christi sub utroque; ac proinde, per hujusmodi virtualem separationem corporis a sanguine, significatur tum cruenta immutatio ac separatio in sacrificio crucis peracta; tum ejusdem cruentæ immutationis et separationis incruenta ac permanens expressio et repræsentatio per sacrificium in cœlo oblatum.

4. *Per hominem ministrum* seu sacerdotem ministerialem, cujus actione, per transsubstantiationem, Christus fit nobis præsens quatenus victima et sacerdos, sub illo speciali et accidentali modo essendi, nempe, directe per substantiam corporis sub specie panis, et per substantiam sanguinis sub specie vini, vi verborum ab illo ministro prolatorum.

5. *Pro Ecclesia militante oblatum;* tale est Missæ subjectum seu societas in cujus nomine et ad cujus profectum offertur. Exinde Missa differt tum a crucis sacrificio, quod sive pro Angelis, sive pro hominibus qui fuere, qui sunt ac futuri sunt, oblatum est; tum a sacrificio in cœlo peracto, quod directe ac proprie offertur pro triumphante Ecclesia; Tract. *de Incarn.*, n. 278, 286. Missa autem, ratione cooperationis ex parte sacerdotis-ministri ab Ecclesia militante ad hoc deputati, directe ac proprie in nomine hujus Ecclesiæ et ad ejus profectum offertur; et propterea dicitur *sacrificium novæ legis.*

6. *In commemorationem sacrificii in cruce consummati, et ad ejusdem salutarem virtutem applicandam,* ut expresse docet Conc. Trid., n. 158. Quibus innuuntur fructus sacrificii Missæ, et sub hoc respectu, ejus discrimen tum a a crucis sacrificio, quod fuit ex se vere satisfactorium et

meritorium, Tract., *de Incarn.*, n. 197 et seq., n. 212, 283; dum per Missæ sacrificium non satisfacit Deo, nec pro hominibus meretur, sed tantum applicatur valor satisfactorius et meritorius sacrificii crucis; tum a sacrificio Christi in cœlo permanente, quo valor sacrificii crucis non applicatur ex opere operato aut speciali modo pro Ecclesia militante, sicut per Missæ sacrificium.

180. — Hinc Eucharistia quatenus sacramentum, differt ab Eucharistia, quatenus sacrificium, ratione *essentiæ*, *finis* et *subjecti*.

Nam Eucharistia, quatenus sacrificium essentialiter consistit in *actione* aliqua victimæ sacrificativa; atque primario et immediate refertur ad supremum cultum Deo tribuendum; et tandem multis simul prodesse potest. Quatenus autem sacramentum, Eucharistia in re sensibili ex se permanenti consistit; atque primario et immediate ordinatur ad hominis sanctificationem significandam et efficiendam per modum spiritualis alimoniæ; denique soli suscipienti prodest.

ARTICULUS II

De existentia sacrificii Missæ.

181. — Protestantes, cum rejiciant realem Christi præsentiam in Eucharistia, consequenter negant Missam esse Christi sacrificium proprie dictum. Idem negant Lutherani, quamvis realem præsentiam agnoscant, tunc quia in lege nova non esse debet nisi spirituale sacrificium, juxta illud : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu*, Joan. 4, ỳ 23; tum quia sacrificium crucis, utpote infiniti valoris, de se fuit sufficientissimum pro omnibus. Imo ipse Lutherus, cum præsentiam realem absque sacrificio eucharistico difficile adstrueret, eo dementiæ devenit, ut scribere non erubuerit « tandem sibi a dæmone suggestum ac persuasum fuisse, Missæ sacrificium abrogandum esse. » Lib. *de Missa privata*, an. 1534 [1].

1. « En ce temps Luther publia ce livre contre la Messe privée, où se trouve le fameux entretien qu'il avait eu autrefois avec l'ange des ténèbres, et où, forcé

Unde, juxta illos hæreticos, Christus nobis dedit mensam in qua epulemur, non vero altare, super quod victimam offeramus; neque consecravit sacerdotes qui immolent, sed ministros tantum, qui sacram epulam distribuant; et ideo suos parochos non vocant *sacerdotes*, sed *ministros* tantum; nec in celebratione cœnæ aliud agnoscendum est, quam nuda commemoratio sacrificii crucis. Contra sit

PROPOSITIO

182. — *In Missa Deo offertur verum ac proprie dictum sacrificium*. De fide est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : « *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem* (ritum) *Malchisedech;* » Ps. 109, ℣ 4; Hebr. 7. Quo textu probatur æternum Christi sacrificium in cœlo, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 290. Sed etiam ex iisdem verbis inferunt communiter Patres præfiguratum fuisse Eucharisticum sacrificium, quod externe in pane et vino, juxta æternum ritum sacrificii Melchisedech, in Ecclesia offertur. Quam Patrum interpretationem sic consecravit Conc. Trid., n. 158 : « Christus Sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech* se in æternum constitutum declarans, *corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.* »

Idem sacrificium sic clarius non prænuntiavit Malachias, 1, ℣ 10, 11 : « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et *munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Conc. Trid., n. 158.

Unde sic : in illis verbis agitur de sacrificio novo, universali, mundo et proprie dicto : *novo* quidem, cum sit judaicis sacrificiis subrogandum; *universali*, cum offeren-

par ses raisons, il abolit, comme impie, la Messe, qu'il avait dite durant tant d'années avec tant de dévotion, s'il faut l'en croire... Si la chose est véritable, quelle horreur d'avoir un tel maître! Si Luther se l'est imaginé, de quelles illusions et de quelles noires pensées avait-il l'esprit rempli! Et s'il l'a inventé, de quelle triste aventure se fait-il honneur! » Bossuet, *Hist. des Variat.*, liv. 4, n. 17.

dum sit ab ortu solis usque ad occasum, et in omni loco: *mundo* simpliciter, id est, ex parte sive victimæ, sive sacerdotis, sive ritus externi; *proprie dicto*, et non solum per cujusque bona opera, alioquin nec esset sacrificium simpliciter, nec novum et judaicis sacrificiis vere subrogandum, nec mundum simpliciter, cum bona opera ab homine patrata possunt ex multiplici parte ab honestate perfecta deficere, et revera semper deficiunt, juxta Calvinistas et Lutheranos. Vide Tract. *de Incarn.*, n. 260.

Porro sola Eucharistia potest esse illud sacrificium novum, universale, mundum et proprie dictum, nec unquam in lege nova aliud assignatum est ut præfatam prophetiam adimplens; ergo in Missa Deo offertur verum sacrificium.

Hoc sacrificium instituit Christus, quando in ultima cœna ipse seipsum obtulit Deo Patri sub speciebus panis et vini, ac præcepit Apostolis idem facere, sicque eos sacerdotes ad idem offerendum sacrificium consecravit, per verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut expresse docet Conc. Trid., n. 158, 168.

Unde, S. Paulus, Hebr. 13, ℣ 10, ait: « *Habemus altare*, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt: » porro ubi est altare proprie dictum, ibi esse verum sacrificium necesse est; ergo verum offertur sacrificium in Ecclesia Christi: atqui inter Christianos nullum aliud unquam usurpatum est sacrificium quam Eucharisticum; ergo, etc.

2° *Traditione*, 1. Ex testimoniis SS. Patrum, quibus de hac materia refertur traditio, quædam tantum seligemus. « Universos, qui per nomen istius (Christi) *sacrificia offerunt..., in Eucharistia panis et calicis, quæ in loco omni a Christianis fiunt, prævertens Deus gratos sibi esse testificatur.* » S. Just. *Dialog. cum Tryph.* — « Eum qui ex natura panis est, accepit, et gratias egit dicens: *Hoc est corpus meum*... Et novi Testamenti *novam docuit oblationem*, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, *in universo mundo offert Deo*... Malachias *sic præsignificavit, etc.* » S. Iren., *adv. Hæres.*, lib. 4, c. 23. — « Pro brutorum cæde seipsum ...dum præcepit; » S. Chrysost., *Homil.* 24, in I Cor.:

Homil. 2, in II Tim. — « Ipse *de corpore et sanguine suo sacrificium instituit* secundum *ordinem* Melchisedech : » S. August., *Serm.* 2, *in Ps.* 33. Idem S. Doctor de matre sua loquens, ait : « *Memoriam* sui ad *altare* tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret *dispensari victimam sanctam*, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis. » *Confess.* lib. 9, c. 13.

Ipsimet Lutherus, Calvinus, Kemnitius confitentur SS. Patres docuisse Missam esse proprie dictum sacrificium, sed in hoc errasse. « Nam, ut addit Lutherus, simus ipsos prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos : verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos adeoque ipsos Angelos. » Vide Bellarm., *de Missæ sacrif.*, lib. 1, c. 15.

2. Idem constat ex Liturgiis. In omnibus enim totius orbis christiani liturgiis resonant voces, *sacrificium, immolatio, sacerdotium, hostia, victima,* quæ est Christus realiter præsens : atqui illæ liturgiæ nobis exhibent fidem omnium Ecclesiarum, et quidem fidem antiquam, cum ipsæ sint antiquissimæ, et attribuantur SS. Jacobo, Marco, Basilio, Chrysostomo. Insuper similes reperiuntur liturgiæ apud sectas ad invicem infensissimas, jam ab Ecclesiæ quarto sæculo a nobis separatas, Nestorianos scilicet, Armenos, Cophtas aliosque Orientales.

Iisdem conspirant archeologiæ monumenta, præsertim ea, quæ e Catacumbis extrahuntur.

3. Tandem expressam Eucharistici sacrificii mentionem faciunt Concilia Nicænum I, Ephesin., Chalcedon., Later. IV, c. *Firmiter*, Constantiense in Bulla Martini V, Florent. in Decreto, atque illud dogma sic definivit Conc. Trid., n. 159, 167 : « Si quis dixerit, *in Missa non offerri* Deo *verum et proprium sacrificium;* aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum *ad manducandum dari* : anathema sit. »

3° *Ratione.* 1. Ab origine mundi semper et ubique sacrificium fuit vinculum Religionis apud homines, ita ut nulla unquam gens aut Religio exstiterit, quæ sacrificia non offerret (si excipias Protestantes et Mahumetanos; Judæi agnoscunt necessitatem sacrificii, sed solummodo in templo Ierosolymitano, et ideo a tempore eversionis illius templi, de

facto non habent sacrificium); nullaque ratio excogitari potest, cur Ecclesia Catholica illo firmissimo vinculo careret : atqui, sublato Eucharistico sacrificio, nihil aliud superest in lege nova, quod rationem sacrificii habeat; ergo, etc.

2. Quin imo, cum, ex una parte, summa Religionis sit in sacrificio, et ex alia, Religio Christiana sit omnium perfectissima, sacrificium novæ legis debet præ cæteris excellere : atqui Eucharisticum sacrificium super cætera infinite præstat; nam est ipsamet realitas a cæteris præfigurata, atque per se infinite Deum honorat, Angelos lætificat, defunctis requiem præstat, militantemque Ecclesiam ædificat; ergo non solum conveniens, sed etiam necessarium fuit tale esse sacrificium, ut Ecclesia Christiana super Synagogam extollatur, atque ejus religio seu cultus sit in se perfectissimus, et ad sanctificandos colentes per se summe efficax.

3. Missa est verum sacrificium, si omnes proprie dicti sacrificii conditiones adimpleat : atqui ita est, ex statim dicendis de essentia sacrificii Eucharisti; ergo, etc.

183. — *Obj.* 1° Eucharistia est Sacramentum ac testamentum Christi; ergo non potest esse simul sacrificium.

Resp. Nego conseq. Etenim in Eucharistia ratio sacramenti, testamenti et sacrificii se invicem non excludunt; siquidem Eucharistia sacramentum est quatenus signum efficax gratiæ, testamentum autem, quatenus promissa Dei obsignans et sanguinem Testamenti continens; sacrificium denique, quatenus Deo oblata in protestationem illius divinæ excellentiæ, qua dignus est, ut in ejus cultum vita nostra destruatur.

184. — *Obj.* 2° Mulieri Samaritanæ interroganti ubi esset adorandum seu sacrificandum, an in monte Garizim, an in templo Jerosolymitano, Christus respondet quod neque in monte Garizim, neque in templo Jerosolymitano erit deinceps adorandum, sed *in spiritu, et veritate*; Joan. 4, ℣ 23; ergo Christus omnia externa sacrificia rejicit, ac vult tantum sacrificium internum et spirituale.

Resp. Nego conseq. Etenim 1. exinde sequeretur rejiciendum esse omnem cultum exteriorem; et tamen ipsi hæretici hujusmodi cultum retinent in baptismate, in celebratione cœnæ, in oratione publica.

2. Christus mulieri Samaritanæ duo declarat, nempe, carnalia et figurativa sacrificia legis mosaicæ, de quibus interrogabat illa mulier, esse brevi et instanter abroganda; atque iis subrogandam esse adorationem per sacrificium ubique offerendum, et non in speciali loco, verum, et non mere figurativum, spirituale, quale est eucharisticum, et non mere carnale.

185. — *Inst.* Sacrificio crucis consummata est hominum redemptio et sanctificatio, cum, ex S. Paulo, Christus *una oblatione consummavit* in æternum *sanctificatos,* Hebr. 10, ℣ 14 : atqui, ex S. Paulo, ibid., ℣ 18, ubi est peccatorum *remissio, jam non est oblatio rursus facienda pro peccato;* ergo, præter sacrificium crucis, nullum aliud debet admitti in lege nova.

Resp. Dist. ant. Sacrificio crucis consummata est hominum redemptio et sanctificatio, quoad satisfactionem pro peccato et meritum gratiæ, *conc.*; quoad applicationem unicuique faciendam illius satisfactionis et meriti, *nego.* Porro hæc applicatio fit, inter alia, per Eucharisticum sacrificium; ergo hoc sacrificium non est inutile, atque, præter sacrificium crucis, aliud etiam in nova lege admitti potest.

Videlicet, triplex sacrificium ratione effectus distingui potest: scilicet, primum et ita imperfectum, ut per se nec virtutem habeat ad satisfaciendum et merendum, neque ad applicandum satisfactionem et meritum per aliud sacrificium jam consummatum; sed solum sit umbra et figura alicujus rei futuræ, quæ per se satisfaciat et mereatur, vel satisfactionem jam exhibitam, et meritum jam comparatum applicet : et talia fuere omnia sacrificia ante adventum Christi in terris oblata.

Secundum autem sacrificium est adeo perfectum, ut de se Deo sufficienter satisfaciat pro peccatis, omnesque gratias pro hominibus vere mereatur : et tale fuit crucis sacrificium, ultra quod non est aliud simile necessarium ad redemptionis nostræ pretium acquirendum; atque adeo novum hujusmodi sacrificium in lege nova petere, magnam esset injuriam Christi cruci irrogare.

Tertium sacrificium est veluti medium, quatenus non offertur ad acquirendum pretium, sed ad applicandum jam acquisitum : et tale est sacrificium Eucharisticum, quod proinde non solum non derogat abundanti redemptioni Christi, sed potius eam in nobis perficit et applicat.

Et vero, Sacramenta a Christo instituta, actus fidei, spei.

charitatis, religionis, etc., quæ plus minusve directe producunt vel impetrant gratiam, non sunt eo ipso imminutiva meritorum Christi, sed potius hæc merita extollunt, cum ex sacrificio crucis, suam efficaciam hauriant : atqui, similiter, sacrificium Eucharisticum nedum minuat virtutem sacrificii crucis, ex hoc ducit suam vim et efficaciam, sicque illud summe extollit; n. 158, 170.

ARTICULUS III

De essentia sacrificii Missæ.

186. — *Quæritur* in quanam actione reponenda sit essentia sacrificii Missæ?

Resp. Hac de re non consentiunt auctores. Scilicet, 1. Offertorium seu oblatio ipsius panis et vini pertinet saltem ad sacrificii Missæ integritatem, juxta Soto et quosdam alios. 2. Essentia Missæ reponenda est in oblatione, quæ subsequitur consecrationem his verbis : *Unde et memores... offerimus*, aiunt Eckius, Clitovæus, etc., apud Suarez, disput. 75, sect. 3, n. 2. — 3. Ejusmodi oblatio est de essentia Missæ, sed non totam ejus essentiam constituit, juxta Scotum, Gabrielem, etc. — 4. In sacerdotis communione nititur essentia Missæ, inquiunt Albertus Magnus, Ledesma, etc., eo quod in illa tantum communione reperitur destructio seu immutatio victimæ. 5. Essentia Missæ constat tum consecratione, qua ponitur victima, tum sumptione, qua victima consumitur, juxta Bellarm., Busembaum, Toletum, Tournely, S. Ligor., etc. 6. Tandem, juxta S. Th., Vasquez, Suarez, de Lugo, Gonet, Sylvium, Bossuet, Billuart, Collet, etc., essentia sacrificii Missæ tota est in consecratione ; sacerdotis autem communio est ejusdem pars integrans. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

187. — *Essentia Missæ non est in offertorio, nec in oblatione quæ subsequitur consecrationem, nec in fractione hostiæ et ejus commixtione cum sanguine, nec in Sacerdotis communione.*

Et quidem 1° *non in offertorio*, sive quoad essentiam, sive

quoad integritatem; et certum est. Etenim, ex Conc. Trid., n. 188, in sacrificio Missæ Christus ipse est victima et sacerdos, atque in Missa una et eadem est victima, idem offerens, ac in sacrificio crucis ; porro in offertorio Christus non est præsens, seu prorsus deficit victima et Sacerdos principalis; ergo actio offertorii non est de essentia, nec de integritate sacrificii Missæ, sed est præparatio tantum materiæ consecrandæ. Revera, si offertorium fuerit omissum, Sacerdos, consecratione peracta, non debet illud supplere, ut notat Rubrica.

2° *Nec in oblatione quæ subsequitur consecrationem;* et hoc etiam certum videtur. Namque, ex modo dictis, in Missa eadem est hostia et idem offerens Sacerdos, ac in cruce : atqui dicta oblatio fit solummodo in persona Ecclesiæ, non vero in persona Christi, ut patet ex verbis : *Unde et memores, Domine, nos, servi tui, sed et plebs tua sancta, offerimus majestati tuæ, de tuis donis,* etc.; ergo illa oblatio per se non constituit sacrificium Christi. Aliunde, ex S. Gregor. Magn., *Epist.* 63, Apostoli illam oblationem non adhibuerunt; atque, ex Rubrica, si omissa fuerit, non est supplenda, sed pergatur Missa.

3° *Nec in fractione hostiæ et ejus commixtione cum sanguine;* et certum est. Etenim hujusmodi fractio et commixtio afficit tantum species sacramentales, nullomodo autem Christi corpus, cui remanet prorsus extrinseca, et ideo exinde nullatenus immutatur corpus Christi, ex dictis n. 53, uti requiritur ad victimam sacrificii. Insuper, illa fractio versatur tantum circa speciem panis; atque fit ad significandam unionem Ecclesiæ cum Christo in sacrificio, S. Th., 3 p., q. 83, a. 6, ad 6; ac demum, ex Rubrica, si omittatur illa fractio et commixtio, non est supplenda, sed pergatur Missa; ergo talis actio nec ad essentiam, nec ad integritatem sacrificii Christi pertinet.

4° *Nec in communione sacerdotis reponenda est Missæ essentia;* et hoc nobis plane certum videtur, atque communiter asseritur. Nam 1. per communionem corrumpuntur quidem species sacramentales, ac consequenter cessat præsentia substantiæ corporis et sanguinis Christi; sed talis mu-

tatio fit solummodo in speciebus, atque ipsi corpori Christi penitus extrinseca remanet, ex dictis n. 53; ac proinde per se nihil confert ad sacrificium in se sumptum. 2. Sumens non agit in persona Christi, nec aliquid offert, sed sibi et in propriam utilitatem recipit; atque communio præsupponit victimam jam mactatam, nec per se aliud est quam participatio fructus sacrificii jam in se peracti. Ergo essentia sacrificii Missæ non est in communione Sacerdotis aut fidelium reponenda. 3. Idem manifeste supponitur in C. *Relatum*, de Consecr., dist. 2, in quo redarguuntur presbyteri *sacrificantes*, et non *communicantes*. Præfata confirmantur ex subsequenti propositione.

PROPOSITIO II

188. — *Essentia sacrificii Missæ in consecratione consistit, id est, ad eam requiritur et sufficit realis præsentia Christi, sub speciebus panis et vini, per actionem sacerdotis-ministri.* Ita communiter.

Et quidem *requiritur* 1° *realis præsentia Christi*. Hoc integre sic exponit Conc. Trid., n. 158, 159 : « Christus, ut *Ecclesiæ visibile*, sicut hominum natura exigit, relinqueret *sacrificium*,... sacerdotem secundum ordinem Melchisedech *se in æternum constitutum declarans*, corpus et sanguinem suum *sub speciebus panis et vini* Deo Patri *obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis* Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut *offerrent præcepit* per hæc verba : *Hoc facite...* In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, *idem ille Christus continetur*, et *incruente immolatur*, *una eademque est hostia*; *idem* nunc *offerens sacerdotum ministerio*, qui seipsum tunc in cruce obtulit, *sola offerendi ratione diversa*. »

Ergo 1. in sacrificio Missæ continetur ipse Christus, et quidem quatenus una et eadem victima ac in cruce, seu cum eadem immutatione sive interna, sive externa; sed etiam quatenus ipse offerens seipsum sicut in cruce, seu in seipso eamdem perficiens actionem oblationis sacerdotalis, ac in sacrificio crucis, cum sit sacerdos in æternum constitutus; 2. sola ratio offerendi est diversa in sacrificio

Missæ, quatenus immutatio externa in ipso Christo est incruenta, sicut post resurrectionem, et secundum ritum seu ordinem Melchisedech; et quatenus, ut fiat Ecclesiæ visibile, sub speciebus panis et vini perficitur per sacerdotum ministerium, juxta etiam ordinem Melchisedech.

Revera, Christus, cum sit Sacerdos in æternum constitutus juxta ritum incruentum, et simul cum cruenti sacrificii repræsentatione in seipso, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n, 285, 286, 288, consequenter ipse permanet victima et sacerdos, ubicunque præsens fiat; et ita in Missa nulla alia requiritur *in ipso Christo* immutatio, sed solummodo signum immutationis sive internæ, sive externæ in eo permanentis, ut ejus perenne sacrificium fiat Ecclesiæ militantis visibile, seu naturæ hominum accommodatum[1].

2° *Sub speciebus panis et vini.* Ex jam allato textu Conc. Trid., illæ species requiruntur, ut Christi sacrificium sit *visibile*, sicut hominum natura exigit, et ut *cruentum sacrificium semel in cruce* oblatum *repræsentetur;* atque in his speciebus consistit *ratio* offerendi Missæ sacrificium *diversa* a ratione sacrificii cruci.

Revera, ex una parte, sacrificium Christi in cœlo sub propria specie, omnino invisibile est pro humana societate, et ideo huic societati *in se* remanet extraneum; ex alia vero parte, per consecrationis seu transsubstantiationis verba, quorum vi substantia corporis tantum est sub una specie, et substantia sanguinis tantum sub altera, atque etiam per ipsam specierum separationem, non solum corpus Christi fit nobis præsens, sed insuper fit nobis præsens uti in se immutatum, sicut reipsa est in cœlo, ac fuit in cruce, ac proinde quatenus victima et sacerdos in se et pro nobis juxta statum humanæ societatis[2]. Ergo hujusmodi signum

1. « Dans la haine que la Réforme avait conçue contre la Messe, on n'y désirait rien tant que d'en saper le *fondement*, qui, après tout, n'était autre que la *présence réelle*. Car c'était sur cette présence que les Catholiques appuyaient toute la valeur et la vertu de la Messe : c'était là le seul fondement de l'oblation et de tout le reste du culte, et *Jésus-Christ présent en faisait le fond.* » Bossuet, *Hist. des Variat.*, liv. 6, n. 24.

2. « Tel est le sacrifice des Chrétiens, infiniment différent de celui qui se pratiquait dans la loi; sacrifice *spirituel* et digne de la *nouvelle alliance*, où *la*

per verba consecrationis ac per species sacramentales ad Missæ sacrificium requiritur.

3° *Per actionem sacerdotis-ministri*, qua Christus fit præsens sub speciebus panis ei vini per transsubstantiationem. Nam, ex supra allato textu Conc. Trid., in sacrificio Missæ una et eadem est hostia, *idem nunc offerens, sacerdotum ministerio*, qui seipsum tunc in cruce obtutit; » ergo, in Missæ sacrificio, duplex est sacerdos, unus principalis ac per se, nempe, Christus, alter ministerialis ac secundum quid, nimirum, homo ad hoc per Ecclesiam deputatus. Porro ille ministerialis concursus contrahitur in actione transsubstantiationis seu consecrationis, cum, ex dictis n. 187, cæteræ actiones sacerdotis-ministri in Missa ad hujus essentiam non pertineant; ergo actio sacerdotis-ministri, qua fit transsubstantiatio, est de sacrificii Missæ essentia, n. 204.

Aliunde, ut Missæ sacrificium sit Ecclesiæ militanti *proprium*, necesse est quod *per* hanc Ecclesiam, ac proinde *pro* ea aliquomodo perficiatur : atqui, semota illa sacerdotis-ministri actione, deficit præsentia Christi sub speciebus panis et vini, ac eo ipso deest sacrificium pro Ecclesia militante. E contra, posita illa actione, eo ipso adest Christus uti victima et sacerdos sub speciebus panis et vini societati humanæ accommodatus; ita ut illa actio, in nomine Ecclesiæ militantis peracta, licet *in se* non sit ipsius sacrificii Christi constitutiva, cum sit tantum ministerialis, tamen terminatur ad præsentiam Christi quatenus victimæ et sacerdotis juxta statum Ecclesiæ militantis; et hoc modo illud sacrificium fit Ecclesiæ militanti proprium seu aliquomodo vere per eam et pro ea oblatum[1].

victime présente n'est aperçue que *par la foi;* où *le glaive est la parole* qui *sépare mystiquement* le corps et le sang; où ce sang, par conséquent, n'est répandu qu'en *mystère*, et où la mort n'intervient que *par représentation; sacrifice* néanmoins *très-véritable*, en ce que *Jésus-Christ y est véritablement contenu et présenté à Dieu dans cette figure de la mort*, mais sacrifice de *commémoration*, qui, bien loin de nous *détacher*, comme on nous l'objecte, *du sacrifice de la croix*, nous y *attache par toutes ses circonstances;* puisque non-seulement *il s'y rapporte tout entier, mais* qu'en effet *il n'est et ne subsiste que par ce rapport, et qu'il en tire toute sa vertu.* » Bossuet, *Exposition*, n. 14.

1. « Jésus-Christ ayant prononcé qu'il *se sanctifiait soi-même pour nous*, c'est-

Ergo, ad essentiam Missæ, requiritur præsentia Christi sub speciebus panis et vini, per actionem sacerdotis-ministri.

2° *Sufficit* autem. Nam tribus illis positis, adsunt victima et sacerdos juxta statum Ecclesiæ militantis, per hanc Ecclesiam ac pro ea, et ideo sacrificium tali Ecclesiæ proprium : porro ad Missam nihil aliud requiri potest, nec unquam fuit requisitum; ergo essentia sacrificii Missæ in consecratione seu in præsentia Christi sub speciebus panis et vini per actionem sacerdotis-ministri reponenda est. « Consecratio chrismatis vel cujuscunque alterius materiæ, non est sacrificium, *sicut consecratio Eucharistiæ*... Deo *consecratione* hujus *sacramenti sacrificium offertur*... Alia sacramenta perficiuntur in usu fidelium... sed hoc sacramentum *perficitur in consecratione, in qua sacrificium Deo offertur.* » S. Th., 3 p., q. 82, a. 4, ad 1; a. 10.

Juxta quosdam, ut videtur, ipsamet victimæ immutatio ad sacrificii Missæ, quatenus sacrificium est, essentiam requisita, reponenda est in specierum separatione et in vi verborum consecrationis, utpote *eorum virtute* substantia corporis Christi *deberet separari* a sanguinis substantia; et ideo non prærequiritur ad missæ sacrificium, quod Christus sit in se permanenter victima et sacerdos.

Hujusmodi sententia rejicienda est. Etenim 1., per transsubstantiationem, nullomodo *in se* afficitur aut immutatur corpus Christi, ex dictis n. 53, atque ideo illa virtualis immutatio ad hoc reducitur : vi verborum consecrationis, substantia corporis a sanguinis substantia separaretur, si id nunc fieri posset : atqui nunc talis separatio fieri nequit; ergo reipsa nulla perficitur, ex hac parte, immutatio, nec sacrificium.

2. Si reipsa vi verborum consecrationis corpus Christi ab ejus sanguine separaretur, sicut in cruce, sacerdos-minister

à-dire, *qu'il s'offrait et se dévouait, afin que nous fussions saints*, nous ne craignons pas de dire que cette sanctification et cette oblation de Jésus-Christ continue encore sur nos autels; et c'est *essentiellement dans la consécration de l'Eucharistie que nous la faisons consister*. Et il est aisé de l'entendre, puisque *poser* devant Dieu le corps et le sang dans lesquels étaient changés le pain et le vin, c'était, en effet, les lui *offrir*; c'était imiter sur la terre ce que Jésus-Christ fait dans le ciel, lorsqu'il paraît pour nous devant son Père, comme dit saint Paul, etc. » Bossuet, *Explicat. de quelques difficultés, etc., de la sainte Messe*, n. 8.

non magis esset sacerdos ratione talis effectus ab ipso causati, ac carnifices, qui Christum crucifixerunt, etiamsi ad hoc ab ipso Christo constituti fuissent.

3. Quin etiam, si in illa virtuali immutatione consisteret essentia Missæ, eo ipso sacerdos-minister esset in sacrificio Missæ sacerdos principalis, cum ipse solus perficeret actionem Missæ constitutivam; nec ideo ipse Christus in Missa esset seipsum offerens sicut in cruce, ut ait Conc. Trid., in thesi relatum.

Nec refert quod sacerdos-minister verba consecrationis pronuntiet in nomine seu in virtute Christi. Hæc enim virtus, quatenus ad opus externum, a Trinitate personarum procedit, et ideo, ratione illius virtutis, SS. Trinitas, non vero Christus quatenus homo, esset in Missa sacerdos principalis.

4. Demum, sacrificium, cujus res oblata est irrationalis, uti animal quoddam, liquor, perficitur quidem per immutationem physicam in ea productam a sacerdote tali rei extrinseco: at illa oblatio nullam vim sortitur ex ipsa re oblata, sed est per se solummodo signum subjectionis erga Deum ex parte alicujus societatis.

In sacrificio autem, cujus res oblata seu victima est aliqua creatura humana, immutatio essentialis tota nititur in ipsis actibus adorationis, gratiarum actionis, propitiationis et impetrationis ab illa creatura seu victima elicitis pro societate humana, et huic societati manifestatis, ex quibus procedit vis Deo satisfaciendi ac merendi pro illa societate, eamque inducendi, ut eidem oblationi sese consociet, et ita salutem consequatur; ac proinde per hujusmodi actus illa creatura est essentialiter ipsamet et res oblata et seipsam offerens; nec sacerdos-miniter, respectu talis sacrificii, si jam in se sit societati humanæ impervium, aliud perficere potest, quam illam victimam et talem sacerdotem seu Christum constituere societati humanæ præsentem sub signo immutationis tali victimæ intrinsecæ ac propriæ.

189. — Hinc 1°, peracta consecratione, jam non perseverat *Missæ* sacrificium.

Etenim sacrificium essentialiter consistit in *actione* aliqua; ad essentiam autem sacrificii Eucharistici pertinet actio Sacerdotis ministri, ex supra dictis : porro consecratio est sola actio qua Sacerdos minister concurrit ad conficien-

dum Missæ sacrificium; ergo, peracta consecratione, jam non perseverat sacrificium Eucharisticum.

Unde, post consecrationem, Christus præsens quidem permanet sub speciebus panis et vini, atque ideo in terris indesinenter prosequitur suum sacrificium *cæleste;* at simul jam non sese offert *per* Ecclesiam militantem; nec consequenter *pro* ea specialiter; ergo non perseverat sacrificium Missæ post consecrationem. « Quare sacra hostia dum in pyxide continetur, vel ad ægrotum defertur, sacramenti, non sacrificii, rationem habet. » Catech. Rom.

190. — Hinc 2° homo-sacerdos actum vere *sacerdotalem* non perficit nisi per consecrationem.

Namque ille tantum actus est proprie sacerdotalis, quo perficitur sacrificium : atqui, ex jam dictis, sacrificium Missæ perficitur per actum consecrationis; ergo solus hujusmodi actus est proprie sacerdotalis et quidem ministerialiter tantum.

191. — Hinc 3° sacrificium Missæ est simul *verum, repræsentativum* et *mysticum*.

Et quidem 1. *verum*, sive ex parte victimæ et principalis Sacerdotis, qui interne haud secus ac in cruce, immolatur; et externe etiam, licet incruente, hujusmodi sacrificium modo nobis accommodato manifestatur; sive ex parte Sacerdotis ministri, cujus actio ad Christi actionem per se vere sacrificativam terminatur.

2. *Represenlativum* ratione *finis*, quatenus repræsentat et commemorat simul ac prosequitur ipsammet sacrificii crucis realitatem, juxta præceptum Christi : *Hoc facite in meam commemorationem :* quod sic explicat Apostolus, dicens : *Quotiescunque manducabitis panem hunc (id est corpus Domini) et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* I Cor. 11, ℣ 26.

3. *Mysticum,* respectu expressionis sensibilis per species, et specierum vi verborum separationem, quæ signum est tum actualis in corpore Christi expressionis sacrificii interni, tum expressionis cruentæ in cruce consummatæ.

192. — *Quæritur* 1° an ad *essentiam sacrificii* eucharistici *necessaria* sit *utriusque speciei* consecratio?

Resp. 1. Certum est, et apud omnes receptum, utriusque speciei consecrationem non solum jure Ecclesiastico, sed et divino præscriptam esse, n. 75. Unde absque gravissimo peccato omitti non potest.

Utrum vero saltem valide conficeretur sacrificium sub una tantum specie, disputant Doctores. Communior opinio negat, quia nonnisi sub duplici specie panis et vini repræsentari potest immolatio Christi in cruce; ita D. Th. 3., q. 80, a. 12; et Bened. XIV, de Sacrificio Missæ, sect. 2, n. 82. Vide supra, n. 74.

193. — *Quæritur* 2° an Sacerdotis communio sit de integritate sacrificii Missæ?

Resp. Affirmative. Etenim 1. ex Rubrica, si celebrans moriatur post consecrationem, præcipitur ut alius sacerdos, etiam non jejunus, prosequatur sacrificium et sacramentum suscipiat, *ne sacrificium remaneat imperfectum*: atqui non remaneret in hoc casu imperfectum ratione essentiæ, cum, ex dictis n. 187, communio non sit de essentia Missæ; ergo Sacerdotis communio est saltem de integritate sacrificii.

2. Quicunque sacrificium offert, debet sacrificii fieri particeps, ut ita seipsum Deo offerat; et propterea in sacrificiis veteris legis, si excipias holocaustum, pars victimæ a sacerdotibus comedebatur; ergo sacerdotis communio est de integritate sacrificii Missæ; S. Th. 3 p. q. 82, a. 4.

3. Per Eucharistiæ sumptionem completur effectus sacrificii eucharistici, ut per se patet; ergo illa sumptio ad hujus sacrificii integritatem pertinet. Quare Christus, instituendo Eucharistiam per consecrationem, Apostolis etiam præcepit *comedere et bibere ex ea omnes.*

194. — *Quæritur* 3° an licitæ sint Missæ *privatæ*, in quibus *solus* Sacerdos *communicat*, nullaque populo fit Eucharistiæ distributio?

Resp. affirm. Namque sic semper sentit Ecclesia; et Conc. Trid., n. 174, eos anathemate percutit, qui dixerint *illicitas esse has Missas*. Sed etiam addit, n. 163 : « Illæ Missæ, in quibus *solus* Sacerdos *sacramentaliter* communicat, *vere communes* censeri debent; partim, quod in eis *populus spiritualiter* communicet; partim vero, quod *a publico Ecclesiæ Ministro,* non *pro se tantum,* sed *pro omnibus fidelibus* qui ad corpus Chrisi pertinent, *celebrentur*. »

CAPUT II

DE EFFECTIBUS ET VALORE SACRIFICII MISSÆ

ARTICULUS PRIMUS

De effectibus sacrificii Missæ.

Dicemus quinam sint effectus sacrificii Eucharistici, et quomodo Missa illos producat effectus.

I §

Quinam sint Effectus sacrificii Missæ.

Facile concedunt Protestantes sacrificium Missæ esse *latreuticum* et *eucharisticum,* ut patet ex dictis in Tract. *de Incarn.* n. 286, et ex jam probatis, n. 188; negant vero esse *propitiatorium* et *impetratorium,* cum inde, inquiunt, derogaretur sacrificio crucis, quo persolutum fuit nostræ redemptionis pretium, et ex quo gratiæ omnes in nos derivant. Contra sit

PROPOSITIO

195. — *Sacrificium Missæ est vere propitiatorium et impetratorium*. De fide est.

Et quidem 1° *propitiatorium*. Quod sic definivit Conc. Trid., n. 169 : « Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse *laudis, et gratiarum actionis*... non autem *propitiatorium...;* neque pro *vivis* et *defunctis,* pro *peccatis,, pœnis, satisfactionibus* et *aliis necessitatibus offerri debere* : anathema sit. »

Idem constat *ex SS. PP.* S. Cyril. Hieros., Catechesi ultima, n. 10: *Christum mactatum pro peccatis nostris, offerimus, clementem Deum pro nobis demereri et propitiare satagentes.* — S. Aug., Quæst. 67 in Levit., n. 4, ait: *Illis veteris legis sacrificiis, unum hoc sacrificium* (Eucharistiæ) *significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum.* Cæteri Patres concinunt.

Ex liturgiis omnibus, sive orientalibus, sive occidentalibus, ipsorum etiam Schismaticorum, in quibus sacrificium offerri manifeste deprehenditur pro remissione peccatorum.

Et vero, ubi victima oblata et principaliter offerens est ipsemet Christus, ibi procul dubio reperitur propitiatio et venia peccati, cum ipse auctor gratiæ Patrem pro nobis interpellet, ut nos fructus passionis suæ participes faciat. Nec per hoc derogatur excellentiæ sacrificii crucis, ut contendunt Potestantes; sacrificium enim altaris totum refertur ad sacrificium crucis, et ex illo tanquam ex fonte deducit quidquid habet virtutis, ut dictum est n. 159, 185.

2° *Impetratorium*. Namque, ex dictis in Tract. *de Incarn.* n. 286, 287, Christus in cœlo seipsum offerendo, postulat applicationem meritorum et satisfactionum, quæ per sacrificium crucis acquisivit: porro, ex dictis, n. 188, sacrificium Missæ, ex parte Christi, idem est ac sacrificium Christi in cœlo paractum; ergo, quando sacrificium Missæ peragitur, Christus specialiter orat eodem modo et eadem efficacia, qua id facit in cœlo.

Revera, Ecclesia offert Missæ sacrificium non solum ad obtinendam remissionem peccatorum, sed etiam pro omni necessitate aut utilitate, quæ objectum orationis apud Deum esse potest, ut ait Conc. Trid. in verbis jam citatis; ergo sacrificium Missæ non est solum propitiatorium, sed etiam impetratorium.

196. — Hinc per sacrificium crucis et effusionem sanguinis, Christus remissionem peccatorum nobis meruit; per Missæ autem sacrificium hujusmodi meritum nobis applicat, n. 185.

Sacrificium autem Missæ propitiatorium est eo sensu

quod peccatoribus gratias actuales impetrat, quibus moventur ad adhibenda media, quæ Deus instituit pro peccatorum remissione et hominum sanctificatione; sacramentum vero Pœnitentiæ est unum ex his mediis, atque per se et directe, positis ponendis, ipsa peccata remittit; n. 159.

§ II

De modo quo Missæ sacrificium suos effectus producit.

197. — *Quæritur* quotuplici modo sacrificium Missæ producere possit suos effectus?

Resp. Duplici modo, nempe, *ex opere operato,* vel per modum *impetrationis.*

Si prius, effectus fundatur in speciali promissione Christi; confertur hoc ipso quod sacrificium est pro aliquo oblatum, absque alia speciali petitione; infallibilis est pro omni non ponenti obicem; atque intra certam speciem beneficii definitus ac determinatus.

Si posterius, effectus non fundatur in promissione Christi, sed in ipsa natura seu majestate ac sanctitate sacrificii Missæ; atque ideo non confertur, nisi ex speciali intentione offerentis applicetur sacrificium ad hoc vel illud beneficium obtinendum, quia nullum opus est actualiter impetratorium, nisi prout adjungitur petitioni; unde non est infallibilis, quia vel deficit petitio, vel petitio caret effectu; tandem extendi potest, sicut et ipsum sacrificium, ad quoslibet divinæ beneficientiæ effectus.

Præterea, effectus sacrificii produci possunt vel ex vi institutionis seu promissionis Christi, vel ex vi actualis oblationis, ut est a Christo principali offerente, qui per aliquem actum proprium ipsam oblationem constituit; vel ex vi actualis oblationis, ut est a Sacerdote ministro, qui in persona Christi et in nomine Ecclesiæ ad sacrificium concurrit; vel ex vi ipsius actus personalis ministri, quatenus ille actus est in se Deo gratus.

Quibus expositis, inquirendum habemus an et quinam effectus sacrificii Missæ producantur ex opere operato, vel per modum impetrationis, ex vi promissionis, aut vi ac-

tualis oblationis Christi offerentis, aut Sacerdotis ministri ad oblationem concurrentis.

PROPOSITIO PRIMA

198. — *Sacrificium Missæ aliquem effectum habet ex opere operato, cæteros autem per modum impetrationis.*

Et quidem 1° *aliquem effectum habet ex opere operato.* Namque 1. ex Conc. Trid., n. 158, « Christus *instituit* sacrificium Missæ, *ut sacrificii crucis* salutaris virtus *in remissionem peccatorum* actualium *applicaretur.* » Quibus verbis significatur illud sacrificium aliquem effectum habere ex ejus *institutionis* seu ex peculiari ejus institutione ad aliquam determinatam applicationem sacrificii crucis, et ideo vi promissionis Christi seu ex opere operato, n. 197. Revera, si effectus ille producatur per modum inpetrationis tantum, seu si ipsam sacrificii dignitatem consequatur, non requiritur sacrificium ad illum præcise finem determinatum institui, sed sufficit tantum institui ipsum sacrificium.

2. Sacramenta novæ legis, ob hujus legis dignitatem et excellentiam, effectum habent ex opere operato : porro ad eamdem novæ legis dignitatem et excellentiam spectat sacrificium Missæ hujusque effectus ; ergo hunc sacrificium aliquem saltem effectum producit ex opere operato.

2° *Cæteros autem effectus producit per modum impetrationis.* Nam, ex dictis n. 195, sacrificium Missæ est impetratorium, id est, aliquos saltem effectus producit per modum impetrationis.

Talis autem effectus confertur non vi institutionis sacrificii seu promissionis Christi, n. 197, sed vi actualis oblationis ut est a Christo principali offerente, qui, videlicet, in hac oblatione orat Patrem cœlestem, ut ad talem vel talem effectum applicetur salutaris virtus sacrificii crucis.

Insuper, actualis oblatio, quatenus est a Sacerdote ministro, per quem universalis Ecclesia seu corpus Christi mysticum sese offert simul cum Christo, specialem vim habet ad impetrandum speciale beneficium, quod desideratur.

Ecclesiæ tamen oblationis et petitionis efficacia per Sa-rdotem ministrum præsupponit actualem oblationem et ›titionem ipsius Christi, sine quo *non habemus accessum* ›ud *Patrem*.

Unde effectus sacrificii Missæ per modum impetrationis roductus, non semper confertur, tum quia Christus non romisit se in sacrificio Missæ oraturum pro impletione lesiderii nostri cujuslibet; tum quia de facto in illo sacri-icio non orat Christus ad talem vel talem impetrandum ›ffectum, quem concedere non opportunum judicat Deus, ›tsi illum ex sacrificio Missæ consequi desideremus; tum denique quia sæpe ille, pro quo orat Christus in hac actuali oblatione, ponit obicem.

199. — Tandem Sacerdos minister per hoc sacrificium potest mereri de condigno, satisfacere, et impetrare *ex opere operantis*, si sit in gratia, atque debita intentione et circumstantiis offerat. Namque in hujusmodi merito, satisfactione et impetratione duo considerari possunt, scilicet, ipse actus interior ministri, et hujus actus externum objectum seu ipsum sacrificium Missæ, cujus Christus est victima et principalis offerens : porro actus interior in statu gratiæ, ex motivo supernaturali, et ex Spiritus Sancti inspiratione elicitus, est de se meritorius et satisfactorius de condigno, atque ad impetrandum omnino idoneus ; ex parte autem objecti seu ipsius sacrificii Missæ, talis actus Ministri specialem excellentiam, condignitatem, efficaciam accepit ; ergo per hujusmodi actum Sacerdos minister potest modo excellentiori mereri, satisfacere et impetrare ex opere operantis.

PROPOSITIO II

200. — *Sacrificium Missæ non confert gratiam habitualem primam, nec secundam, sed gratiam actualem et bona temporalia, et quidem per modum impetrationis.*

1° *Non confert gratiam primam peccati mortalis remissivam.* Namque, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 275, 285, *de Bapt.* n. 25, 36, 40, *de Pœnit*. n. 64, 65, gratia habi-

tualis remissiva peccati mortalis confertur tantum vel per Baptismum, vel per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem charitate perfectam; ergo talem gratiam nullo modo confert Missæ sacrificium. Revera. si sacrificium Missæ conferret illam gratiam, Sacerdos peccati mortalis conscius et attritus, esset justificatus eo ipso quod offerret sacrificium Missæ; idem dicendum esset de peccatore attrito, pro quo offerretur sacrificium : atqui talia sunt inaudita in Ecclesia; ergo, etc.

2° Nec *gratiam secundam;* seu gratiæ habitualis augmentum in homine justo; alioquin illud sacrificium offerri posset pro parvulo baptizato, ut ei gratia augeatur; sed etiam gratia sanctificans augeretur in homine justo dormiente, aut phrenetico, aut amente, statim ac offerretur pro illo sacrificium Missæ : talia autem a nemine propugnantur. Revera, Eucharistia, quatenus est sacramentum, ordinata est ad augmentum gratiæ sanctificantis, n. 85; et ideo, quatenus est sacrificium, ordinata est ad alium effectum, in subsequentibus statim determinandum.

3° Sed confert *gratiam actualem pœnitentiæ*, ut his verbis expresse declarat Conc. Trid., n. 159 : « Hujus *oblatione* placatus Dominus, *gratiam et donum pœnitentiæ concedens*, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. » Et hoc verum est de gratia ad pœnitentiam de peccato non solum mortali, sed veniali, ut clare colligitur ex verbis Concilii.

Præterea *gratiam actualem* confert *homini justo*, sive ad resistendum alicui tentationi, sive ad praxim alicujus virtutis, v. g., humilitatis, charitatis, justitiæ, etc. Nam, ex Conc, Trid., n. 169, 195, hoc sacrificium offertur, non solum pro peccatis, sed etiam *pro aliis necessitatibus :* porro gratia actualis, de qua agitur, necessaria est homini justo ; ergo talem gratiam homini justo confert illud sacrificium.

Jam vero gratia actualis sive peccatori. sive homini justo, per hoc sacrificium non confertur ex opere operato, siquidem non adest ex parte Christi promissio talem gratiam infallibiliter concedendi per sacrificium Missæ ; nec

revera peccator excitatur ad pœnitentiam, aut justus ad praxim virtutis, quoties pro isto aut pro illo offertur sacrificium Missæ; ergo gratia actualis, sive excitans seu sufficiens tantum, sive adjuvans seu efficax confertur in sacrificio Missæ per modum impetrationis tantum. Aliunde Eucharistia, ut sacramentum, instituta est ad conferendam gratiam actualem homini justo ex opere operato, n. 85; et ideo necesse non est ut eumdem effectum eodem modo producat quatenus est sacrificium. Et ita sentiunt communiter Theologi.

Quidam tamen putant illud auxilium saltem sufficiens conferri per illud sacrificium ex opere operato, vi alicujus promissionis Christi, sed interdum non dari nisi postea seu tempore opportuno. Vide Suarez, *de Euchar.*, disput. 79, sect. 3. Quidquid sit, nullum sane exstat in nova lege efficacius medium ad *impetrandum* a Deo auxilium gratiæ in tempore opportuno concedendum, quam sacrificium Missæ ut ex ejus dignitate et excellentia colligitur.

4° *Confert bona temporalia*, v. g., sanitatem, panem quotidianum, fructus terræ præservationem a fulgure, a tempestate, etc. Nam Conc. Trid., n. 159, docet « Illud sacrificium offerri pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et *aliis necessitatibus*. » Et revera Ecclesia Missæ sacrificium sæpe offert ad illa bona temporalia obtinenda.

Hujusmodi autem effectus non confertur ex opere operato, sed per modum impetrationis tantum. Nulla enim existit Christi promissio talia bona infallibiliter concedendi per sacrificium Missæ; nec sufficienter digna sunt, ut infallibiliter obtineantur, præsertim cum ipsa bona spiritualia, ex supradictis, per illud sacrificium conferantur tantum per modum impetrationis.

PROPOSITIO III

201. — *Sacrificium Missæ confert remissionem alicujus pœnæ, et quidem ex opere operato.*

Etenim sacrificium Missæ offertur *pro pœnis vivorum et defunctorum*, juxta Conc. Trid., n. 159 ; porro talis effectus satisfactorius partim saltem confertur ex opere operato-

rato. Nam, ex una parte, sacrificium Missæ aliquem effectum habet ex opere operato, ut dictum est, n. 198; ex altera vero, cæteri omnes effectus illius sacrificii producuntur per modum impetrationis, ex dictis, n. 200; ergo sacrificium Missæ effectum satisfactorium partim saltem confert ex opere operato.

Revera ad providentiam, quam Christus de hominibus habuit, decuit ut esset pro baptizatis aliquod signum sensibile ad illum effectum directe producendum ex opere operato: porro nullum est sacramentum directe ad illud institutum; ergo decuit ut hujusmodi effectum produceret sacrificium Missæ, quod aliunde ad hoc maxime est accommodatum, cum operetur in offerentibus et etiam in iis pro quibus offertur, ipsis nihil operantibus aut recipientibus.

Præterea remissionem pœnæ conferre potest per modum impetrationis, quia Ecclesia in hoc sacrificio orat et petit a Deo remissionem pœnarum non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis.

202. — *Quæritur* autem quænam requirantur conditiones in eo pro quo offertur sacrificium, ut in eo producatur effectus ex opere operato?

Resp. Requiritur 1. character baptismalis, 2. status viatoris, 3. remissio culpæ.

Et quidem 1. *character baptismalis*. Ita omnes. Baptismus enim est janua ad alia Sacramenta quatenus producunt effectum ex opere operato; et ideo quoad similem effectum janua est etiam ad sacrificium. Revera, juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem, Catechumeni non permittuntur interesse mysteriis, ex quo incipit fieri oblatio sacrificii: porro certe non prohiberentur adesse et cum aliis offerre, si essent capaces effectus hujus sacrificii ex opere operato, cum omnino sint capaces effectus per modum impetrationis producti.

2. *Status viatoris*. Qui sunt enim in statu æternæ beatitudinis, vel æternæ damnationis, nullum ex illo sacrificio effectum quoad pœnam consequi possunt. Difficultas est autem de animabus in purgatorio detentis.

Alii quippe putant has animas percipere non posse ex sacrificio Missæ effectum ex opere operato, sed per modum impetrationis tantum, eo quod in illis animabus effectus sacrificii non sit infallibilis.

Alii vero communius et probabilius docent sacrificii effectum ex opere operato produci etiam in animabus in purgatorio detentis. Ita S. Th., Albert, Magnus, Bellarm., Suarez. Namque suffragia infallibiliter applicantur defunctis, ex dictis in Tract. *de Indulg.*, n. 59 : porro, ex Conc. Trid., sess. 25, c. 1, inter suffragia, sacrificium Missæ maxime prodest defunctis; ergo hoc sacrificium, præ cæteris suffragiis, infallibiliter seu ex opere operato effectum producit pro defunctis. Revera Conc. Trid., n. 158, eodem modo dicit sacrificium hoc offerri pro vivis et defunctis, et eodem modo loquuntur Origines, S. Chrysost., S. August., ut videre est apud Suarez, disput. 83, sect. 10.

3. *Remissio culpæ.* Culpa enim nondum remissa secum necessario trahit pœnam sibi debitam, atque sine statu gratiæ homo non est capax satisfactionis pro pœna temporali.

Cæterum effectus ille ex opere operato non est major in eo, qui melius est dispositus per gratiam, vel per majorem devotionem, sed, quoad partem disponendam ab ipso Sacerdote, n. 214, 215, applicatur per intentionem Sacerdotis, et ideo si totum, v. g., applicetur Petro, hic consequetur totum, etiamsi sit minus sanctus, quam reliqui omnes; si vero applicetur Petro et Paulo, et velit Sacerdos æqualiter inter eos dividi, hoc ita fiet, etiamsi illi sint inæqualiter dispositi; quia in hac applicatione Sacerdos habet liberam potestatem. In sacramentis autem effectus ex opere operato confertur juxta suscipientis dispositionem, quia sacramenta in actione sua non pendent ex intentione ministri, sed veluti causæ naturales agunt secundum subjecti dispositiones, n. 216.

Tandem ille effectus ex opere operato, si ob obicem fuerit impeditus, non datur, recedente obice, n. 226.

ARTICULUS II

De Valore sacrificii Missæ.

203. — *Quæritur* quisnam sit valor sacrificii Missæ?

Resp. 1. Sacrificium Missæ intrinsece et in se, seu ratione victimæ et principalis offerentis, habet valorem infinitum, ut per se patet.

2. Efficacia Missæ ex opere *operantis* vel per modum *impetrationis* est finita, juxta omnes, et etiam per se constat, n. 199.

3. Juxta omnes etiam, efficacia Missæ *ex opere operato* est finita *intensive*, ita ut effectus infinitus nobis non conferatur per ununquodque sacrificium; alioquin plura sacrificia pro eadem persona oblata, non magis ipsi prodessent, ac si unum tantum pro ea offerretur.

4. Dubium est autem an efficacia Missæ *ex opere operato* sit etiam finita *extensive* seu quoad personas, id est, an ita limitetur, ut, si pro pluribus simul offeratur, fructus minor ad singulos proveniat; an vero in hoc etiam casu tantum valeat unicuique, ac si pro eo solo offerretur. Unde in praxi hæc tenenda sunt :

1° Qui a duobus stipendium accepit pro Missæ celebratione, non potest per unum sacrificium satisfacere suæ obligationi : et ideo, qui unum tantum offerret sacrificium, graviter peccaret, et ad restitutionem teneretur, ex condemnatione facta ab Alexandro VII sequentis propositionis: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre.*

2° Qui sacrificium offert, intendere debet ut prosit omnibus vivis et defunctis, quantum fieri potest, absque præjudicio illius qui stipendium dedit, vel cui promissa est Missæ applicatio.

3° Non ea est fructus sacrificii distributio, ut quantitas sit proportione servata ad numerum adstantium, alioqui melius esset illis qui parochiam incolunt minus frequentatam, aut illi qui, neglecta Missa parochiali, privatam quæreret cui solus adesset, quod nemo asserere ausus est. Nihilominus Missa specialiter pro aliquo oblata, ipsi specialius

prodest, quamvis nos lateat qua ratione id fiat. Scilicet, inquiunt Theologi, comparatio deduci potest ex agentibus physicis, quæ a Deo instituta sunt ad bonum commune. Sol, v. g., omnibus pariter lucet, sive pauci, sive plures adsint, omnibus calorem impertitur suum; attamen, si certa adhibeantur media, radii solares efficacius aliquam plantam fovebunt, licet nihil inde detrahatur plantis circumstantibus.

CAPUT III

DE MINISTRO SACRIFICII MISSÆ

Inquirendum est de sacrificii missæ ministro ratione ordinis seu validitatis, jurisdictionis seu licitatis, et obligationum.

ARTICULUS PRIMUS

De Missæ Ministro ratione validitatis seu Ordinis.

PROPOSITIO

204. — *Sacerdotes rite ordinati, et quidem soli, valide offerunt Missæ sacrificium.* De fide est.

Constat 1° *Script.* Nam Christus, in novissima Cœna, postquam corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulisset, dixit Apostolis : *Hoc facite in meam commemorationem;* Luc., 22, ỷ 19; porro, ex una parte, illa verba solis duodecim Apostolis et in perpetuum dicta sunt; et ideo soli Apostoli eorumque successores habent potestatem Missæ sacrificium offerendi; ex altera parte, nemo succedit Apostolis in illa potestate, nisi per ordinis sacramentum rite collatum, ex dictis in Tract. *de Ordine*, n. 17, 35, 36; ergo Sacerdotes rite ordinati, et quidem soli, valide offerunt Missæ sacrificium.

2° *Traditione.* Conc, Trid., sess. 23, c. 1, 4, can. 1, 3, 4, declarat ac definit « Christum *Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio* tradidisse potestatem *aliquam consecrandi* et *offerendi* verum corpus et sanguinem suum, atque hujusmodi potestatem conferri per Ordinis sacramentum; » ergo sacerdotes rite ordinati, et quidem soli, aliquam

seu ministerialem habent potestatem valide Missam offerendi.

3° *Ratione*. Christus, quatenus supremum Caput et hominus generis hominum, constituit quosdam homines sur jurisdictionalis potestatis participes, ut per eos doceret et regeret in ordine supernaturali omnes gentes usque ad consummationem seculi, juxta hanc legem divinitatis immobiliter firmatam, qua inferiora in Deum reducuntur per superiora, ut rebus creatis major insit perfectio et unitas: ergo, similiter, ex eadem lege, Christus, quatenus supremus Pontifex, debuit quosdam etiam homines constituere sui sacerdotii participes, ut per eos ipse in terris omnibus diebus usque ad consummationem seculi visibiliter suum offerret sacrificium in honorem Dei et ad hominum sanctificationem.

Aliunde, *omnis* Sacerdos valide consecrat et offert sacrificium Missæ, eo quod Ordinis potestas a solo charactere sacerdotali pendeat, ex dictis in Tract. *de Ordine*, n. 38, 39.

Attamen, ipsi fideles, adstantes præsertim, dici possunt, licet improprie, offerentes ex triplici ratione: 1. quia Sacerdos eorum nomine, et velut eorum totiusque Ecclesiæ legatus, Deo sacrificium offert; 2. quia nonnunquam exterius cooperantur Sacerdoti sacrificanti, sive subministrando materiam sacrificii, scilicet panem et vinum, sicut in prioribus seculis a devotis Christianis fieri solebat; sive largiendo stipendium Sacerdoti celebranti. Quamobrem Sacerdos in canone sic orat: *Et pro omnibus circumstantibus, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium* Unde quidam Theologi distinguunt in SS. Sacrificio triplicem offerentem, nempe Christum, Sacerdotem et Ecclesiam.

Proinde fidelis populus, nec ullus laicus vel clericus præter Sacerdotem, nuncupari nequit minister sacrificii Missæ: quia solus Sacerdos sacrificium proprie offert: alii autem nonnisi mediate, moraliter et minus proprie, seu per manus Sacerdotis, eo fere modo quo civitas dicitur Regem salutare eique munera offerre, quando legati civitatis Regem salutant eique munera offerunt.

Unde fideles vere sunt sacerdotes *sacerdotio spirituali*, vi cujus possunt *spirituales* offerre *Deo hostias*, actiones scilicet supernaturales, ut ait S. Petrus, I Epist. c. 2; non autem sacerdotio simpliciter et proprie dicto, *visibili* scilicet et *externo*, quo utpote *mediatores* inter Deum et homines, Eucharistiam consecrare possint, et sacrificium Missæ *vere* et *proprie* offerre.

ARTICULUS II

De Missæ Ministro ratione licitatis seu jurisdictionis.

205. — *Quæritur* an omnis sacerdos possit ubique Missæ sacrificium *licite* offerre?

Resp. Distinguendum est inter Sacerdotem aliqua censura innodatum, vel diœcesanum, vel extraneum.

1° Sacerdos excommunicatus, vel interdictus a celebratione, vel suspensus ab Ordine aut ab officio, vel irregularis, licite offerre nequit Sacrificium, ex dictis in Tract. *de Censuris*, n. 34, 86, 94, *de Ordine*, n. 70.

2° Omnis Sacerdos *diœcesanus* in propria diœcesi offerre potest Missæ sacrificium absque speciali licentia Episcopi. Ad hoc enim fuit ordinatus a suo Episcopo, ut suum ordinem exerceret; et ideo, vi ipsius ordinationis, censetur a suo Episcopo approbatus ad exercendas functiones, quæ nullam supponunt jurisdictionem, donec ab hujusmodi exercitio non se indignum præbeat ille Sacerdos.

Requiritur tamen parochi consensus, ut quis offerat sacrificium in ecclesia parochiali. Imo Episcopus cogere nequit, sed hortari parochos et rectores ecclesiarum, ut necessaria ministrent presbyteris, servitio parœciæ non addictis, celebrare volentibus in eorum ecclesiis, ex decis. S. Congr. Conc., 15 dec. 1703.

3° Quoad sacerdotes diœcesi *extraneos*, hæc statuit Conc. Trid. : « Nullus clericus *peregrinus sine commendatitiis litteris* ab ullo Episcopo *ad divina celebranda* et sacramenta administranda admittatur... Singuli Episcopi in suis diœcesibus interdicant, ne cui *vago* et *ignoto sacerdoti missas celebrare liceat.* » Sess. 23, c. 16, et supra, n. 176.

Parochi igitur sedulo stare debent statutis diœcesanis

pro licentia Missam celebrandi vel sacramenta administrandi extraneis presbyteris concedenda.

Commendatitiæ litteræ, de quibus agitur in illo decreto et quæ sæpe dicuntur *celebret*, sunt testimonium scriptum ab Ordinario proprio datum sacerdoti extra suam diœcesim peregrinanti, de hujus legitima ordinatione, et carentia impedimenti missæ celebrationi obstantis, vel etiam de ejusdem moribus et doctrina; vide Institutiones canonicas, Tract. 4, n. 41. Presbyteri juramentum non supplet commendatitias litteras, ex c. 2, tit. 22, lib. 1 Decret.

Attamen 1., ex jure communi, pro *ignoto* non habendus est extraneus sacerdos bene notus, qui, licet commendatitiis litteris destitutus, nihilominus sufficienter probat per testes vel alio modo se esse sacerdotem, et quidem commendabilem. Ita praxis quotidiana et communiter auctores.

Item, ex jure communi, litteris commendatitiis non indiget sacerdos ignotus, si litteræ dimissoriæ ad presbyteratum suscipiendum fuerint paulo ante datæ; quia Episcopus approbans ad presbyteratum, satis videtur approbare mores; secus, si magnum interfuit intervallum.

Insuper, sacerdos peregrinus, qui non habet litteras commendatitias, nec ideo ad celebrationem missæ admittitur in ecclesia parochiali, nihilominus potest secreto celebrare, dummodo absit scandalum, cum non sit censura innodatus, nec irregularis, ut supponitur. Ita Layman, Navarrus, Barboza, Sanchez, Bouix; vide Institutiones canonicas, Tract. 4, n. 107, 124.

Cæterum, non potest Episcopus extraneos sacerdotes, litteris commendatitiis munitos, nec ullatenus suspectos, arcere a celebranda Missa, *ob solam rationem quod sint extranei*, ut communiter docent auctores. Sacerdos enim, vi suæ ordinationis, per se jus habet ad Missæ celebrationem; nec jus illud amittit ipso, quod extra diœcesim versatur: alioquin hoc censuræ aut irregularitati æquivaleret: quod a nemine asseritur.

Potest tamen Episcopus presbyteris extraneis, quamvis habeant litteras commendatitias, imponere, ut sexta, aut

ertia, aut unaquaque mense novam facultatem celebrandi obtineant; et hoc præsertim in magnis civitatibus sæpe prudentia exigitur.

Quoad *Regulares* seu religiosos exemptos, vide Institutiones canonicas, Tract. 6, n. 220.

De *condignis* dispositionibus ad licite celebrandam Missam, jam dictum est, n. 120-123; *de Sacram. in genere*, n. 126-129.

ARTICULUS III

De Missæ Ministro obligationibus ratione celebrationis, applicationis, stipendii.

§ I

De obligationibus Sacerdotum quoad Missæ celebrationem.

Procul dubio laudabilius est frequenter, quam raro, Missam celebrare, ut constat Sanctorum exemplis, et uberioribus fructibus ex tanto sacrificio profluentibus. Hic agitur tantum de stricta celebrandi obligatione.

PROPOSITIO PRIMA

206. —*Singuli Sacerdotes tenentur Missæ sacrificium saltem aliquoties offerre*, Certum est.

Prob. 1° *Script.* Heb. 5, ℣ 1 : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia.* Unde sic : ex præcepto naturali, quisque tenetur adimplere et exequi susceptum officium : atqui proprium et velut essentiale Sacerdotis officium in eo consistit, ut Deo sacrificium offerat ; ergo, etc.

2° *Ex Conc. Trid.*, n. 158 : Christus *Apostolis,... eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit, per hæc verba : Hoc facite*, etc.; ergo adest præceptum, et quidem divinum, aliquoties celebrandi.

3° *Ratione.* Unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, juxta illud : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis ;* II Cor. 6, ℣ 1 : atqui opportunitas offerendi sacrificium non solum attenditur per

comparandorum ad fideles Christi, quibus [illegible] menta ministrari, sed principaliter per comparationem Deum, cui, consecratione hujus Sacramenti sacrificatur: ergo Sacerdos, etiamsi non habeat curam a[illegible] rum, non tamen omnino a celebratione cessare. Quare, II M[illegible] v. 15, contra quosdam Sacerdotes dicitur, quod *circa altaris officia dediti erant, contempto templo et* [illegible] *neglectis*. Ita S. Th. q. 83, a. 10.

Sed insuper diuturna hæc omissio aliquem il[illegible] temptum denotat, non leve detrimentum infer[illegible] Sacerdotis et Ecclesiæ, majorem inducit peccandi i[illegible] et vix esse potest absque gravi aliorum scandalo.

Quandonam vero istius obligationis omissio m[illegible] evadat, non constat inter Theologos. « Conclud[illegible] tamen, inquit Bened. XIV, de Sacr. Miss., sect. 2, n. [illegible] *posse sustineri* sententia eorum, qui statuunt *venialit[illegible] tum peccare Sacerdotem*, qui non *habet curam anim[illegible]* nec aliter adstrictus ad Missam celebrandam, *nunqu[illegible] annum celebraret*. »

PROPOSITIO II

207. — *Parochus, vel alius Sacerdos Parochi offi[illegible] gens, tenetur per se, vel per alium, celebrare, saltem [illegible] ties fideles tenentur Missam audire*. Certum est.

Parochus enim, vel Parochi officio fungens, tenet[illegible] pulis sibi commissis dispensare et communicare e[illegible] necessaria sunt, ut præceptis divinis et ecclesiasticis s[illegible] ciant : ergo, quando populi tenentur Missam audire, P[illegible] chus, vel Parochi officio fungens, debet eam celebrar[illegible] saltem curare ut ab alio in sua ecclesia celebretur; q[illegible] ultimum certis in casibus sufficere potest, non tamen [illegible] quenter, nec nisi legitimam ob causam fieri debet.

Unde Conc. Trid., sess. 23, *de Reform*. c. 14, ait : « C[illegible] Episcopus, ut Sacerdotes *saltem diebus dominicis et f[illegible] solemnibus*, si autem curam habuerint animarum, *tam f[illegible] quenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*. » Ead[illegible] habet S. Th. q. 83, a. 10.

Dixi : *saltem quoties*, etc., quia, ut ait Bened. XIV, ib[illegible]

7, « plures alii casus possunt contingere, *quibus Paro-obligentur*, etiam *aliis diebus qui festi non sunt*, Missam *rare*, puta, si cui opus esset infirmo Viaticum minis-e, *nec Sacramenti esset copia.* »

§ II

obligationibus Sacerdotum quoad Missæ applicationem.

16. — *Quæritur* quotuplex sit Missæ fructus, et quo-lo unusquisque applicari possit, aut debeat?

Resp. 1. Fructus Missæ triplex distinguitur, *generalis*, us fideles omnes fiunt participes, *specialissimus*, quo itur Sacerdos, et *medius* seu *specialis*, quem Sacerdos plicat iis pro quibus sacrificium offert.

2. Fructus *medius* potest applicari a Sacerdote; *generalis* plicatur a Christo, qui est principalis offerens. De *specia-ssimo* quidam dubitant utrum alii quam celebranti possit plicari : sed multi negantem tenent. Deinde, quis ferat nistrum Christi eo usque spiritualia spernentem, ut re-intiet fructui sacrificii, quod primum pro se suisque fensionibus offerre tenetur? Quidquid sit, certum est cerdoti non licere pro applicatione fructus hujusmodi ipendium accipere, tum quia nemo per solutionem incer-m debito certo satisfacere potest, tum quia damnata est Alexandro VII propositio contrarium asserens.

3. Sacrificium Missæ non solum ex opere operantis, sed tiam *ex opere operato longe amplius prodest iis, quibus spe-iali intentione applicatur, quam aliis*. Fructus enim Missæ ecundum notabilem sui partem relictus est a Christo Do-nino liberæ Sacerdotis celebrantis applicationi : hoc cons-at ex communi consensu totius Ecclesiæ, quæ approbat norem fidelium postulantium pro se vel pro suis sacrifi-ium peculiariter offerri, et in hunc finem pro dicendis Missis stipendium erogant, et Beneficia fundant. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

217. — *Qui curam animarum habet, tenetur applicare Missam populo, dominicis et festis diebus*. Certum est.

Prob. 1ª *pars* 1° *ex Conc. Trid.*, sess. 23. cap. 1 : « Cum

præcepto divino mandatum sit omnibus, *quibus animarum cura commissa est*, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre*, » etc. : quæ verba non tantum de generali intentione, sed de speciali sunt intelligenda; quoties enim Sacerdos dicitur offerre sacrificium pro quadam communitate, id solum intelligitur de speciali intentione.

2° *Ratione*. Nam Pastor, ratione officii pastoralis, tenetur modo speciali procurare bona spiritualia suis ovibus : atqui unum ex his bonis spiritualibus est sacrificium pro sua parochia oblatum; ergo ad id tenetur saltem aliquoties.

Prob. 2ª *pars*. Benedictus XIV, de Sacrif. Missæ, sect. 2, n. 56, et Const. *Cum semper oblatas*, ait : « Censemus *satis esse*, dum ii, *qui curam animarum exercent*, sacrificium Missæ pro populo *celebrent* atque *applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto*.

Idem expresse decernit Pius IX, in Encycl. *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858.

Præter parochum, Episcopus, post adeptam possessionem, tenetur sacrum pro sua diœcesi *crebro* peragere, ex Clement. XIII Encycl. *A quo die*. sept. 1758, et ex decis. S. Congr. Rit, 12 nov. 1831. Ex decreto autem Leonis XIII *In suprema*, 4 jun. 1882, « 1. omnes et singuli Episcopi, item Abbates jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum territorio separato habentes, ad missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam tenentur in dominicis aliisque festis diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, et qui ex dierum de præcepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis redituum excusatione, aut aliqua quavis exceptione remota. — 2. Idem Episcopi et Abbates huic officio satisfaciunt per celebrationem et applicationem unius Missæ pro universo populo sibi commisso, etiamsi duos vel plures diœceses et abbatias æque principaliter unitas regant. — 3. Præfata obligatio non spectat ad Episcopos *titulares* seu *in partibus*. »

Ad hujusmodi applicationem non adstringuntur Vicarii generales, nec Vicarii capitulares, ex præfata decis. S. Congr. Rit., 12 novemb. 1831. Item, nec capellani mo-

nialium, secularium congregationum, militum, collegiorum, seminariorum, carcerum, nosocomiorum, aliorumque ejusmodi locorum : constat aliunde ex decis. S. Congr. Conc., 2 jun. 1860. Idem verum est de Capellanis curatis, qui animarum curam exercent dependenter a Parocho, cujus ideo sunt simplices coadjutores, potiusquam veri Parochi. Vide *Analecta*, 1862, col. 586, 1863, col. 2273. An vicarius, qui, mortuo parocho, directioni parochiæ ad tempus præponitur, teneatur populo applicare Missam, dubitatur.

Dubitatur etiam an prælati regulares, non habentes jurisdictionem quasi episcopalem territorio separato, pro suis subditis regularibus teneantur suam missam applicare.

Vicarii Apostolici et Missionarii non tenentur applicare missam pro populo diebus festis, nisi agatur de locis in quibus sedes episcopalis ac parœciæ canonice erectæ jam sint, atque ad ea Vicarius Apostolicus, et Missionarii, missi sint ut legitimorum pastorum vices gerant. Ita S. Congreg. de Propag., 23 mart. 1863.

Præfata circa missæ applicationem respiciunt Latinos. Quod attinet ad Orientales, determinatum est a S. Congr. de Propag. 23 mart. 1863. Vide de Angelis, lib. 3, tit. 29, p. 58.

218. — Hinc 1° Parochus, *etsi valde pauper*, non potest stipendium accipere *pro Missa die dominica* celebranda.

Constat ex Constitut. Benedict. XIV, *Cum semper*. Attamen dispensat ille S. Pontifex cum tali Parocho, ut possit accipere quidem stipendium pro Missa diei dominicæ, sed cum onere aliam intra hebdomadam pro populo celebrandi. S. Ligor. n. 325.

Eadem permanet obligatio, etiamsi Parochus nullam pensionem a Gubernio juxta Concordatum promissam, percipiat, ex decis. S. Cong. Conc., 15 sept. 1874, nisi in hoc casu ab hujusmodi eximatur obligatione ex Indulto S. Pontificis.

Imo, si Parochus unus duabus præsit parœciis, duas

applicare obstringitur missas, sive per se, si binandi facultate polleat, sive per alium, sive infra hebdomadam; sed unam applicare sufficeret, si ex duabus parœciis una effecta fuisset cum tituli alterius extinctione. Ita S. Congr. Conc., 22 febr. 1862, 27 febr. 1875; vide n. 260. At quando tamen a S. Sede conceditur ad tempus locorum Ordinariis facultatem dispensandi cum Parochis, qui duas regunt parœcias, et binandi facultate carent, ut unicam applicent missam pro duabus parœciis. Sed ad hoc requirit S. Sedes gravia adjuncta, quæ maximam inducant difficultatem hujus oneris implendi ex parte Parochi.

Equidem Episcopus, vel abbas, qui regit duas aut plures diœceses et abbatias æque principaliter unitas, per unicam tantum missæ applicationem suæ obligationi satisfacit, ex dictis n. 217, Sed alia est parochorum, alia Episcoporum ratio. Etenim parochus festis diebus non modo celebrare pro populo debet, sed etiam in parochiale templum populum admittere, ut Missæ sacrificio intersit, et audiat verbum Dei, et sacramenta pro opportunitate recipiat; dum Episcopi nulla lege hodie jubentur omnibus diebus festis sacrificium in cathedrali templo peragere. Ita in jam allato decreto Leonis XIII, 4 jun. 1882.

219. — Hinc 2° *obligatio* Missam *pro populo* celebrandi, est *personalis*.

Parocho enim incumbit ut parocho; ergo Parochi debent per seipsos applicare Missam pro populo diebus dominicis et festis; nec ulla valet in contrarium consuetudo, qua, v. g., applicatio missæ fit a vicario, quando is alternative Missam parochialem celebrat. Ita S. Congr. Rit. 20 dec. 1864; S. Congr. Conc., 9 apr. 1881.

Similiter Parochus diebus dominicis et festis Missam celebrare debet *in propria parochia*, et non *in alia*, quacunque consuetudine in contrarium non obstante, ex S. Congreg., 1629. Parochus tamen, si die festo a sua parochia sit legitime absens, satisfacit suæ obligationi Missam applicando pro populo, in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali

celebret, et verbum Dei explicet. S. Congreg. Conc., 14 dec. 1872.

Cæterum prædictæ obligationi satisfacit Parochus *per Missam privatam*, ex decis. S. Cong. Rit., 20 dec. 1864. Tunc enim reipsa præceptum Ecclesiæ adimplet; nec tenetur Missam solemnem, aut aliqua certa hora fixam celebrare, ex prælata lege. Sed *melius* est applicare Missam solemnem.

220. — Hinc 3° si Parochus *vicarium commiserit ad Missam pro populo* celebrandam, *stipendium ei tribuere debet*, ex responsione S. Pœnitentiariæ, 1845.

221. — Hinc 4° Parochus *infirmus, aut aliter a celebratione impeditus*, tenetur diebus dominicis et festis *per alium pro populo celebrare;* quod si ita factum non fuerit, *quam primum poterit, Missam pro populo applicare debet.*

Onus enim illud non est tantum personale, sed reale, ut onus prædicandi, et consequenter per alium impleri potest et debet. S. Ligor. n. 326; S. Congreg. Rit., 1720, et Congreg. Conc., 14 dec. 1872.

222. — Hinc 5° Pastores animarum *tenentur pro populo celebrare in festis a Pio VI suppressis.*

Ecclesia enim solum eximit fideles ab obligatione audiendi Missam, et abstinendi ab operibus servilibus illis diebus, et ideo urget, sicut prius urgebat, obligatio Parochi pro populo celebrandi. Ita ex variis declarationibus S. Pœnitentiariæ, et S. Cong. Conc., 25 sept. 1847, ex Encycl. *Amantissimi*, et ex decreto Leonis XIII, 4 jun. 1882, n. 217.

223. — Hinc 6° Pastores animarum *in Gallia* tenentur Missam pro populo celebrare *diebus festis suppressis, aut in dominicam translatis ex concessione Pii VII*, 1802.

Constat ex variis decisionibus Sanctæ Sedis, et præsertim ex Encycl. *Amantissimi*, ex decreto 4 jun. 1882. At, 1. quando una cum solemnitate divinum officium translatum

fuerit in diem dominicam, una tantum Missa pro populo est applicanda, ex præfata Encyclica, 2. Si festum alicui diei affixum alio impediatur festo majoris ritus aut dignitatis, parochus tenetur ad Missæ applicationem pro populo in die ad quem transferuntur *festivitas, officium* et *Missa*; tenetur autem ad hujusmodi applicationem in ipso festo impedito, si *officium* et *Missæ* tantum transferantur, non vero festivitas. Ita ex decis. S. C. Concilii, 24 april. 1875. Unde huic obligationi non satisfacit Parochus, applicando Missam pro populo dominicis, ad quas remittitur tantum solemnitas. 3. Ipso die prædictorum festorum et etiam diebus dominicis, non potest applicari missa defuncto etiam præsente corpore, nec sponsis ad benedictionem nuptialem adstantibus; ita ex Encycl. *Amantissimi* [1].

PROPOSITIO II

224. — *Tenentur Sacerdotes Missam applicare ratione stipendii vel promissionis.* Certum est.

Prob. Id enim exigit lex naturalis, quæ dictat servandos esse contractus, et standum esse promissis.

Attamen 1° Sacerdos, quoties *promittit* se in altari recordaturum cujusdam personæ, vel illius necessitatum, non semper promittit *primariam* intentionem, sed *secundariam* et minus præcipuam : eaque contenti sunt, qui Sacerdotis sacrificio se commandatos cupiunt.

2° Potest Sacerdos *per unum sacrum* satisfacere *pluribus* Missis *gratuito promissis*. Missæ enim gratuito promissæ contractus proprie dictos non inducunt, ne titulo quidem meræ fidelitatis; ita Elbel, *de Contr.*, n. 337. Probabilius autem peccat per se venialiter tantum, qui *omittit* dicere Missam promissam ex *stricta* promissione; ita Lugo.

1. Festa a Pio VI suppressa, sunt : Festa Apostolorum, præter SS. Petri et Pauli solemnitatem; duæ feriæ quæ Pascha et Pentecosten sequuntur; Inventio S. Crucis; festa S. Annæ, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Sylvestri, S. Michaelis, et S. Joseph.

Festa autem a Pio VII *pro Gallia* suppressa aut in diem Dominicam translata, sunt : Circumcisio, Epiphania, solemnitas Corporis Christi, Purificatio, Annuntiatio, Nativitas et Immaculata Conceptio B. M. V., festum SS. Petri et Pauli, nativitas S. Joannis Bapt., festum Patroni parœciæ.

PROPOSITIO III

225. *Missæ fructus applicatio fieri debet ex intentione saltem virtuali, ante consecrationem, alicui personæ certo determinatæ.* Certum est.

Et quidem 1° *ex intentione saltem virtuali*, quæ, nempe, semel habita, non fuit retractata; alioquin jam non perseveraret tempore, quo sacrificium offertur; ac proinde nulla prorsus adesset, ex parte sacerdotis, applicatio illius fructus. « Intentionem applicandi sacrificium *vulgatior* sententia statuit *sufficere habitualem* (virtualem); applicatio enim est *quasi quædam donatio*, seu *translatio fructus*, qui ex Missa percipiendus est, *quæ donatio* seu fructus translatio *valida est*, etiamsi *multo tempore ante facta sit*, et multis actibus *interrupta, dummodo revocata non fuerit.* » Bened. XIV, de Sacr. Missæ, sect. 2, n. 145.

« *Sed*, ut ibidem notat idem S. Pontifex, *tutissima regula* est ut Sacerdos, *antequam ad altare accedat, eas personas* determinet *pro quibus intendit orare; ut illis* Missæ sacrificium *applicetur.* » Idque, cum non sit difficile, est omnino consulendum.

2° *Ante consecrationem*, etiamsi dicatur Missa pro defunctis. Nam sacrificium Missæ operatur tantum suum effectum quando fit, et revera existit, non vero quando præteriit secundum partem essentialem : at consecratio est pars essentialis; ergo Sacerdos ante consecrationem sacrificii fructum applicare debet; et consequenter Sacristæ, priusquam Missæ dicantur, curare debent ut illæ certis personis applicentur.

Dixi : *etiamsi Missa dicatur pro defunctis;* nam quando Missa specialiter pro defunctis celebratur, non satis est fieri eorum commemorationem in posteriori *Memento*, quod vulgo nuncupatur *Memento pro mortuis*, quia ista posterior commemoratio non prodest ex opere operato, sed duntaxat ex opere operantis, sicut plerique notant Doctores.

3° *Alicui personæ aut aliquibus personis certo determinatis*, saltem implicite. Etenim sacrificii effectus non potest manere suspensus : nam statim atque sacrificium substantia-

liter existit, suum specialem fructum producit in eo. cu. Sacerdos determinate applicavit, modo non sit obex. Si autem nemini fuit determinate applicatus, aut si is, ad quem Sacerdos fructum illum direxerat, eo non indiget aut non sit illius capax, tunc fructus ille vel ab ipso Sacerdote percipitur, vel manet in thesauro Ecclesiæ, sicut communiter docent Doctores.

Dixi : *saltem implicite ;* non enim necesse est ut Sacerdoti celebranti nota sit explicite persona, vel illius necessitas propter quam specialiter offert sacrificium ; sed sufficit quod ipsi cognita sit mediate et implicite, quatenus, v. g., Sacerdos suam intentionem conformat et submittit intentioni Sacristæ, vel alterius Sacerdotis, quo mandante aut rogante celebrat.

Unde, Sacerdos qui dat stipendia, ut ab alio Sacerdote plures celebrentur Missæ *pro diversis personis,* sedulo, saltem intra se, determinare debet quonam ordine celebrandæ sint illæ Missæ, an, v. g., Missæ celebrandæ sint primo pro Petro, secundo pro Paulo, etc., alioquin in suspenso remaneret fructus Missæ, et ideo revera nunquam applicaretur Petro, nec Paulo.

226. — *Notandum.* Ex eodem Bened. XIV, ibid., n. 143. debet Sacerdos fructum ei applicare *pro quo tenetur celebrare,* vel *Beneficii,* vel *eleemosynæ,* vel *promissionis,* vel *alicujus præcipuæ obligationis* ratione ; *deinde, sine illius præjudicio,* fructum sacrificii *cæteris poterit applicare, in charitate* sibi conjunctis, seu quovis nomine sibi commendatis, *suam ipsius intentionem Christi summi Sacerdotis intentioni subjiciens.* » Imo poterit Sacerdos primariæ intentioni secundam addere, *substituendo aliquam personam ei pro qua,* ex primaria intentione, sacrificium offertur, *si illa non indigeat tali fructu,* vel *illius capax non sit ;* v. g., offero sacrificium pro Petro defuncto ; quod si ille non indigeat, vel capax non sit, offero pro cognatis, vel amicis, vel pro aliis animabus derelictis purgatorii ; illudque expedit, ne suspensus maneat sacrificii fructus.

[illegible]uper (et ad hoc forsan non satis attenditur), fructu[illegible]

Missæ præcipuus, *vivis* tantum est applicabilis, n. 200; ergo 1. qui dant stipendium pro missa ad defuncti sublevamen, eo ipso petunt, ut illa missa, quoad *præcipuum* effectum, *pro semetipsis offeratur;* 2. consequenter sacerdos illum fructum vivis solummodo applicabilem, reipsa, quando celebrat pro defuncto, applicare debet alicui personæ viventi, juxta intentionem illius qui dat stipendium.

§ III

De obligationibus sacerdotum quoad licitatem stipendii pro Missis, et quoad consectaria stipendii accepti.

NUMERUS PRIMUS

De obligationibus sacerdotum quoad licitatem stipendii pro Missis offerendis.

PROPOSITIO PRIMA

229. — *Licitum est dare et accipere stipendium pro Missis celebrandis.* Certum est.

Prob. Licitum enim est Sacerdoti ministranti, et in commodum populi occupato præbere, quæ ad ipsius sustentationem sunt necessaria, et ea Sacerdos licite accipere potest: *Nescitis,* inquit Apost. I Cor., 9, ✝ 3, *quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant?*

Confirmatur universali praxi Ecclesiæ, quæ in re tanti momenti quidquam justitiæ aut cultus sanctitati contrarium non toleraret.

Aliunde, stipendium non datur tanquam pretium vel ut Missæ compensatio, sed uti eleemosyna seu medium ad sustentationem ministri : porro, cum ad Ecclesiam pertineat providere temporali Sacerdotum sustentationi, necessarium judicavit ut possent recipere stipendia pro quibusdam actionibus sacris, v. g., pro Missæ celebratione; ergo, etc.

Jus autem illud quod habent Sacerdotes stipendium accipiendi, cum nullatenus ab Ecclesia sit limitatum, ideo ad omnes extenditur, quantumvis sint aliunde divites, juxta communem Doctorum sententiam.

PROPOSITIO II

230. — *Sacerdos accipere debet stipendium cum recta intentione, et juxta Ecclesiæ ordinationem.* Certum est.

1° *Cum recta intentione,* scilicet, non quasi pretium consecrationis Eucharistiæ. Hoc enim esset simoniacum; sed quasi stipendium suæ sustentationis : unde culpandus esset, qui nunquam, nisi numerato stipendio, celebrare vellet, quod haberet aliquam venditionis speciem.

2° *Juxta Ecclesiæ ordinationem,* quæ sic loquitur in Conc. Trid., n. 176 : « In primis, *quod ad avaritiam pertinet*, cujusvis *generis mercedum conditiones*, *pacta*, et quidquid pro Missis *novis* celebrandis datur ; necnon *importunas* atque illiberales eleemosynarum *exactiones* potius quam postulationes; aliaque hujusmodi *quæ a simoniaca labe*, vel certe *a turpi quæstu* non *longe absunt*, *omnino prohibeant* Episcopi. »

231. — Hinc 1. illicitum est *pactum omne quo vendi videatur* Missa, *modusque* omnis eleemosynam *exigendi*, qui *turpem quæstus cupidinem* redoleat, et in hoc sensu intelligendum est Conc. Trid., n. 236.

232. — Hinc 2. illicitum est accipere *stipendium justo majus*, seu *superans taxationem a lege vel consuetudine statutam.* Excipe tamen, si quis, noscens taxationem, stipendium offerat solito majus, quia tunc *ex mera liberalitate* aut *intuitu personæ* excessum dare censetur ; aut si in Missa dicenda aliquis foret *labor extrinsecus extraordinarius;* ut si Missa in ecclesia valde dissita esset celebranda. Ita S. Congr. Conc., 31 jan. 1880.

233. — Hinc 3., si quis pecuniæ summam tribueret pro Missis dicendis, *numerum non determinans*, tunc *tot* Missæ essent celebrandæ, *quot* essent *stipendia*, *juxta legem* aut consuetudinem.

234. — Hinc 4. licitum est *pactum pro Missis* celebran-
eo sensu quod possint fideles præbere Sacerdotibus sti-

pendium, et Sacerdotes illud accipere, sub conditione celebrandi Missas, modo serventur conditiones mox enumeratæ: unde ulterius infertur licitas esse *fundationes*, quas ideo semper approbavit Ecclesia, quæ non tacet, nedum approbet vel faciat quæ sunt contra fidem vel bonos mores.

NUMERUS II

De obligationibus Sacerdotum ratione stipendii accepti.

PROPOSITIO PRIMA

235. — *Regulariter et ordinarie Sacerdotes tenentur vel per se, vel per alios, ex integro celebrare, et applicare tot Missas, quot requisitæ fuerunt a dantibus stipendium.* Certum est.

Etenim qui confert stipendium, illius dominium transferre non intendit, nisi sub hac conditione, ut tot pro se celebrentur Missæ, quot ipse requirit; ergo, si accipiens non impleat conditionem, stipendii dominium non acquirit.

Hinc jam memorata damnatio ab Alexandro VII hujus propositionis : « Non est contra *justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere*, et sacrificium *non offerre*, neque etiam est contra *fidelitatem*, etiamsi promittam promissione etiam *juramento* firmata, danti stipendium *quod pro nullo alio offeram*[1].

Valet propositio, etiam pro casu in quo stipendium acceptum esset solito minus, quia tale stipendium accipiens renuntiat juri quod habet solitum accipiendi. Damnata est præterea ab Urbano VIII, anno 1625, propositio contrarium asserens.

1. In plurimis Fœderatorum Statuum Americæ septentrionalis diœcesibus invaluit consuetudo, ut pro unica missa quæ in die commemorationis omnium fidelium defunctorum cantatur, fideles contribuant pecuniam, quæ ordinarie tanta est, ut plurium centenarum Missarum eleemosynas facile exæquet. Porro de hujusmodi praxi sic statuit S. Congr. Conc., 27 jan. 1877 : *Nihil innovetur; tantum apponatur tabella in ecclesia, qua fideles doceantur, quod illis eleemosynis una canitur missa in die commemorationis omnium fidelium defunctorum.*

Hoc enim posito, illi qui singuli integra offerunt stipendia, et contenti sunt ut pro seipsis omnibus una applicetur missa, perinde agunt, ac si ex mera liberalitate pinguem elargirentur eleemosynam.

Dixi 1 : *regulariter et ordinarie;* nam quando auctorit. Episcopi vel aliorum ad quos spectat ex Conc. Trid., sess. 2' c. 4, facta est reductio Missarum, cessat obligatio adir plendi majorem Missarum numerum.

Dixi 2 : *vel per se, vel per alios*, quia utroque modo p test satisfieri obligationi illarum Missarum. Quando aute qui stipendium recipit, debitas ipse Missas non celebr debet curare ut ejus loco alter celebret; tamen, juxta com munem Doctorum sententiam, Capellanus habens perpe tuum vel annuum stipendium ad celebrandum quotidie, s propter infirmitatem aliquot diebus celebrare non possit non tenetur ad has Missas per alium supplendas, præsertim si aliunde sit pauper; quod probatur ex cap. *Significatum*, de Præbendis.

236. — Hinc Sacerdos curare non potest Missam *per alium* celebrari *minus dando, quam ipse accepit.*

Namque, ob speciem turpis lucri, id prohibuit S. Congreg. Conc., decreto approbato ab Urbano VIII, 21 jun. 1625, confirmato ab Innoc. XII, 23 dec. 1697. Idem prohibitum est a Pio IX, Bulla *Apostolicæ Sedis*, 1869, sub pœna excommunicationis S. Pontifici reservatæ; vide Tract. *de Censuris*, n. 63. Qui enim dat Missæ stipendium, regulariter illud destinat pro celebrantis sustentatione, et non pro lucro alterius.

Itaque, qui retinet partem stipendii, tenetur ad restitutionem. Cui autem fieri debeat restitutio, danti scilicet eleemosynam, vel celebranti, controvertitur. Sed potius celebranti restituenda videtur; S. Ligor., n. 321.

Excipiendus est tamen casus in quo excessus stipendii traditus fuerit intuitu personæ, amicitiæ, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis, ex decis. S. Cong. Conc. 25 jul. 1874; aut si alter Sacerdos omnino sponte et non rogatus, excessum priori remittat. S. Ligor., n. 321.

Item, si Parochus, Capellanus, Beneficiatus Missas dicere teneantur ex obligatione suorum beneficiorum, aut si eleemosynæ Missarum extraordinariæ Parochi congruam efforment : in his casibus, Parochi, Capellani, Beneficiati pos-

sunt alteri sacerdoti committere prædictarum missarum celebrationem, si per se satisfacere non possint, attributa illi eleemosyna ordinaria loci, retento sibi majori salario. Ita S. Cong. Conc., 28 mart. 1874.

Id verum est, si agatur, v. g., de Missa conjuncta cum aliqua functione parochiali, uti de Missa pro funeralibus, vel cum officio mortuorum, vel occasione benedictionis nuptialis, vel benedictionis mulierum post partum, vel benedictionis camporum et animalium, etc. Cum enim hujusmodi functiones ad Parochum spectent, censentur Parochiani ad Parochum destinare speciale honorarium pro Missa et functione conjuncta, etiamsi Parochus per se nec Missam celebret, nec functionem peragat; secus vero, si stipendium speciale pro Missis perpetuis datum est ad tutius in posterum obtinendam illarum Missarum celebrationem. Tunc integrum hujusmodi stipendium dandum est Sacerdoti illas Missas celebranti, ex decis. S. Congr. Conc., 7 maii 1672, 13 mart. 1677, 17 jul. 1688, 18 jul. 1868.

S. Congreg. Conc., approbante, confirmante et ad Episcopos transmitti atque ab omnibus servari, contrariis non obstantibus quibuscunque, jubente S. Pontifice, die 31 aug. 1874, sequentia statuit ac declaravit. Scilicet :

1. Turpe commercium sapit, ideoque improbanda est bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et præmiis, vel alio quocunque modo Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam sed libros aliasve merces rependunt.

2. Hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandæ et coercendæ sunt, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur.

3. Turpi mercimonio concurrunt ideoque improbandi sunt atque etiam coercendi, tum ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant,

sive non recipiant quidquam ab iisdem præmii nomi-
tum ii qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt p-
Missis celebrandis libros, aliasve merces harum pretio s-
imminuto, sive integro.

4. Nec Episcopi possunt, nisi de censensu oblatorum ex eleemosynis quas fideles celebrioribus sanctuariis tra-dere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et orna-mento consulatur, etiam quando ea propriis redditibus ca-rent.

5. Non illicite tamen agunt ii, qui pro missis celebrat- recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa qua-vis negotiatione, vel turpis lucri specie.

Ex decis. ejusdem S. Congr., 24 apr. 1875, ephemeridum moderatoribus vel administratoribus permittitur eamdem agendi rationem sequi, dummodo non obsit fundatorum vel oblatorum voluntas, exclusa qualibet missarum collectione.

237. — Quid tandem, si Sacerdos, cui offertur pingue stipendium *pro hodierna Missa, hoc retento,* roget *alium Sacerdotem* ut celebret *pro ipso,* promittens celebrare *die sequenti* pro eodem, qui *pro ordinaria eleemosyna* est celebraturus?

Controvertitur; alii dicunt hoc non posse excusari a specie turpis lucri; ita S. Ligor., n. 322, qui tamen addit illum Sacerdotem de gravi peccato non esse damnandum. Quidam vero sentiunt id fieri posse, quia tunc non retinetur pars stipendii, sed tantum permutantur Missæ et dies.

PROPOSITIO II

238. — *Tenentur Sacerdotes hujusmodi Missas celebrare quamprimum.*

Constat. 1° *ex decretis Summ. Pontificum,* v. g., ex decreto Urbani VII de Celebratione Missarum. Insuper S. Congregatio Conc. expresse declaravit non posse acceptari stipendia Missarum in magno numero, quibus non possit cito satisfieri.

2° *Ratione.* Nam unusquique tenetur quamprimum sol-

·e quod debet: ergo Sacerdotes tenentur quamprimum ere Missas, ad quas obligantur ratione accepti stipendii, talis censetur esse mens tribuentium stipendia; ideoque aviter peccant, qui missas diutius celebrare differunt, si id fiat ex consensu largientium stipendia. Sic in locis ›i fit populi concursus, ob festum alicujus Sancti, vel ob iam devotionem, qui stipendium pro Missis offerunt, cenntur tacite consentire in dilationem, quæ necessaria est : ipsorum et aliorum intentioni satisfiat, nisi forsan aliud cprimant; in quo casu eorum postulationi satisfaciendum st, vel acceptanda non sunt eorum stipendia.

Posset autem contingere ut dilatio unius diei foret peccatum mortale ratione urgentis et imminentis necessitatis, . g., si quis petat Missam hoc mane dicendam pro infirmo ›ericlitanti et morti proximo vel pro lite hodie decidenda; juo in casu et similibus, dilatio inducit obligationem res.ituendi acceptum stipendium, si necessitas jam transacta :uerit.

Extra hos et similes casus, probabilius non peccat graviter Sacerdos, qui Missam promissam intra *duos menses* celebrat. Ex decis. S. Cong. Conc., 24, aprilis 1875, celebrabrationis dilatio ultra sex menses nunquam est protrahenda. In Missis pro recenter defunctis celebrandis, dilatio *unius mensis* gravis reputanda est, juxta S. Ligor., Salm., Lugo. etc. Tandem ad varia Episcoporum statuta est attendendum.

PROPOSITIO III

239. — *Sacerdotes debent Missas celebrare quoad qualitatem et alias circumstantias, quæ a persona stipendium offerente, vel a fundatione requiruntur, nisi justa quædam impediat causa.*

Namque tenentur Sacerdotes adimplere legitimas conditiones, sub quibus temporale stipendium eis confertur; ergo, si persona stipendium erogans postulet, v. g., Missam de B. V., aut Missam pro defunctis, si petat Missam diei in tali ecclesia, vel in tali altari privilegiato, Sacerdos tenetur illas conditiones adimplere, si sub illis stipendium accepta-

verit. Ex decis. S. Cong. Conc., 24 apri. 1775, tran-
dilatio celebrationis missarum fieri nequit nisi com-
factis oblatoribus. Unde si in hoc altari privilegiato ce-
lebraret, teneretur satisfacere modo indicato in Tract.
Indulg., n. 36. Imo si stipendium majus ordinario a-
pisset ad hoc, excessum restituere teneretur. Ita S. Lig.,
n. 329, et alii.

Dixi : *nisi justa quædam causa impediat;* si enim al-
petatur contra Ecclesiæ regulas et approbatas consu-
dines, id fieri non debet; sic, si quis die dominica vel f-
solemni petat Missam votivam, vel Missam de *requiem*,
defuncto pluribus ante diebus inhumato, non erit M-
celebranda juxta ritum postulatum, sed dici pote-
eadem servata intentione, secundum ritum tali die pr-
criptum.

In hoc tamen caveri debet scandalum et indignatio eorum
qui stipendium offerunt, eosque docere oportet nullu-
exinde eorum intentioni fieri præjudicium: nam, v. g.
quando pro defuncto dicitur Missa in honorem alicuj-
Sancti, nihil minus defuncto prodest quam Missa *de Re-
quiem*, quia fructus ex opere operantis, qui provenir
potest ex specialibus orationibus pro defuncto, abunde com-
pensatur per intercessionem Sancti pro eodem defuncto.

Præterea, si in fundationibus aliqua pro Missis dicendis
circumstantia notetur, quæ jam nullatenus vel nisi magna
cum difficultate adimpleri possit, recurrendum erit ad
Episcopum, ut statuat quod magis expedire judicaverit,
sicut jam diximus pro reductione Missarum, n. 255.

Tandem sacrificium Missæ est regulariter applicandum
pro fundatore, quamvis in instrumento fundationis vel ins-
titutionis oneris Missæ in quadam ecclesia, simpliciter
jussum fuerit missam esse celebrandam; secus vero, si
fundator demandaverit celebrationem in commodum, v. g.,
populi, confraternitatis alicujus, etc. Ita S. Cong. *Conc.*,
22 mai, 1875.

240. — *Quæritur* utrum liceat applicare Missam ei qui
primus stipendium offeret ?

Resp. negative. Etenim ille pro quo in tali casu celebraretur Missa, tunc forte non indiget illius applicatione, aut saltem intentionem non habet illius applicationem petendi; quomodo ergo dici potest Missam celebrari et pro illo et secundum illius intentionem: quod tamen requiritur? Præterea, prohibita est hæc anticipatio a Paulo V, his verbis: *Prohibemus dictam opinionem tanquam plurimis nominibus periculosam, fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, atque a vestusto Ecclesiæ more nimium aberrantem.*

Notandum est stipendium percipi posse pro missa in commemoratione omnium defunctorum celebranda. Ita communiter; S. Ligor., n. 338.

Quæ diximus de Missis ratione stipendii celebrandis, eadem cum proportione intellige de Missis, quæ solum ex promissione sunt celebrandæ, n. 224.

CAPUT IV

DE SUBJECTO SACRIFICII MISSÆ

241. — Nomine subjecti sacrificii eos intelligimus, in quorum gratiam offerri potest. Quæstio autem movetur de hominibus *qui adhuc sunt e vivis*, fidelibus, hæreticis, schismaticis, excommunicatis et infidelibus; vel *de iis qui obierunt*: ex iis autem alii e damnatorum numero censentur, alii in igne purgatorii torquenter, alii jam in cœlis recepti sunt.

ARTICULUS PRIMUS

De oblatione sacrificii Missæ pro vivis.

PROPOSITIO PRIMA

242. — *Sacrificium Missæ pro fidelibus omnibus, sive justis, sive peccatoribus, offerri potest et debet.* Certum est.

Prob. Tum ex natura sacrificii, quod est commune Ecclesiæ bonum, ideoque pro omnibus qui ad ipsam pertinent, offerendum; tum ex praxi Ecclesiæ universali, necnon apostolica Traditione. Confirmant ipsa liturgiæ verba, quibus

inter offerendum utitur Sacerdos : *Offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica...., et omnibus orthodoxis, atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus* : quæ verba ad ipsos peccatores se extendunt. Tandem ita docet Concil. Trid., n. 159, 169. Nulla est circa hoc punctum controversia. Quid autem hujusmodi sacrificium conferat peccatoribus, aut justis quomodo, et quid requiratur in utrisque ad hujusmodi effectus, jam dictum est, n. 200-202, 198.

PROPOSITIO II

243. — *Attenta rei natura, non est illicitum sacrificium offerre pro infidelibus, pro hæreticis et excommunicatis, uno verbo pro omnibus viventibus.*

Etenim 1° Apostolus, I ad Timoth. 2, ℣ 2, obsecrat fieri orationes *pro omnibus hominibus*, pro Regibus, etc., qui tunc temporis erroribus paganismi detinebantur : has autem orationes interpretrantur nonnulli Patres de precibus in sacrificio Missæ fieri solitis.

2° Praxis antiqua fuit Ecclesiæ Missam celebrare pro infidelibus : *Sacrificamus pro salute Imperatoris*, inquit Tertull., ad Scapulam ; *pro Rege gentili offerendum est*, declarat S. Chrysostomus.

3° Sacrificium Missæ unum est cum sacrificio crucis ratione victimæ et principalis offerentis : atqui sacrificium crucis pro omnibus omnino hominibus oblatum est ; ergo, etc. Revera valet pro illis saltem quoad effectum impetrationis, n. 197, 200.

Hæc speculative vera sunt : idcirco in propositione diximus : *attenta rei natura*.

244. — *Quæritur* vero utrum in praxi pro omnibus hominibus sacrificium offerre sit licitum?

Resp. Certum est quidem infideles, hæreticos, schismaticos, excommunicatos, nullum jus habere ut sacrificium pro se offeratur ; Missa enim est oblatio facta in nomine *familiæ Christi*, uti declarant ipsa Canonis verba : porro isti vel nondum ad familiam christianam pertinent, vel ab ea merito præcisi sunt.

Pariter ultro fatentur omnes licitum esse fidelibus privatim orare pro infidelibus, etc.; itaque Sacerdos, quatenus homo privatus, potest omnino pro ipsis preces fundere, et ad eos attendere in commemoratione vivorum; indirecte etiam offerre sacrificium pro ipsis potest, petendo scilicet conversionem infidelium, extinctionem hæreseon, et Ecclesiæ Catholicæ exaltationem.

Annotanda est Ecclesiæ praxis : semel tantum in anno in die Parasceves, quo non offertur sacrificium, publice orat Ecclesia pro infidelibus, hæreticis, etc., non autem excommunicatis. Cur autem severior sit Ecclesia erga istos, rationem communiter afferunt Theologi, quod excommunicatio sit pœna ad confringendam delinquentis contumaciam : inde nata videtur prohibitio a canonibus facta, ne nomina excommunicatorum ad altare appellentur.

His positis, contendunt nonnulli licitum esse pro hæreticis et excommunicatis *directe* sacrificium offerre, modo non appellentur eorum nomina, idque solum sanctionibus Ecclesiæ prohiberi putant; ita Estius, Sylvius, Drouin, Billuart. At plerique rem illicitam esse tradunt, juxta praxim et disciplinam hodiernam Ecclesiæ. Censent iidem, quamvis nulla existat expressa prohibitio pro infidelibus, sicut et pro excommunicatis, magis esse conforme hodiernæ disciplinæ pro iis omnibus indirecte tantum sacrificium offerre, ut jam diximus.

Quidquid sit, conveniunt omnes rem non amplius licitam esse, ubi hujusmodi homines jam vita defuncti sunt, ut satis liquet ex prohibitione Gregorio III, Conc. Lateran III, et ex decis. S, Cong. 23 mart. 1859, juxta breve datum a Gregorio XVI, 9 jul. 1842, quæ sic se habet : « Non licet celebrare officium cum Missa *pro alicujus familiæ defunctis*, ex quibus unus protestans obiit. » Vide *Analecta*, 1860, col. 2,390.

ARTICULUS II

De oblatione sacrificii Missæ pro defunctis.

PROPOSITIO PRIMA

245. — *Pie et utiliter offertur sacrificium Missæ pro animabus fidelium in purgatorio detentis ad pœnæ luendæ remissionem.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* II. Machab. 12, ✝ 43, 46 : Judas Machabæus « duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, *offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*, bene et religiose *de resurrectione cogitans.., Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* » Etiamsi liber ille canonicus non foret, ut falso contendunt Protestantes, nihilominus ex eo deduceretur argumentum peremptorium adversus novatores ; illi enim libro denegari non potest saltem fides historica, ac proinde nobis exhibet antiquam Judæorum fidem circa purgatorium et preces pro defunctis : porro, si veteris legis sacrificia levare potuerunt animas defunctorum, a fortiori ad id valet augustissimum Eucharistiæ sacrificium.

2° *Traditione*, quam exhibent SS. PP. Tertull. lib. *de Corona militis*, c. 3 : *Oblationes pro defunctis... annua die facimus*. S. Epiphanius, *Hæres.* 75, Aerium refutans : *Pergit deinde* (Aerius) : *Quæ ratio est, inquit, post obitum, mortuorum appellare nomina?* S. Chrysost. *Hom.* 69 ad populum Antiochenum : « Non frustra hæc *ab apostolicis* sunt legibus constituta, ut in venerandis et tremendis *mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt.* Noverant hinc *multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis.* » Similia habent SS. Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Isidorus Hispalensis, etc., ut ipsi agnoscunt eruditi inter Protestantes.

Ejusdem Traditionis argumentum præbent liturgiæ, quæ omnes memoriam habent defunctorum. Et certe, ab ipso Ecclesiæ exordio, nomina defunctorum in tabulis publicis inscribi solebant, quæ *Diptyca* vocantur, et intra Missarum solemnia palam recitabantur : lectione finita, subjungebat Celebrans : *Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum*, etc.

Quam traditionem sic definivit Conc. Trid., n. 159, 169 : Si quis dixerit, *Missæ sacrificium*..., neque pro vivis et *efunctis*... *offerri debere* : anathema sit. » Idem sanxit sancta ynodus, sess. 25, de Purgatorio.

246. — Nec dicatur quod, si per Missæ sacrificium ju·entur animæ purgatorii, idque juxta principia nostra ex ›pere operato et infallibiliter, n. 201, vix ac ne vix quilem, attenta Missarum quæ ubique celebrantur multitudine, fieri potest ut purgatorium quotidie non evacuetur.

Nam in quonam gradu illis conferatur fructus, nescimus. Cæterum Missa *de Requiem* non magis prodest defunctis, quam Missa de Sanctis, quoad substantiam, seu ex parte *orationum*, quibus majori devotione suppleri potest. S. Th. *Suppl.* q. 71, a. 9; S. Ligor., n. 309; supra, n. 259.

PROPOSITIO II

247. — *Pro damnatis nec offerri potest sacrificium, nec oratio fieri*. Certum est.

Illicitum est enim pro illis offerre sacrificium aut orare, quibus nihil profuturum scimus : atqui preces et oblationes nullius levaminis damnatis esse possunt, quæ sine pœnitentia obtineri nequit; cum autem extra viam sint constituti, nullus jam pœnitentiæ locus est. Neque ad pœnæ relaxationem; in inferno enim *nulla redemptio*, et illorum pœna immobili sententia in æternum est constituta, pronuntiante ipso Christo : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Matth. 25, ℣ 41. Unde S. Augustinus, lib. 21 de Civit. Dei, c. 24 : « Si de aliquibus ita certa esset (Ecclesia), ut qui sint illi etiam nosset qui, licet adhuc in hac vita sint constituti, *tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo*, tam *pro eis non oraret*, quam *nec pro ipso*. »

Equidem Origenis fuit opinio pœnas damnatorum aliquando finem habituras, aut saltem aliqua mitigatione levari posse. Sed prior sententia est hæretica, posteriorem vero S. Th. vocat præsumptuosam, Sanctorum dictis contrariam, nulla fulcitam auctoritate, ideoque penitus repro-

bandam. *Pro valde malis,* id est, damnatis, *nulla sunt adjumenta mortuorum.* Aug. *Ench.* c. 110. Vide Tract. de *Angelis,* n. 76.

PROPOSITIO III

248. — *Sacrificium nec Sanctis offertur, nec pro Sanctis ad eorum subsidium ; offertur vero in memoriam Sanctorum.* Certum est.

1° Sacrificium *Sanctis non offertur.* Sacrificium ad cultum *latriæ* pertinet, quo supremum Dei agnoscimus dominium in res omnes creatas : atqui hujusmodi cultus Sanctis reddi nequit sine gravi Deo facta injuria. Hinc S. August. lib. 8 *de Civit.*, c. 27 : « Quis audivit aliquando fidelium stantem Sacerdotem *ad altare,* etiam *super sanctum corpus Martyris,* ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus : *Offerro tibi sacrificium, Petre,* vel *Paule,* vel *Cypriane?* » Et lib. 20 contra Faustum, c. 21 : « *Non Martyrum,* sed ipsi Deo Martyrum..., *constituimus altaria...* Quod offertur *Deo,* qui *Martyres coronavit.* »

Accedit decisio Conc. Trid., n. 160, eadem fere verba S. Augustini adhibentis.

2° Sacrificium *in Sanctorum subsidium non offertur.* Ratio est evidens ; quid enim Sanctis prodesse posset sacrificium, quibus nihil remanet vel culpæ expiandæ vel luendæ pœnæ, qui de sua salute securi sunt, et jam in cœlis triumphant, ubi videtur quod hic speratur, ubi accipitur quod hic petitur, ut ait S. Augustinus?

3° Offertur *licite* sacrificium *in memoriam Sanctorum.* Illud enim licitum est et tenendum, quod ubique, quod semper tenuit Ecclesia : atqui semper et ubique Ecclesia Missas celebrari permisit in memoriam Sanctorum, tum ut Deo grates rependantur pro collatis in eos beneficiis, tum ut suis nos suffragiis adjuvent, *et intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.*

Ita testantur unanimi consensu omnes liturgiæ christianæ, omnia veteris historiæ monumenta, quæ referunt solitos esse antiquitus Christianos sacra peragere ad memorias seu tumulos Martyrum ; testantur omnes Patres, quo-

um omnium instar sit S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 5 : Cum hoc sacrificium offerimus, inquit, *mentionem* faciius eorum, *qui ante nos obdormierunt*, primum Patriarchaum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, *ut Deus oraionibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras.* »
Confirmavit Conc. Trid., n. 171 : « Si quis dixerit, *imosturam* esse, Missas celebrare *in honorem Sanctorum* et *ro* illorum *intercessione* apud Deum *obtinenda*, sicut Ecclei *intendit* : anathema sit. »

CAPUT V

DE IIS QUÆ AB ECCLESIA PRÆSCRIBUNTUR CIRCA MISSÆ CELEBRATIONEM

Septem erunt hujusce capitis articuli : 1° de loco sacrifiii, 2° de tempore, 3° de altari et ejus apparatu, 4° de asis sacris, 5° de sacris linteaminibus, 6° de Sacerdotum rnamentis, 7° de sacris ritibus et cæremoniis.

ARTICULUS PRIMUS

De loco Sacrificii.

Dicemus de ecclesiæ notione, necessitate et conditionibus ad Missæ sacrificium.

§ I

De notione et necessitate ecclesiæ seu templi.

249. — *Quæritur* 1° quid sit ecclesia seu templum, et an convenienter consecretur?

Resp. 1. Ecclesia definitur : *ædes publica cultui divino permanenter deputata, in qua fideles ad oblationem sacrificii, ad recipienda Sacramenta, aliaque Religionis subsidia conveniunt.*

Dicitur etiam *domus* Dei, juxta illud : « Ut scias quomodo oporteat te in *domo* Dei conversari ; » I Tim., 3. Ecclesiæ majores, principaliores ac digniores vocantur *Basilicæ*. Si Episcopi sedem contineat ecclesia, *cathedralis* est. Cathe-

drales vocantur etiam *matrices*, quia matres et magistr aliarum ecclesiarum totius diœcesis reputantur. Si communitatem habeat ecclesia clericalem, quæ capitulariter congregari et agere possit, cum libero usu sigilli, denominatur *collegiata*.

2. Inter illas ecclesias quædam ritu maxime solemni consecratæ sunt ab Episcopo, per sacri Chrismatis unctionem, et alios ritus in Pontificali præscriptos; aliæ vero solummodo duntaxat benedictæ ab Episcopo, vel a simplici Presbytero ex Episcopi licentia. Ex decis. S. Congr. Rit., 7 aug. 18.. « incumbere debent Episcopi ut ecclesiæ saltem cathedrales et parochiales solemniter consecrentur. Quoad minores ecclesias, si nolint uti jure suo illas solemniter consecrandi, facultatem tribuant sacerdotibus eas benedicendi. »

Convenienter autem *consecratur* illa domus, tum ad repræsentandam sanctificationem quam Ecclesia consecuta est per Passionem Christi; tum ad significandam sanctitatem requisitam in illis qui hoc sacramentum suscipere debent; tum quia, ex consecratione, locus sicut et altare et alia hujusmodi inanimata, adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur cultui divino, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant atque sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde dicitur : *Vere Dei virtus quædam est in loco; nam ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator et adjutor est loci illius;* II Mach., 3, ℣ 38, 39. Et inde est quod loca hujusmodi ante consecrationem emundantur et exorcizantur, ut exinde virtus inimici pellatur. S. Th., 3 p. q. 83, a. 3.

250. — *Quæritur* 2° an nonnisi in ecclesiis celebrare liceat?

Resp: *affirmative*, ex jure communi et ordinario, et constat tum ex canone *Consecrationem*, qui Felici IV tribuitur tum ex Conc. Trid., n. 176. Equidem nullus est a natura vel a Christo determinatus locus, in quo necessario offerendum sit Missæ sacrificium; conveniens tamen fuit ut certa loca cultui divino consecrarentur, ne sacra vilesc-

ent, si ubique fieri cernerentur. Unde *extra ecclesiam, non st locus veri sacrificii*, ait S. Aug.

Quia vero Ecclesia erat in universo mundo fundanda, 'assio Christi celebrata est extra civitatem Judæorum et ub dio, ut sic totus mundus se haberet ad Passionem Christi, ut domus; S. Th., q. 83, a. 3.

231. — Dixi : *jure communi et ordinario;* quædam enim unt **exceptiones, scilicet, 1. Episcopis speciali** privilegio ndultum est, ut possint in altari portatili sacrificare, vel acrificanti assistere, in domo in qua hic et nunc degit, ive intra, sive extra diœcesim, etiam absque licentia)rdinarii loci. 2. Cum debita licentia et servatis præscriptis conditionibus, Missa celebrari potest in littore naris aut navi, pro navigantibus. 3. Nonnunquam permittitur ut Missa dicatur in privato oratorio ad divinum duntaxat cultum permanenter destinato, ordinarie sed non semper benedicto : at nonnisi rarissime id conceditur pro oco, qui antea profanis usibus destinatus erat, et statim postea in eosdem usus restituendus est. In his oratoriis ut capellis domesticis non licet celebrare in festis annualibus, absque speciali Episcopi permissione, ut habetur cap. *Si quis*, de Consecrat. 4. Licet celebrare etiam sub dio in necessitate, v. g., si populi multitudo Missa carere deberet, in castris pro exercitu.

Præterea vigore ordinarii indulti, quo permittitur celebrare in oratorio privato die dominica et festis de præcepto, assistentes non satisfaciunt præcepto, *quando eidem missæ actu non interest aliquis ex iis quibus principaliter Indultum concessum est*, etiamsi sit præsens aliquis ex filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus, sive ex familiaribus in eodem Brevi memoratis; ita ut, solummodo *intuitu præsentiæ* principalis privilegiati, possint cæteri indicati in Indulto frui oratorio privato. Ita S. Congreg. Conc. decreto a Benedict. XIV approbato, 3 dec. 1740. Vide Institutiones canonicas, Tract. 4, n. 131, 134.

232. — Notandum est Episcopos non posse concedere,

ut olim, ad libitum *perpetuam*, neque *temporaneam* licentiam celebrandi in domibus privatis, vel in locis ad cultum non destinatis, ut patet ex Conc. Trid., n. 179. Excipitur casus, in quo graves adsunt causæ et urgentes, et per modum actus transeuntis tantum. Ita S. Cong. Con., 20 sept. 1856. Vide Institutiones canonicas, Tract. 4, n. 133.

§ II

De conditionibus ecclesiæ, ut in ea liceat celebrare.

In interdicta ecclesia celebrare non licet, ex dictis in Tract. *de Censuris*, n. 89. Itaque hic agendum superest tantum de ecclesia polluta vel exsecrata. Scilicet,

253. — *Quæritur* 1° an liceat celebrare in ecclesia *polluta* vel *exsecrata?*

Resp. 1. *Non licet* celebrare in ecclesia *polluta*. Etenim ecclesiam violari vel pollui, nihil aliud est quam in ea committi aliquid ejus sanctitati repugnans; propter quod jure ecclesiastico prohibetur ne ibi Missa vel divinum Officium celebretur : atqui illud ecclesiasticum præceptum omnino justum est, et in materia gravi; ergo obligat, et quidem sub mortali peccato.

2. *Non licet celebrare in ecclesia exsecrata*. Namque ecclesia exsecratur, cum amittit suam benedictionem vel consecrationem : porro, ex can. *Ecclesiis*, prohibetur celebratio Missæ in tali ecclesia; ergo, etc. Et vero exsecratio est irregularitas seu quasi censura jure ecclesiastico introducta, ut divina officia in aliquo loco non nisi decenter celebrari possint.

254. — *Quæritur* 2° quomodo polluatur vel exsecretur ecclesia?

Resp. 1. *Polluitur* per *homicidium*, *sanguinis* vel *seminis humani effusionem*, per *sepulturam hæretici* vel *excommunicati vitandi*, aut *hominis infidelis* vel *non baptizati*.

Et quidem per *homicidium*, ut constat ex can. *Si motum* de Consecr. dist. 1. Debet autem illud homicidium es-

luntarium, et ecclesiæ injuriosum; quod fit quando iis hominem in ecclesia existentem voluntarie occidit, l lethaliter vulnerat, vel etiam aliam physicam mortis usam ibi ponit, v. g., suffocationem, veneni propinatioem, etc. Hinc ecclesia non erit polluta, si homicidium fiat im moderamine inculpatæ tutelæ, aut si quis extra ecesiam vulneratus in ea moriatur.

Per *mortaliter culpabilem hominis percussionem*, unde ritur *notabilis effusio sanguinis*, quamvis *mors non sequauatur*. Id patet ex can. *Ecclesiis*, de Consecr. dist. 1. Requiritur autem ut illa sanguinis effusio judicio Episcopi enseatur notabilis, per proportionem ad partem unde luit; non enim judicatur de copia sanguinis per nares luentis, eodem modo ac si per aliud membrum flueret. Non est autem necesse ut sanguis fundatur inter ipsam ecclesiam, sed satis est quod homo in ecclesia existens ita sit vulneratus, ut inde sequatur notabilis effusio sanguinis. E contra, si percussio fiat extra templum, in quod postea læsus ingrediatur, et ibi sanguis effluat, ecclesia non erit violata.

Per *voluntariam effusionem humani seminis*. Id patet ex canone *Ecclesiis*, de Consecratione, dist. 1. Non refert autem an illa effusio seminis fiat per voluntariam pollutionem, aut copulam etiam conjugalem, quæ in hoc casu est mortaliter illicita.

Per *sepulturam* etiam inculpabilem *hæretici*, vel *cujusvis excommunicati vitandi*. Id colligitur ex cap. *Consuluisti*, de Consec. ecclesiæ et altaris, ubi Sum. Pont. Innoc. III sic loquitur : *Cœmeteria in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt;* ergo a fortiori reconcilianda erit ecclesia, si intra illam excommunicatus fuerit sepultus. Secus autem dicendum, si hæreticus vel quivis excommunicatus non sit denuntiatus, quantumvis notorius.

Per *sepulturam*, etiam inculpabilem *hominis infidelis*, vel *non baptizati*. Id colligitur ex can. *Ecclesiam*, eod. titulo. Porro jactari debet foras corpus infidelis, si facile discerni possit ab aliis, alioquin ibi erit relinquendum, et satis erit ecclesiam reconciliare.

Quantum vero ad infantes non baptizatos, si in utero matrum mortui essent, simul cum matribus fidelibus sepeliri poterunt, quia mater cum suo fœtu quasi unum corpus censetur; non autem si illi infantes extra matris uterum sint mortui, inde enim pollueretur ecclesia, sicut communiter sentiunt Doctores, contra quosdam.

Adverte autem, generatim loquendo, factum illud per quod ecclesia violatur, debere esse *publicum et notorium* vel *per evidentiam aut divulgationem facti*, vel *per juridicam probationem*.

Præterea, necesse est ut factum illud perpetratum fuerit in spatio pertinente *ad interius ecclesiæ corpus*; si enim v. g., fieret homicidium in turri campanaria, non proinde violatur ecclesia; si fieret in cœmeterio, violaretur quidem cœmeterium, non tamen Ecclesia, licet quando ecclesia violata est, censeatur etiam violatum cœmeterium eidem ecclesiæ contiguum, sicuti declaravit Sum. Pont. Bonifacius VIII, de Consecratione eccles., in Sexto, *ne*, inquit, *minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur*.

Jus canonicum, ubi de violatione ecclesiarum, silet de oratoriis privatis et capellis domesticis; unde inferunt Theologi et Canonistæ ea nullo modo violari. Attamen in pluribus Diœcesibus *ipso facto* revocatur licentia in illis celebrandi.

2. *Exsecratur* ecclesia, seu benedictionem aut consecrationem suam amittit, si *comburatur, corruat, destruatur*, vel *ex toto* vel *ex majori parte, simul et semel*, imo si *solum parietes interius decrustentur*.

Constat ex can. *Ecclesiis*. Revera consecratio ecclesiæ præsertim parietibus inhæret; in iis enim fiunt cruces et chrismatis unctiones; quare deficit consecratio, quando non manent moraliter iidem parietes, quod evenit in casibus supra dictis. Si vero per minores partes paulatim deficiant et reparentur parietes, non deperditur consecratio, neque si, manentibus parietibus, tectum et ligna comburantur, ut expresse docet Innoc. III, c. *Ligneis*.

Si, ex aliqua causa, nulla sit consecratio altaris, valida

t nihilominus ecclesiæ consecratio, ex decis. S. Congr. t., 21 sept. 1871.

255. — Hinc polluta ecclesiæ *parte*, *integra* ecclesia pol-i censetur, etiam cum cœmeterio adjacente. E contra, xsecrata ecclesia, non ideo exsecratur cœmeterium, nec ltaria fixa et integra consecrationem amittunt.

Juxta multos, ecclesia duntaxat benedicta, per parietum estructionem suam benedictionem non amittit : nec est ecesse ut ipsa denuo benedicatur, sed ut parietes refi-iantur, quia, inquiunt, benedictio ecclesiæ inhæret præ-sertim solo seu pavimento. Sed hæc sententia minus reverentiæ et securitatis in praxi habere videtur, inquit Collet.

Tandem, licet per exercitium hæreticum, aut aliam quamlibet gravem irreverentiam non violetur ecclesia, decet, et praxis habet, ut cum aliqua cæremonia ex nutu Episcopi reconcilietur, quod in simili casu intellige de altari.

256. — *Quæritur* 3° quid agendum sit quando contingit ecclesiam pollui aut exsecrari ?

Resp. Quando contingit ecclesiam violari, hoc præsertim observandum est : si Sacerdote celebrante violatur ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa ; si post Canonem, non dimittatur. Sic præscribit Rubrica, titulo de *Defect. Missæ*, n. 2.

Quando ecclesia fuit consecrata, non potest absque speciali dispensatione Sum. Pont. per simplicem Sacerdotem reconciliari, sed duntaxat per Episcopum, saltem juxta communem Doctorum sententiam ; quæ innititur tum pluribus canonibus, ut c. *Aqua*, de Consec. Eccles., tum consuetudine Ecclesiæ.

Ecclesia duntaxat benedicta potest a simplici Presbytero reconciliari, etiam absque Episcopi permissione, si non sit facilis ad eum recursus.

Dignosci autem potest an templum fuerit solemniter ab Episcopo consecratum, non solum ex registris ecclesiæ et

vulgari fama, sed etiam ex ipso templi conspectu; nam in parietibus templi consecrati depictæ vel etiam insculptæ fuerunt 12 cruces intus, per circuitum ; quæ cruces super terram octo circiter pedibus elevatæ sunt, et ad caput cujuslibet crucis infixus est clavus[1].

ARTICULUS II

De Tempore, quo celebrandum est.

Tria hic aperienda sunt : 1. quibus diebus celebrare liceat, 2. qua hora, 3. an pluries eadem die.

PROPOSITIO PRIMA

257. — *Singulis anni diebus celebrare licet, excepto triduo Majoris Hebdomadæ, proutmodo explicabitur.*

Constat ex Traditione et consuetudine Ecclesiæ.

Dixi : *Excepto triduo Majoris Hebdomadæ;* nam Feria vi in Parasceve, nemini licet celebrare, sicut docet Innoc. I in Epist. 1 ad Decentium, nec illo die præterquam infirmis sacra communio dari consuevit. Feria v autem, a *solo* Rectore vel primario Sacerdote sacrificium celebratur, in quo cæteri Sacerdotes communicant, et prohibetur ne singuli Sacerdotes celebrent. Vide *Acta S. Sedis*, t. 1. p. 495 t. 4., p. 137.

Denique in Sabbato sancto Missa olim non cantabatur, sed tantum in nocte Dominicæ Resurrectionis; postea ob graves rationes mos fuit eamdem Missam cantare circa meridiem ejusdem Sabbati : solam autem hanc solemnem Missam celebrare licet. « Nec licitum est Missas celebrare in die Sabbati sancti in quibuscunque ecclesiis et oratoriis, non obstante quacunque contraria consuetudine, prout, Papa approbante, decreto generali statuit S. Congregatio Rituum. » Ita anno 1690, 1821.

1. Ex decis. S. Congr. Rit., 4 maii 1882, 1. non licet consecrare ecclesias, in quorum subterraneis locis spectacula, theatri more, ad juventutem præsertim honeste exercendam, peragenda essent, quia ecclesia cum sua parte subterranea consecratur per modum unius; 2. nec licet, nisi habeantur sufficientes cautiones, consecrare ecclesiam pertinentem ad laicam familiam, quæ hæreditaria ratione posset transmitti, aut vendi, aut in usum profanum converti.

PROPOSITIO II

258. — *Ab aurora usque ad meridiem celebrare licet, non autem multo ante vel post, saltem ordinarie loquendo.*

Assertio certa est, tum ex c. *Necesse*, de Consec., dist. 1, tum ex consuetudine Ecclesiæ et Doctorum consensu.

Dixi : *non multo ante vel post*; nam Theologi vulgo sentiunt satis esse si Missa initio auroræ finiatur, vel circa meridiem incipiatur : unde hoc tempus non mathematice, sed moraliter accipiendum est. S. Ligor., n. 341 [1].

Licet autem tempus celebrationis intervertere, 1. ex privilegio a Papa vel Episcopo concesso. Ubi est mos rationabilis, v. g., ut opifices et famuli summo mane possint sacrum audire; pariter in quibusdam populosissimis urbibus Missæ dici solent usque ad unam horam post meridiem vel circiter. 3. In casu gravis necessitatis, v. g., ad Viaticum infirmo præbendum, quo casu licet etiam media nocte celebrare. Vide S. Ligor., n. 343 et seq.

Extra hos casus, et juxta communiorem et probabiliorem sententiam, ut gravis non habetur immutatio, nisi celebratio hora *integra*, ante vel post tempus ratum fixumque incipiatur. S. Ligor., n, 346.

PROPOSITIO III

259. — *Regulariter et ordinarie semel tantum in eadem die celebrare licet.*

Propositio constat, et *prob.* ex Ecclesiæ consuetudine et variis canonibus. « Christus enim semel passus est, et totum mundum redemit; et *valde felix est,* qui *unum digne* celebrare potest ! » S. Th. q. 83, a. 2, ad. 5.

Excipitur autem 1. dies Nativitatis Dominicæ, in qua, ex antiqua consuetudine, Sacerdotes tres Missas celebrare pos-

1. Ex decreto S. Cong. Rit., 1634, quoad regiones carentes aurora, « intelligitur moraliter de tempore quod æquivalet et correspondet auroræ, hoc est, *de exordio diei civilis, moralis* et *usualis*, in *quo homines diluculo surgere solent ad opera*, juxta receptas et approbatas regionum consuetudines. » Quare in hieme, ex usu communi dicuntur Missæ jam a quinta hora post dimidiam noctem, id est, saltem integra et dimidia hora ante auroram astronomicam.

sunt, quibus repræsentantur tres Christi Nativitates, scilicet æterna ex Patre cœlesti, spiritualis in hominum cordibus et temporalis ex B. M. V.; S. Th. q. 83, a. 2, ad. 2. Tamen singulis Sacerdotibus non incumbit obligatio ter celebrandi, nec populis tres Missas audiendi; atque, quando unam tantum missam celebrat illa die, Sacerdos legere debet Missam quæ respondeat circiter horæ juxta Rubricas peculiares ejusdem diei. Ita ex decis. S. Congreg. Rit., 19 jun. 1875.

Non licet autem celebrare tres illas Missas *ante auroram*. Id enim expresse prohibet rubrica missalis, quæ sic habet: prima Missa dicitur *in nocte*; secunda *in aurora*, et tertia *in die*. Constat etiam ex decreto S. Cong. Rit., 1702, ubi dicitur: « Non licet *in media nocte* Nativitatis Domini celebrare *successive duas alias* (Missas), et *communionem sacram* exhibere. » Contrarius tamen viget usus in pluribus locis, in Gallia præsertim.

Tres illas missas non potest de B. Virgine celebrare Sacerdos, cui ratione infirmitatis, aliave rationabili causa, a S. Sede potestas facta est quotidie celebrandi Missam votivam de B. Virgine. Ita S. Congr. Rit., 28 apr. 1866.

260. — *Quæritur* autem an, præter diem Nativitatis, nunquam liceat duas Missas eadem die celebrare?

Resp. Licet, quando tres conditiones simul concurrunt, nempe, necessitas ex parte populi, deficientia sacerdotis, permissio Episcopi.

Et quidem 1. *necessitas*, non quidem absoluta, sed *moralis* aut vera utilitas *ex parte populi*. Non sufficit enim necessitas alicujus personæ quamvis dignitate fulgentis, nec casus de nuptiis, quia differri non possunt, sed requiritur necessitas alicujus partis populi, vel alicujus communitatis, qui missam die dominica aut festo de præcepto non audirent sive propter locorum distantiam, sive ob alia impedimenta, nisi plures celebrentur missæ: qualis esset communitas aliqua constans viginti personis et uno milliario ab ecclesia distans, ex decis. S. Cong. 1847. A fortiori necessitas censetur ex parte populi, si idem parochus duas simul habeat parœcias, nec populus in alterutram conve-

nire possit; imo in hoc casu non solum potest, sed plane tenetur Parochus bis eodem die missam celebrare. Ita Benedict. XIV, Constitut. *Declarasti*; S. Congr. de Propag. fide. 1870; S. Congr. Conc. 22 feb. 1862[1].

2. *Deficientia Sacerdotis* vera et proprie dicta, adeo ut, si adsit alius Sacerdos qui nolit celebrare ad commoditatem populi, licet possit, illum ad hoc cogere potest Episcopus. Ita Benedict. XIV et S. Congreg. Conc.

3. *Permissio Episcopi*. Nam, ex eodem decreto S. Cong., Ordinarium est judicare num revera necessitas urgeat, ut Sacerdos duas Missas celebrare cogatur; nec aliter utendum est concessa hac iteratione, quam juxta conditiones ab ipsis apponendas, non obstante quacunque consuetudine.

Attamen Parochus secundam missam eodem loco celebrare potest etiam absque licentia Episcopi, in uno aut altero casu, præsertim repentino, et in quo non facile pateat aditus ad Episcopum, si aliunde certus adesse videatur sufficiens necessitas a jure requisita, qualis esset si viginti homines Missa die festo aut dominica carere deberent.

Tandem nunquam recipi potest eleemosyna pro missa secunda, quicunque sit qui eam celebret; neque, ad hanc eleemosynam recipiendam, allegari potest titulus egestatis seu defectus redituum. Ita ex præfato decreto S. Congreg. Conc.

Sed, ex decisione ejusdem Congreg., 25 martii 1861, Parochus, qui, pro necessitate circumstantiarum, diebus dominicis et festis de præcepto bis celebrat, recipere potest, ex prudenti arbitrio Episcopi, remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missæ. Attamen ex decis. S. Congr. Conc., 14 sept. 1878, Sacerdotes qui inter se conveniunt de una missa ce-

1. S. Congr. Conc., 24 aug. 1878, approbante S. Pontifice, permisit, deficiente alio sacerdote, duas missas celebrari ab eodem sacerdote, scilicet, pro diœcesi Lingonensi, in festis Circumcisionis Domini, Imm. Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. Virginis, feria quarta cinerum, feria quinta in cœna Domini, feria secunda post Pascha et post Pentecosten, in commemoratione generali fidelium defunctorum, in festo S. Stephani; et pro diœcesi Turonensi, in die Circumcisionis et feria in cœna Domini.

branda pro sacerdote confratre defuncto, licite possunt applicare Missam binationis pro confratribus defunctis.

Duos calices adhibere potest Sacerdos, cum duas celebrat Missas eadem die in ecclesiis longe dissitis, ex dec. S. Cong. Rit., 11 mart. 1858. De his omnibus vide *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 10, 14; t. 2, p. 300; t. 3, p. 604; t. 9, p. 302.

ARTICULUS III

De Altari, et ejus apparatu.

§ I

De Altari.

260 [1]. — Duplex distinguitur altare, *fixum* scilicet, quod in canonibus et Rubricis vocatur *Altare* simpliciter et sine addito; et *portatile*, quod in Rubricis vocatur *Ara lapidea*. Altare fixum est illud quod consecratur ut ibidem immobiliter perseveret.

Unde requiritur 1. non quidem ut pars altaris superior seu mensa sit ex integro lapide, sed adeo calce conjuncta, ut lapis consecratus amoveri non possit; 2. ut saltem columellæ, quibus mensa sustentatur, sint ex lapide, ex decis. S. Congr. Rit. 7 aug. 1875; 3. ut altare sit *plenum* seu cum lateribus ita clausis, ut, post consecrationem, nihil intra altare immitti possit, etsi tamen aliquid vacui subtus altare ipsum possit permanere, ex decis. S. Congr. Rit., 21 sept. 1872.

Altare vero portatile seu *viaticum* est illud quod consecratur, ut de loco in locum transferri possit. Ita S. Congr. Indul., 15 dec. 1841.

PROPOSITIO

261. — *Ad licite offerendum Missæ sacrificium necessario requiritur altare lapideum, et ab Episcopo consecratum.*

1° *Altare*. Ex praxi Ecclesiæ, quæ a primis seculis altaria adhibuit ad Missam celebrandam, sicut unanimiter docent SS. Patres. Per altare enim significatur ipse Christus, de quo dicit Apost., Hebr., 13, ℣ 15 : *Per ipsum offeramus*

ıstiam *laudis Deo*. Unde et consecratio altaris significat ınctitatem Christi. S. Th. q. 83, a. 3, ad 2.

2° *Lapideum*, ut probatur ex pluribus canonibus, et ex ıtiqua Ecclesiæ consuetudine. Et vero, hoc competit 1. *sig- ificationi* hujus sacramenti, tum quia altare significat Chris- ım : porro dicitur : *Petra autem erat Christus*, I Cor. 10, 5 ; tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit econditum. 2. Competit etiam quoad *usum* sacramenti. ıapis enim et solidus est, et de facili potest inveniri. In ve- eri autem lege præscriptum erat altare fieri de terra, vel le lapidibus inscitis ad idololatriam removendam. Tandem ommunissime negatur aram posse fieri ex duobus lapidi- ous adjunctis : tunc enim unitas Christi non repræsenta- ·etur.

3° *Ab Episcopo consecratum*. Namque non licet Missam celebrare nisi in altaribus consecratis, ut patet ex pluribus canonibus : porro simplices Sacerdotes nec licite, nec va- lide possunt altaria consecrare, saltem absque Sum. Pont. dispensatione, sicut docet Conc. Hispalense II. Imo, hoc privilegium nunquam, vel nisi rarissime, simplicibus Sa- cerdotibus concessum est ; ergo, etc. [1].

262. — *Quæritur* quomodo altare suam amittat conse- crationem ?

Resp. 1. Tam fixum quam portatile perdit consecratio- nem per fracturam *enormem* seu notabilem ; S. Cong. Rit., 1821, 1867. Fractura censetur *enormis* 1. si tabula

1. Ex decisione S. Congr. Rit., 31 aug. 1867, 1. convenit ut in ecclesia solummodo benedicta saltem unum altare fixum erigatur, sitque altare principale ; 2. altaris portatilis reliquiæ recondendæ sunt in sepulcro intra lapidem effosso, et claudendæ cum parvo operculo ex *lapide* etiam confecto.

Unde altaria, quorum sepulcrum reliquiarum *cera* sigillatur, vel *gypso* cooperitur atque firmatur, *nova indigent consecratione*. Sufficit autem ad novam consecrationem, ut, prudenter capta occasione, Episcopi, aut etiam simplices presbyteri, hoc tantum in casu Apostolicæ Sedis nomine delegandi ab Episcopo, signent sacro Chrismate sepulchrum, dicendo orationem : *Consecretur* et *sanctificetur*, etc.; ac postea, reconditis reliquiis cum tribus granis thuris, et superposito operculo lapideo et firmato, dicatur oratio : *Deus qui ex*, etc., ut in pontificali. Ita S. Congr. Rit., 9 sept. 1880.

fuerit in duas vel plures notabiles partes divisa, ita ut continuationem, integritatem et substantialem unitatem amittat 2. si per fractionem divisa sit una ex lateralibus crucibus ab Episcopo in altaris consecratione specialiter benedictis, vel aliqua ex partibus ubi peculiares unctiones adhibitæ fuerunt, candelæ accensæ, thus crematum. S. Cong. Rit. 1857.

2. Tam fixum quam portatile amittit consecrationem quando remotæ sunt reliquiæ, vel tantum confractus est parvus ille lapis, qui sigillum continet, et claudit repositorium reliquiarum, quod sepulcrum dicitur. S. Cong. Rit. 1686, 1855, 1844, 1867.

3. Altare fixum, non autem portatile, perdit consecrationem per amotionem lapidis seu mensæ superioris a sua basi; quia cum sua basi in loco juncturæ ungitur, et cum eadem idem altare constituit. S. Cong. Rit., 1819, 1855.

4. Altare fixum, non autem portatile, profanatur, dum Ecclesia polluitur, quia est pars ecclesiæ, non tamen, dum ecclesia simpliciter amittit consecrationem per destructionem parietum, quia destructio solum afficit objectum destructum.

5. Altare vero non perdit consecrationem per modicam fracturam in uno aut altero cornu, neque si aliqui tantum lapides structuræ inferioris altaris fixi dimoveantur, modo ipsum altare maneat moraliter integrum. In casu levis fractionis, partes avulsæ tanquam inutiles removendæ sunt. Altare fixum, in quo ab antiquo tempore missa celebrata semper fuit, potest haberi pro consecrato, etsi nulla extet hominum memoria nec de ecclesiæ, nec de altaris consecratione; ita S. Congr. Rit., 31 aug. 1867.

Cæterum, in eadem ecclesia vetita est erectio capellæ vel altaris in honorem alicujus Sancti, cui alia ibi jam erecta reperitur. Non prohibetur autem ut plures erigantur capellæ in honorem B. M. Virginis et D. N. Jesu Christi, sub diverso titulo. Ita S. Cong. Rit., 31 jan. 1875.

§ II

De altaris Apparatu.

263. — Ad licitam Missæ celebrationem requiruntur in altari Mappæ, Antipendium, Crux, Missale et Lumen, de quibus singulatim breviter dicendum.

Itaque 1. requiruntur *mappæ*, ut probatur ex can. *Altaris palla*; de quibus insuper sic loquitur Rubrica : *Altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quæ ad terram usque pertingat, duabus aliis brevioribus vel una duplicata*. Arbitrantur quidam Doctores ex rigore præcepti sufficere duas mappas, quibus corporale superimponatur : et in casu necessitatis ita celebrare licet, quo etiam in casu liceret celebrare cum mappis non benedictis. Cæterum, ex lino aut tenui cannabe debent esse confectæ. S. Ligor., n. 378.

2. *Antipendium* seu pallium, quo ornata esse debet altaris pars anterior; non enim absque irreverentia Sacrum fieret in altari denudato. Excipe tamen si altaris illa pars anterior marmore aut pictura aut simili modo foret ornata.

3. *Crux*. *Super altare*, inquit Rubrica, *collocetur crux in medio*. In decreto Benedict. XIV, 1746, dicitur : « ut *nullo modo fiat* sacrificium, nisi *crucifixus* inter candelabra *ita promineat*, ut Sacerdos ac populus eumdem crucifixum *facile* et *commode intueri possit*; et *imago* non sit *ita tenuis*, ut ipsius Sacerdotis et populi *oculos pene effugiat*. »

Crucifixus autem in altari non requiritur cum tanto rigore quo requiritur crux ; nam per solam crucem jam habetur sacrificii cruenti repræsentatio. Ita S. Ligor., n. 393, et multi alii. Sufficit tamen *crucifixus in majori tabula vel pictus vel cælatus, dummodo primum locum obtineat præ cæteris omnibus quæ in eadem tabula exprimuntur* ; ita S. Cong. Rit., 1613.

An vero poni debeat crux super altare, quando ibidem expositum est SS. Sacramentum, 16 jul. 1746 decretum est *ut quælibet Ecclesia morem et institutum quod antea ser-*

vaverat, in posterum quoque retineret. Bened. XIV, *de sacri Missæ*.

4. *Missale*, et quidem sub gravi, propter errandi periculum in re tam gravis momenti. Item in altari apponi solent *tabellæ secretarum*, et *pulvinus*, pro majori commoditate : quæ propter consuetudinem non adhibere, *indecens* foret.

5. *Lumen*, tempore sacrificii adhibendum est in altari et quidem sub *gravi præcepto*. Illud debet esse duplex ex Rubr. Si vero fiat cum uno tantum, veniale non excedit : a quo proinde quæcunque rationabilis causa, etiam mera devotionis, secluso scandalo, excusat; S. Ligor. 394. Solis autem Cardinalibus, Episcopis et Abbatibus usum pontificalium habentibus, licet cum quatuor candelis celebrare, ex S. Cong. Rit., 1627. Insuper candelæ debent esse ex *cerea,* non vero ex alia materia, ut oleo vel sebo, nisi aliqua necessitas illud permittat; nec *stearina*, ut dicunt, ex declar. S. Cong. Rit., 1850, 10 dec. 1857. Si vero candelæ non sint ex cera nisi pro quinta aut sexta parte, uti usus sat generalis in Gallia viget, acquiescendum est sententiæ Episcopi respectivi, ex S. Congr. Rit., 8 mart. 1879. Nec licet super altare, una cum candelis ex cera confectis, lumina ex gaz accendere, ad majorem splendorem obtinendum; S. Congr. Rit., 13 apr. 1883.

Requiritur ut super altare collocenter candelabra ad Missam celebrandam; nec tolerari potest ut pro sex candelabris hinc et hinc in utroque altaris latere collocandis, duo candelabra septiformia ad instar candelabri mosaici ponantur. Ita eadem S. Congr., 16 sept. 1865.

264. — Hic notandum extra tempus sacrificii semper ardere debere lumen ante altare ubi servatur SS. Sacramentum, ut patet ex inviolabili totius Ecclesiæ consuetudine : unde tenentur Rectores ecclesiarum curare, *sub peccato mortali*, ut nunquam desit lumen ante SS. Sacramentum. Illos autem sola necessitas excusare potest. Ex decreto S. Congreg. Rit., 9 jul. 1864, a S. Pontifice confirmato, ad hoc « generatim utendum est oleo olivarum ; ubi vero haberi

nequit, remittitur prudentiæ Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetalibus. » Unde non absolute excluditur petroleum, de quo in quæstione agebatur. Vide *Analecta*, 1864, col. 859. Nec in expositione SS. Sacramenti lumina ab oleo etiam ex parte tantum substitui possunt luminariis cereis, ex decis. S. Congr. Rit., 27 jun. 1868; nec, nisi in casu tantum necessitatis, ex prudentia Ordinariorum, adhiberi potest petroleum vel aliud oleum ex vegetalibus ad illuminandam ecclesiam, ex decis. 30 mart. 1869. — Potest lampas ardens coram SS. Sacramento cooperiri velo, præcavendi humoris causa, ex decis. ejusdem Cong. 16 sept. 1865.

Ante idem altare poni debet conopeum decenter ornatum, atque confectum serico. aut lino. aut xylo, ex Rituali Romano, et ex decis. S. Congr. Rit., 21 jul. 1855. Ad hoc color niger semper excluditur, color albus omni tempore permittitur, exceptis diebus pœnitentiæ et funeribus officiis, pro quibus præscribitur color violaceus. Aliunde convenit ut conopei color idem sit ac ille, qui imponitur pro officio cujusque diei.

Demum in uno tantum altari servari potest SS. Eucharistia, ex eadem S. Cong., 17 mart. 1861.

ARTICULUS IV

De Vasis sacris.

PROPOSITIO

265. — *Non potest sacrificium Missæ celebrari absque calice et patena ab Episcopo consecratis.*

1. Quod requirantur calix et patena, probatur ex universali Ecclesiæ consuetudine, quam testantur SS. Patres et Concilia.

2. Debent esse ab Episcopo consecrata. Ex una parte enim debent *sub gravi* esse consecrata, ut patet ex cap. unico de Sacra Unctione, et pluribus aliis; et ex altera, non possunt consecrari a simplici Sacerdote, absque Summi Pontificis dispensatione. Dicuntur autem Abbates frui hoc privilegio : non tamen ex alienis ecclesiis ad illos deferri

debent calices consecrandi, nisi constet illis vere concessam fuisse hanc facultatem, et quidem non solum pro suis ecclesiis, sed et pro alienis.

266. — *Quæritur 1º ex qua materia esse debeant calix et patena?*

Resp. Calicum et patenarum materiæ aliæ sunt *præscriptæ* aliæ *permissæ*, aliæ demum *vetitæ*.

Et quidem 1. in usu semper fuerunt, et modo præscribuntur calices et patenæ aureæ, vel argenteæ, eo quod, ob utriusque æris nobilitatem et pretium, Ecclesiæ decus augetur, ac realis Christi Domini sub Sacramenti speciebus præsentia insigni testimonio latreutici cultus asseritur.

Eadem ratione præscribitur ut calicis cuppa, quæ aurea non est, intus inauretur, sicut et patenæ, quæ similiter non est aurea, pars superior. Ita Rubr. gen. Missæ.

2. Omni tempore, ratione paupertatis, permisit Ecclesia stannei calices et patenas. Quod enim æs, quamvis nec nobile, nec pretiosum sit, tamen nec porosum est porositate continua, neque ærugini obnoxium, neque demum ita fragile, ut probabilibus collisionibus contundi facile possit, atque timendum sit effusionis periculum.

3. Vetiti sunt calices et patenæ lignei, lapidei, cornei, vitrei, cuperri, æenei, aurichalci. Et quidem *lignei, lapidei, cornei*, ob eorum materiarum porositatem continuam, et exinde sacrarum specierum imbibitionem ; *vitrei*, ob fragilitatem, et exinde periculum effusionis imminens ; cuprei, æenei et aurichalci, eo quod pariant æruginem, quæ vomitum provocat.

An permissi sint calices et patenæ ex alluminio sive puro, sive aliis metallis commixto? S. Congreg. Rit. de hac re interrogata, respondit, 1 sept. 1866, *nihil innovandum*. At, re iterum perpensa, S. Pontifex rem sibi definiendam reservavit, atque, die 6 dec. 1866, permisit calices et patenas ex ære alluminii (bronze d'alluminium) confectas, dummodo cuppæ calicum et patenæ in tota superficie argento prius et deinde auro in partibus a Rubrica requisitis obducantur, sub conditionibus præscriptis in relatione

cta S. Pontifici, et quæ recensentur in *Analectis*, 1867, l. 1129. Vide etiam *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 232. Idem o ciborio, monstrantio et lunula declaravit S. Congr. it., 31 aug. 1867.

267. — *Quæritur* 2º *quomodo calix et patena suam amitunt consecrationem?*

Resp. 1. Vasa illa suam amittunt consecrationem, uando notabiliter franguntur, vel immutantur, ita ut apta maneant ad usum SS. Sacrificii; v. g., si in fundo alicis fiat foramen, quamtumvis exiguum, si pes a cuppa actione separetur. Dico, *fractione*, quia si illa separatio eret absque fractione, sicut fit in pede tornatili, non amititur consecratio, quia remanet idem moraliter calix, eaemque forma artificialis, sicut vestis plicata et explicata adem est. Item calix et patena non amittunt consecratioem, si levis quædam contorsio vel gibbus eis contingat, amque ob causam a fabro cum Sacerdotis permissione reiciantur. Non amittunt autem suam consecrationem, *sulata per usum inaauratione*.

2. At, cum vasa illa in interiori superficie de novo inaurantur, nova indigent consecratione, ex declar. S. Cong. Rit., 1845. Hinc dirimitur controversia Theologorum, quæ n antecessum existebat. Ratio est, quia in dicto casu non est consecrata præcipua illorum pars, quæ immediate corpus et sanguinem Christi contingit, scilicet interna superficies, quæ supponitur superaddita. Quæ sententia firmatur Ecclesiæ praxi et recepta consuetudine, juxta quam de novo consecrantur calices et patenæ, cum de novo inaurata fuere.

Observandum vasa sacra et altaria pollui per sanguinis vel seminis humani sacrilegam in eis effusionem; ideoque in illo casu reconciliatione episcopali indigent.

ARTICULUS V

De sacris Linteaminibus.

268. — Per sacra linteamina intelliguntur corporale, palla et purificatorium, de quibus pauca dicenda habemus.

1° *Corporale ex lino tantum esse debet, nec serico, vel auro in medium intextum, sed totum album, et ab Episcopo vel alio habente facultatem simul cum palla benedictum.* Rub. Probatur insuper ex can. *Consulto.* Et quidem debet esse *ex lino mundo*, quia Corpus Christi sindone linea et munda sepultum fuit, ut ait Sylvester Papa. Sed etiam competit pannus lineus propter sui munditiam, ad significandam conscientiæ puritatem; et propter multiplicem laborem quo talis pannus præparatur, ad significandam Christi passionem: S. Th. q. 83, a. 3, ad 7.

Unde, si quis celebrat cum corporali non benedicto, excusari nequit a mortali. In casu tamen necessitatis posset etiam sine corporali celebrari. Pariter mortale est uti corporali valde immundo; veniale vero erit, si non sit valde immundum. Imo in necessitate, nempe si urgeat tempus præceptum audiendi sacrum, nullum esset peccatum. Ita S. Ligor., n. 387, et alii communiter.

2° *Palla* et quidem *benedicta*, sicut et corporale, ab Episcopo, vel alio habente facultatem, ex Rubrica *requiritur*; *sub gravi* autem juxta plures, eo quod æque necessaria est palla quam corporale, quum olim palla esset *ipsum* corporale quo calix operiebatur; *non* vero *sub gravi* juxta alios, quia hodie non eadem currit ratio reverentiæ. In necessitate, palla deficiente, purificatorium aut bursa ad calicem operiendum adhiberi potest. Vide S. Ligor., n. 388.

Ex decreto S. Cong. Rit., 1852, licet uti palla panno serico cooperta, et auro contexta, *dummodo palla linea subnecta calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, aut non referat aliqua mortis signa.*

3° *Purificatorium*, ex lino vel ex tenui cannabe confectum requiritur, nulla autem pro ipso præcipitur aut indicatur benedictio; decet tamen ipsum cum cæteris linteaminibus benedici. Imo, si purificatorium facile haberi non possit, probabiliter licitum est celebrare sine eo, ejusque loco adhiberi posset strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur. S. Ligor., n. 389., Suarez.

ARTICULUS VI

De Sacerdotum ornamentis.

269. — *Quæritur* 1° an sit *mortale* celebrare *sine ulla veste sacra,* aut sine *stola,* vel *alba, casula, manipulo,* vel *cingulo* et ex quanam materia confici debeant casulæ aliaque similia sacra paramenta?

Resp. 1. Est mortale celebrare sine ulla veste sacra in omni casu, ex quacunque causa; ita omnes. Item celebrare sine casula, vel alba, aut stola et manipulo simul. Probabiliter non est mortale celebrare sine amictu, saltem pro iis qui illo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros. Idem etiam dicendum est de celebratione sine cingulo ; unde ab his omnibus causa rationabilis facile excusat.

2. Casula aliaque similia paramenta confici non debent ex tela gossipii aut lini aut etiam lanæ, ex iterata decis. S. Cong. Rit., notanter 28 jul. 1881. Juxta eadem S. Congr., 8 mart. 1879, missa celebrari potest cum alba ex lino quidem in parte superiori et manicis, sed ex bombicio, vulgo cotone, in tota reliqua, etiam a pectore usque ad pedes, confecta, si id permittat Episcopus.

270. — *Quæritur* 2° an *Sacerdoti* celebranti Missam assistere possit Presbyter *stola* aut *pluviali indutus?*

Resp. 1. Ex iteratis decretis S. Congr. Rit. non licet in prædicto casu uti *stola*. Excipiuntur tamen canonici, quando solemniter loco Episcopi celebrant, aut quando ipsis suffragatur immemorabilis consuetudo. 2. Idem dicendum est de pluviali; eo tamen indui potest Sacerdos assistens ad missam novi sacerdotis. Vide *Revue des Sciences eccl.*, juillet 1880, p. 90.

Notandum est Celebranti illicitum esse celebrare *capite cooperto*. Probabile tamen est non esse illicitum celebrare cum pileolo (calotte), excepto Canone, ex rationabili causa, si celebretur in loco privato, vel si causa ita celebrandi adstantibus sit manifesta; S. Ligor., n. 397.

Propositæ quæstioni an Sacerdos in celebratione Missæ

uti possit calceamentis vulgo *Botinis* nigri coloris, vel caligis coloris *albi*, S. Congr. Rit., 31 aug. 1871, respondit « Clerici in sacris præsertim functionibus adhibere debent caligas seu calceamenta, quibus publice uti solent probati clerici loci seu diœceseos. »

271. — *Quæritur* 3° quandonam *vestes sacræ suam benedictionem amittant?*

Resp. Vestes sacræ, sicut et mappæ altaris, ac sacra linteamina, suam amittunt benedictionem, quando non remanent aptæ ad sacrum ministerium sub eadem forma sub qua benedictæ fuerunt, v. g., si una vel utraque altera manica dissuatur, et separetur; si vero priusquam separetur, contingat eam resarciri, etiam addita nova parte non benedicta, tunc non amittitur benedictio, quia censetur eadem remanere vestis. Quantum vero ad cingulum, si ita rumpatur, ut neutra pars ad cingendum sufficiat, suam benedictionem amittit, non vero si una pars sufficiat ad cingendum; poterit tamen illa connecti cum altera parte ad majorem commoditatem, eo magis quod non constet an cingulum debeat esse necessario benedictum.

272. — *Quæritur* 4° an, si quis bona vel mala fide usus fuerit inter celebrandum vestibus aut linteaminibus *non benedictis*, hoc ipso *illa sint benedicta?*

Resp. negat., quia Ecclesia instituit ut illa quibusdam precibus et cæremoniis, non autem solo usu benedicerentur. Idem proportionaliter est dicendum de ecclesiis, altaribus, de calice et patena, quæ nec benedici aut consecrari, nec, si fuerint polluta aut exsecrata, reconciliari possunt per solum usum, sed semper legitimo ritu benedici, aut consecrari, aut reconciliari debent.

Ex decis. S. Congr. Rit., 16 mart. 1876, Sacerdotes subdelegati ad benedicenda sacerdotum ornamenta, uti debent benedictione quæ legitur in Rituali Romano, non vero formula in pontificali data.

Color autem vestium est de præcepto. Attamen hæc rubrica obligare sub gravi non videtur, nisi scandalum

sidit, puta, si die paschatis, vel in alia solemnitate, Missa festiva celebraretur vestibus nigris. Hinc causa non adeo gravis a præcepto excusare potest.

273. — *Quæritur* 5° an *cuique liceat res sacras* modo recensitas *tangere?*

Resp. 1. Vasa sacra, nempe ciborium, calix, patena, ostensorium, lunula, et sacra linteamina; ut corporale, dum in illis continentur corpus et sanguis Christi, absque gravi sacrilegio a nemine tangi possunt et gestari, præterquam a Sacerdote et Diacono, saltem ordinarie. Id patet ex communi Ecclesiæ praxi, et omnium Doctorum consensu et canonibus.

2. Vasa sacra, etsi vacua sint, non licet cuilibet tangere nisi Subdiacono, aut Acolyto in sacrario, dist. 23, can. 32. Sed « diuturna consuetudine factum est, inquit Benedict. XIV, ut ordinati omnes et qui sola Tonsura præditi sunt, si aliqua causa intercedat, sacra vasa, dum vacua sunt, extra altaris ministerium contingant; » *Instit. eccl.*, 29. Idem dicendum de sacris linteaminibus, scilicet corporali, palla et purificatorio, cum ad sacrum ministerium inservierunt, sicut patet ex can. *Sacratas*, Decret. part. dist. 23. Denique communiter idem sentiunt Doctores de altaribus consecratis. Attamen Episcopi aliquando permittunt vasa sacra tangere etiam laicis, qui sacristiæ inserviunt. Imo, si rationabilis causa suadet, v. g., cum sacra vasa sunt iterum deauranda, vel in eis aliquid est reficiendum, tunc et Sacerdotis permissione laici et mulieres possunt illa tangere.

3. Vestes sacræ, et aliqua altaris ornamenta quæ nec Chrismate uncta fuerunt, nec corpus Domini aut sanguinem immediate attingunt, ab omnibus, etiam laicis, cum reverentia tangi possunt; item sacra linteamina, etsi benedicta, quando ad sacrum ministerium nondum inservierunt, vel quando lota fuerunt; pariter pyxis, ostensorium, lunula, quamvis benedicta, tangi possunt ab omnibus, cum nondum in eis reposita fuerit sacra hostia. Denique calix et patena, dum vacua sunt, ab omnibus mediante velo possunt tractari et portari.

Quantum ad Agnos cereos et Reliquias, mos est ut nuda manu non tangantur, nisi a viris Deo sacris vel a Sanctimonialibus, dum eos in thecis collocant et adornant.

Observandum autem quod, quando lavanda sunt sacra linteamina, id est, corporale, palla et purificatorium, ab homine in Sacris constituto debeant lavari in pelvibus ad hunc usum destinatis, priusquam a Sanctimonialibus vel piis mulieribus tradantur perficienda et amylo imbuenda, sicut notatur in cap. *Nemo per ignorantiam*, de Consec. dist. 1, et sicut monet Episcopus ordinans Subdiaconos. nec illa abluere possunt moniales absque licentia S. Sedis. ex decis. S. Congr. Rit., 6 juin 1860. Denique, si vestes sacræ, corporalia, linteamina, et alia ejusmodi vetustate fuerint consumpta, non ad usus profanos sunt adhibenda, sed igne potius absumenda, ut præscribitur in cap. *Altaris palla*, de Consec. dist. 1.

ARTICULUS VII

De Sacris Ritibus et cæremoniis circa Missæ celebrationem observandis.

Inter sacros ritus, alii intra, alii extra Missam servandi præcipiuntur.

§ I

De Ritibus intra Missam servandis.

PROPOSITIO

274. — *Rubricæ omnes quæ proponunt servanda in ipso celebrationis actu, sunt præceptivæ.*

Prob. 1° *ex Conc. Trid.* sess. 7, can. 13 *de Sacram. in genere :* « Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ *ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos*, aut *contemni*, aut *sine peccato a ministris pro libitu omitti*, aut *in novos alios* per quemcunque Ecclesiarum Pastorem *mutari posse :* anathema sit. » Atqui, si rubricæ non essent præceptivæ, ministri eas violare possent sine peccato ; ergo, etc.

2° *Ex Bulla Pii V,* initio Missalis Romani apposita, ubi

sic loquitur S. Pont. : *Mandantes et stricte omnibus et singulis præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, ut Missam juxta ritum, modum et normam in Missali præscriptam decantent aut legant, neque in Missæ celebratione alias cæremonias aut preces addere vel recitare præsumant.* Atqui hæc verba, *stricte præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ,* non instructionem, sed proprie dictam legem important; ergo, etc.

275. — Hinc 1° receptum est apud Theologos pro materia gravi habendam esse omissionem, 1. Confessionis cum aliis in principio Missæ, 2. Epistolæ, 3. Evangelii, 4. Offertorii sive hostiæ cum forma correspondente, sive calicis cum sua etiam forma, 5. Præfationis. E contra qui omitteret Collectam saltem non propriam, Tractum, Graduale, aut aliquid ejusdem generis minus præcipuum, mortaliter non delinqueret, nisi tot omitteret ejusmodi versiculos, ut ex iis exsurgat notabilis materiæ omissio. Vide S. Ligor., n. 404.

Similiter quod spectat Canonem, qui a verbis, *Te igitur*, usque ad Orationem dominicam extenditur, fatentur omnes Doctores mortaliter peccare eum, qui vel unam ex orationibus in eo contentis omittit, vel si tot verba in oratione prætermittat, ut mysterii per eam repræsentandi significationem vel destruat, vel notabiliter minuat. Extra hunc casum, non mortaliter delinqueret qui quinque tantum aut sex verba omitteret. Vide S. Ligor., n. 405.

Pariter mortalis peccati reus esset, qui omitteret. 1. Orationem Dominicam; 2. precem *Libera nos;* 3. verba quæ immissa in calicem hostiæ parte, recitari debent; 4. totum *Agnus Dei;* secus, si semel tantum aut bis dicat, et idem est de, *Domine non sum dignus;* 5. orationes communioni prævias; attamen videtur venialiter tantum peccaturus, qui primam duntaxat omitteret. De iis quæ communionem sequuntur, idem esto judicium ac de iis quæ canonem præcedunt. Vide S. Ligor., *ibid.*

276. — Hinc 2°, quoad omissionem rituum qui in *actione*

consistunt, gravè vel leve peccatum erit; prout gravi vel levior erit cæremonia prætermissa : porro ad gra[illegible] cæremonias referuntur, 1. mixtio aquæ cum vino, 2. [illegible] vatio hostiæ et calicis post consecrationem, fractio hosti[illegible] ejusdem particulæ mixtio cum sanguine, 3. purificatio [illegible] tenæ et calicis.

Idem cum proportione dicendum est de additione [illegible] mutatione : si tamen additio ex indiscreta tantum [illegible] tione procederet, non excederet culpam venialem, nisi e[illegible] set valde gravis vel in se, vel ratione circumstantiarum. Imo, juxta S. Ligor., n. 400, et alios plures, non excus[illegible] tur a veniali Sacerdos, qui omittit benedictiones, inclin[illegible] tiones, genuflexiones, etc., uti præscribuntur in rubri[illegible]

Peccaret etiam Sacerdos qui in purificatione calicis [illegible] aqua uteretur, sed venialiter tantum juxta commun[illegible] sententiam. Ita S. Ligor., n. 408, Lacroix, Concina [illegible] Plures etiam a peccato veniali excusant Sacerdotem, si [illegible] abstemius.

Tandem non licet orationes addere, præter orationes r[illegible] brica assignatas, vel permissas.

277. — Hinc 3° patet quam timendum sibi habeant sa[illegible] cerdotes qui vix ullam, ut par est, cæremoniam exsequun[illegible] tur; verba pene nulla jungunt cum actione ad quam perti[illegible] nent, omnia miscent, et tanta cum festinatione agunt, [illegible] scandalum potius quam pietatem excitent.

Discant igitur juniores Sacerdotes ita sacrosanctum sa[illegible] crificium tractare, ut non tantum nimiam prolixitat[illegible] quæ fastidium populo generat, sed et festinationem in [illegible] celebrando devitent. Quod si spatium perpendatur qu[illegible] necessarium est in Missa rite perficienda, *ex unanimi Scr[illegible] torum opinione, ad tertiam horæ partem saltem debet pert[illegible] gere, neque horæ dimidiam excedere*; inquit. Bened. X[illegible] de Sacr. Missæ, sect. 2, n. 217.

278. — *Quæritur* 1° utrum liceat celebrare *Missam* [illegible] *gua vulgari*, et *Canonem alta voce* recitare?

Resp. Non defuerunt qui calumniati sint Ecclesiæ ritum [illegible]

quo submissa voce pars Canonis recitatur, et qui dixerint Missam lingua vulgari celebrandam; sed horum opiniones damnatæ fuerunt a Conc. Trid., n. 173 : « Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ *ritum, quo submissa voce pars Canonis* et *verba consecrationis*, proferuntur, *damnandum esse : aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere...*, eo quod *sit contra Christi institutionem :* anathema sit. » Consentiunt igitur Theologi peccare graviter, qui alta voce recitat quæ submisse sunt dicenda, vel ex toto, vel ex maxima parte.

279. — *Quæritur* 2° cujusnam *Officii Missa sit celebranda?*

Resp. En S. Cong. Rit. de hac re decisiones : 1. Missa concordare debet cum officio quod quis recitavit, dummodo cum colore ecclesiæ in qua celebrat, aptetur, 1831. Alioquin, quando est duplex, tunc celebrari debet de Sancto, cujus particularis illa ecclesia celebrat officium cum sui officii commemoratione; 4 sept. 1746.

2. Sacerdos, in alia ecclesia celebrans, non potest dicere Missam votivam cum colore hujusce ecclesiæ officio convenienti, nisi quando ritus præfatæ ecclesiæ id permittit; 11 sept. 1747.

3. In oratoriis privatis, Missa debet semper concordare cum officio celebrantis; 12 mart. 1831.

280. — *Quæritur* 3° an in Missæ celebratione requiratur *minister?*

Resp. Requiritur in Missis etiam privatis unus minister, et hoc quidem *sub gravi*, juxta omnes. Attamen communiter dicunt Doctores licitum esse celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi Viaticum. Idem concedunt plures, ut populus audiat Missam de præcepto. Ita Lugo, S. Ligor., n. 391, et alii.

Non tolerantur duo ministri in Missa stricte privata; bene vero quoad missas parochiales, vel similes diebus solemnioribus, vel quoad missas quæ celebrantur in loco solemnes, atque cantatæ, occasione realis atque usit-

celebritatis et solemnitatis. Ita S. Cong. Rit., 12 sept. 1857.

Sacerdos autem aliquando celebrare potest, respondente muliere, si necessitas urgeat, præsertim apud Moniales modo mulier respondeat a longe, nec immediate ministret in altari, porrigendo urceolos, etc.; hoc enim non posset excusari a mortali, quia Ecclesia omnino interdicit mulieribus celebranti ministrare. Ita S. Ligor., n. 392, et S. Cong. Rit., 1836.

281. — *Quæritur* 4° an liceat aliquando Missam *interrumpere* aut *imperfectam relinquere ?*

Resp. 1. Semper illicitum est directe intendere mutilationem sacrificii, ita ut non liceat intentatæ mortis vitandæ causa solum consecrare panem, prævidendo defuturam esse potestatem sacrificii perficiendi, quia talis intentio est directe contra præceptum divinum et ecclesiasticum, et contra Religionem.

2. Præter casus memoratos in Rubrica, *de Defectibus*, c. 3, in quibus Missa bona fide inchoata potest imperfecta relinqui ; ex Jure canonico, si post inchoatam Missam excommunicatus denuntiatus superveniat, nec expelli possit, tunc si Canon non sit inceptus, non debet prosequi Sacerdos; inchoato vero Canone, ac potissimum, peracta consecratione, solus Sacerdos cum inserviente ministro remaneat sacrificium perfecturus usque ad communionem, qua facta, ipse recedat, si fieri possit, in sacristiam, ut reliquum Missæ perficiat; secus, illud penitus omittat.

3. Missa semel incepta non potest interrumpi absque mortali peccato, nisi adsit gravis causa, v. g., si moribundus Baptismo vel Pœnitentia indigeat, vel si ei deferendum sit Viaticum, vel si infirmo qui alia sacramenta recipere non potest, ministranda sit Extrema Unctio ; si succurrendum sit homini quem injusti invasores occisuri sunt, nisi Sacerdos ex eorum manibus eripiat. Ante Offertorium, ex usu recepto, Missa potest interrumpi a Parocho ad Concionem faciendam, ab Episcopo ad Ordines conferendos, a Superioribus religiosis ad vota religionis suscipienda. Nunquam autem licet eam interrumpere cujuspiam exs-

quo submissa voce pars Canonis recitatur, et qui dixerint Missam lingua vulgari celebrandam; sed horum opiniones damnatæ fuerunt a Conc. Trid., n. 175 : « Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ *ritum, quo submissa voce pars Canonis* et *verba consecrationis*, proferuntur, *damnandum esse* : aut *lingua tantum vulgari Missam celebrari debere*..., eo quod *sit contra Christi institutionem* : anathema sit. » Consentiunt igitur Theologi peccare graviter, qui alta voce recitat quæ submisse sunt dicenda, vel ex toto, vel ex maxima parte.

279. — *Quæritur* 2° cujusnam *Officii Missa sit celebranda?*

Resp. En S. Cong. Rit. de hac re decisiones : 1. Missa concordare debet cum officio quod quis recitavit, dummodo cum colore ecclesiæ in qua celebrat, aptetur, 1831. Alioquin, quando est duplex, tunc celebrari debet de Sancto, cujus particularis illa ecclesia celebrat officium cum sui officii commemoratione; 4 sept. 1746.

2. Sacerdos, in alia ecclesia celebrans, non potest dicere Missam votivam cum colore hujusce ecclesiæ officio convenienti, nisi quando ritus præfatæ ecclesiæ id permittit; 11 sept. 1747.

3. In oratoriis privatis, Missa debet semper concordare cum officio celebrantis; 12 mart. 1831.

280. — *Quæritur* 3° an in Missæ celebratione requiratur *minister?*

Resp. Requiritur in Missis etiam privatis unus minister, et hoc quidem *sub gravi*, juxta omnes. Attamen communiter dicunt Doctores licitum esse celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi Viaticum. Idem concedunt plures, ut populus audiat Missam de præcepto. Ita Lugo, S. Ligor., n. 391, et alii.

Non tolerantur duo ministri in Missa stricte privata; bene vero quoad missas parochiales, vel similes diebus solemnioribus, vel quoad missas quæ celebrantur in loco solemnes, atque cantatæ, occasione realis atque usitatæ

283. — De *interna* autem ministri *præparatione*, hic dicere nostri non est instituti. Sed quæ sit necessaria, ex paucis exponit pius auctor libri nunquam satis meditandi « O quam magnum et honorabile est *officium Sacerdotum* quibus datum est *Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, ore proprio sumere*, et *cæteris ministrare!* O quam *mundæ* debent esse *manus illæ*, quam *purum os*, quam *sanctum corpus*, quam *immaculatum cor* erit Sacerdotis, ad quem *toties ingreditur Auctor puritatis!* Ex ore *Sacerdotis* nihil *nisi sanctum*, nihil *nisi honestum et utile* procedere debet *verbum*, qui *tam sæpe Christi accipit sacramentum*. *Oculi* ejus *simplices* et *pudici*, qui Christi corpus *solent intueri*. *Manus puræ* et *in cælum elevatæ*, quæ *Creatorem* cœli et terræ *solent contrectare*. Sacerdotibus specialiter in lege dicitur : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester*. » De Imit. Christi, lib. 4, c. 11.

Unde, qui Missam celebrat cum notabili voluntaria distractione, videtur peccare mortaliter, quia sacrificium, præter rationem orationis, habet insuper rationem cultus excellentissimi religionis, cui gravem ille videtur irrogare irreverentiam, qui dum profitetur actu religioso Deum colere, voluntarie se distrahit; n. 176.

284. — *Quæritur* 1° an *convenienter* ordinentur ea quæ circa sacrificium *dicuntur?*

Resp. In hoc Sacramento, ex dictis, totum mysterium nostræ salutis comprehenditur. Unde præ cæteris Sacramentis cum majori solemnitate agitur, atque in ejus celebratione *verbis* significantur quædam pertinentia ad Passionem Christi, vel ad corpus mysticum, vel ad usum hujus Sacramenti, qui debet esse cum devotione et reverentia. Quæ omnia referri possunt ad præparationem, oblationem, consecrationem, communionem, et gratiarum actionem.

I. *Præparatio* est *cordis* vel *mentis*. 1° *Cordis* præparatio ad digne agenda ea quæ sequuntur, continet 1. laudem divinam, quæ fit in introitu; namque *sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei*, Ps. 49. ℣ 23; sumitur de Psalmis, vel saltem cantatur cum Psalmo;

qui Psalmi comprehendunt per modum laudis quidquid in Scriptura continetur, ait S. Dionys. 2. Commemorationem præsentis miseriæ, dum misericordia petitur dicendo : *Kyrie eleison*, ter pro persona Patris ; ter autem pro persona Filii, cum dicitur : *Christe eleison ;* et ter pro persona Spiritus Sancti, cum subditur : *Kyrie eleison*, contra triplicem miseriam, ignorantiæ, culpæ et pœnæ; vel ad significandam quod tres personæ sint in se invicem. 3. Commemorationem cœlestis gloriæ, ad quam tendimus post præsentem vitam et miseriam, dicendo post Angelos ad præsepe Salvatoris : *Gloria in excelsis Deo ;* quod cantatur in festis, in quibus commemoratur cœlestis gloria; intermittitur autem in officiis luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinent. 4. Orationem quam Sacerdos pro populo facit, ut dignus habeatur tantis mysteriis.

2° *Mentis* præparatio in institutione fidelis populi nititur; quæ instructio dispositive quidem fit per doctrinam Prophetarum et Apostolorum, quæ legitur per Lectores et Subdiaconos. Cui lectioni subjiciuntur *Graduale*, *Alleluia*, vel *Tractus* in officiis luctuosis, ad significandum profectum vitæ, spiritualem exsultationem, vel spiritualem gemitum : hæc enim consequi debent ex prædicta doctrina. Perfecte autem populus instruitur per doctrinam Christi in *Evangelio* contentam, quæ a summis ministris, scilicet a Diaconis, legitur. Et quia Christo credimus tanquam divinæ Veritati, lecto Evangelio, *Symbolum* fidei dicitur, in quo per fidem Christi doctrinæ assentimus. Dicitur autem hoc Symbolum in festis de quibus in eo fit aliqua mentio, sicut in festis Christi, et B. Virginis, et Apostolorum qui hanc fidem fundaverunt, et aliis hujusmodi.

Sic igitur populo præparato, acceditur ad celebrationem mysterii, quod quidem et offertur et consecratur ut sacrificium, atque sumitur ut sacramentum. Unde

II. *Oblatio*, in qua duo aguntur, scilicet, laus populi in lectione vel cantu Offertorii, per quod significatur lætitia offerentium ; et oratio Sacerdotis, qui petit ut oratio populi sit Deo accepta, et offert Deo separatim utramque materiam remotam sacrificii consecrandam, ita ut hæc obla-

tio sit imperfecta atque ad perfectam solum præparatoria.

III. *Consecratio*. Cum in hoc sacramento totus Christus contineatur, et pro toto populo christiano sacrificium offeratur, major et communior requiritur devotio in hoc sacramento, quam in aliis. Quare Sacerdos, per Præfationem seu introductionem, parat fratrum mentes, dicendo : *Sursum corda;* sive etiam aliquid narrando de perenni sacrificio a Christo in cœlis peracto, et quod est quasi introductio ad sacrificium in terris statim perficiendum. Unde, finita Præfatione, populus devote laudat divinitatem Christi, cum Angelis dicens : *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* et humanitatem, cum pueris dicens : *Benedictus qui venit,* etc.

Deinde Sacerdos secreto commemorat, sive illos pro quibus hoc sacrificium offertur; sive Sanctos, quorum patrocinia implorat. Denique accedit ad ipsam consecrationem, in qua 1. petit consecrationis effectum : *Quam oblationem tu, Deus,* etc.; 2. consecrationem peragit per verba Salvatoris, *Qui pridie,* etc.; 3. excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi : *Unde et memores,* etc.; 4. petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum : *Supra quæ propitio,* etc.[1]; 5. petit hujus sacrificii et sacramenti effectum sive quantum ad ipsos sumentes : *Supplices te rogamus;* sive quantum ad mortuos, qui jam illud sumere non possunt : *Memento etiam Domine;* sive specialiter quantum ad ipsos Sacerdotes offerentes : *Nobis quoque peccatoribus,* etc.

IV. *Communio*. Præparatur populus ad percipiendum hoc sacramentum 1. per orationem communem totius populi, quæ est Oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari; et etiam privatum, quam specialiter Sacerdos pro populo offert, cum dicit : *Libera nos, quæsu-*

1. « Il y a dans ce sacrifice Jésus-Christ qui est offert, et il y a l'homme qui l'offre : le sacrifice est toujours agréable du côté de Jésus-Christ qui est offert; il pourrait ne l'être pas toujours du côté de l'homme qui l'offre, puisqu'il ne peut l'offrir dignement qu'il ne soit lui-même assez pur pour être offert avec lui. Quelle merveille y a-t-il donc que l'Eglise demande à Dieu qu'il rende notre sacrifice agréable en tout, et autant à proportion du côté des fidèles qui le présentent, que du côté de Jésus-Christ qui est présenté? » Bossuet, *Explication de quelques difficultés,* etc., *de la Messe,* n. 37.

nus, *Domine*, etc.; 2. per pacem quæ datur dicendo : *Agnus Dei* : est enim hoc sacramentum unitatis et pacis. In Missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur.

Deinde sequitur perceptio sacramenti, primo percipiente Sacerdote et postea aliis dante : « qui enim aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse, » ait S. Dionys.

V. *Gratiarum actio* terminat Missam, populo exsultante pro sumptione mysterii (quod significat cantus post communionem), et Sacerdote per orationem gratias offerente, sicut et Christus, celebrata cœna cum Discipulis, hymnum dixit[1]. Vide S. Th., 3 p., q. 83, a. 4; Bossuet, *Explication*, etc.; D. Olier, *Cérémonies de la messe.*

285. — *Quæritur* 2° an *convenienter* ordinentur ea quæ circa sacrificium *aguntur?*

Resp. Quæ jam diximus de verbis, vera sunt etiam de factis circa sacrificium Missæ. Unde in celebratione hujus mysterii, quædam aguntur ad repræsentandam Passionem Christi, vel etiam dispositionem corporis mystici, vel ad excitandam devotionem et reverentiam hujus sacramenti.

Et vero 1° *ablutio manuum* fit in celebratione Missæ, 1. propter reverentiam; indecens enim videtur quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. 2. Propter significationem, quia, ut ait S. Dionys. *de Hier*. c. 4, extremitatum ablutio significat emundationem a minimis peccatis. Talis autem emundatio

1. In hoc Sacramento, ut diximus, tanguntur ea quæ pertinent ad totam Ecclesiam. Itaque 1. quædam dicuntur a choro, quæ pertinent ad populum, quorum quædam chorus totaliter prosequitur, quæ scilicet, toti populo inspirantur; quædam vero populus prosequitur, Sacerdote inchoante, qui personam Dei gerit, in signum quod talia pervenerunt ad populum ex revelatione divina, sicut fides et gloria cœlestis; et ideo Sacerdos inchoat symbolum fidei, et *Gloria in excelsis Deo*. 2. Quædam vero dicuntur per ministros, sicut doctrina hæc populis annuntiata. 3. Quædam autem Sacerdos solus prosequitur, quæ scilicet, ad proprium officium Sacerdotis pertinent. In his tamen quædam dicit publice, scilicet, quæ pertinent ad Sacerdotem et ad populum, sicut sunt orationes communes; quædam vero occulte a Sacerdote dicuntur, quæ ea ad eum solum pertinent, sicut oblatio et consecratio. In utrisque tamen excitat populi atttentionem, dicendo : *Dominus vobiscum*. S. Th., *ibid.*

requiritur ab eo qui accedit ad hoc sacramentum; quod etiam significatur per confessionem, quæ fit ante introitum Missæ. Cæterum, cum manus sit *organum organorum*, omnia opera manibus attribuuntur, et ideo ablutio manuum sufficit ad significandam perfectam emundationem.

2° *Thurificatio* adhibetur etiam propter duo : 1. ad reverentiam hujus sacramenti, ut scilicet per odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem ; 2. ad repræsentandum effectum gratiæ, qua sicut bono odore Christus plenus fuit, et a Christo derivatur ad fideles officio Ministrorum ; et ideo undique thurificato altari, per quod Christus designatur thurificantur omnes per ordinem [1].

3° *Crucesignatione* Sacerdos utitur sive ante consecrationem, ad benedicendum et sacramentum et fideles cum Christo in hoc sacrificio immolandos; sive post consecrationem, ad sanctificandos fideles per sacrificii et sacramenti participationem ; sive ante, sive post consecrationem, ad commemorandum modum Passionis Christi, et significandum consecrationem sacrificii et fructus ipsius procedere ex virtute crucis Christi.

4° *Brachia extendit* Sacerdos post consecrationem, ad significandam extensionem brachiorum Christi in cruce. Levat manus orando, ad designandum orationem ejus dirigi pro populo ad Deum : sic, *cum levaret Moyses manus, vincebat Israel*; Exod. 17, ℣ 11. Manus etiam interdum jungit, et se inclinat, ut suppliciter et humiliter orans sicque designat humilitatem et obedientiam Christi, ex qua passus est.

5° *Salutat septies* populum Sacerdos, dicendo : *Dominus vobiscum*, vel *Pax Domini sit semper vobiscum*, ad designandam septiformem gratiam Spiritus Sancti, vel ad excitandam populi attentionem. Episcopus autem celebrans in festis, in prima salutatione dicit : *Pax vobis*, quod post

1. Ex decis. S. Congr. Rit., 7 aug. 1878, omnino improbanda est in sacris functionibus novus methodus combustionis thuris a quodam parisiensi proposita, juxta quam super quatuor partibus una ex incenso et aliis tribus ex resinosis materiis constat. Vide *Acta S. Sedis*, t 12, p. 539.

resurrectionem Discipulis dixit Dominus, cujus personam repræsentat præcipue Episcopus.

6° Fractio hostiæ significat sive ipsam divisionem corporis Christi, quæ facta est in Passione; sive distinctionem corporis mystici secundum diversos status; sive distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi.

7° Tandem pluraliter loquitur Sacerdos cum dicit : *Dominus vobiscum; Gratias agamus; Orate fratres,* quia in Missis privatis minister gerit personam totius populi catholici, ex cujus persona Sacerdoti pluraliter respondet. Vide S. Th. p. 3, q. 83, a. 5; Bossuet, *Explication, etc.*, D. Olier, *Cérémonies de la Messe.*

286. — Ex tot et tantis in hoc sacramento mysteriis et beneficiis, sit conclusio : nova semper mentis renovatione ad hoc nos disponere debemus, et ita magnum, novum et jucundum nobis hoc mysterium salutis videri debet, cum celebramus aut Missam audimus, ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens, homo factus esset, aut in cruce pendens, pro salute hominmm pateretur et moreretur. Imitat. Christi, l. 4, c. 2.

FINIS TRACTATUS DE SS. EUCHARISTIA.

INDEX TOMI III

TRACTATUS

DE GRATIA ET GLORIA

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

TRACTATUS

DE BAPTISMI SACRAMENTO

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO

TRACTATUS

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

PARS PRIMA

De Eucharistiæ Sacramento.

OUVRAGES DE M. L'ABBÉ DE RIVIÈRES

CHANOINE DE LA MÉTROPOLE D'ALBI

Honorés d'un bref de Sa Sainteté Léon XIII.

Instructions paroissiales à l'usage des populations ouvrières [illegible] et des campagnes (*Projets et matériaux*). — 2 très forts volumes [illegible] 2e édition. Prix, *franco* .... [illegible]

Dès son apparition, cet ouvrage a reçu l'accueil le plus empressé de la part du clergé et a eu l'honneur d'être apprécié et recommandé par plusieurs éminents prélats.

En quelques mois, il est arrivé à sa seconde édition. C'est un véritable arsenal. Toutes les vérités dogmatiques et morales de notre religion y sont traitées avec autorité. Il y a des matériaux pour toutes les fêtes chrétiennes, des sujets pour la [illegible] première communion, et [illegible] jours, des instructions [illegible] Marie et une octave de [illegible] neur de la Mère de Dieu. On y [illegible] ment une suite de sujets pour [illegible] de Carême, ainsi que des [illegible] pour une foule de [illegible]

(Extr. de la *Semaine relig.* [illegible])

Manuel de la science pratique du Prêtre dans le saint ministère (Droit canon; administration temporelle des paroisses, [illegible] règles de la direction pastorale). — 1 très fort volume grand in-8° [illegible] tion. Prix, *franco* .... [illegible]

Quatre éditions presque aussitôt épuisées que parues, les approbations de Mgr l'archevêque d'Albi, de Mgr l'évêque de Rodez et de Mgr l'évêque du Mans, les éloges unanimes que cet ouvrage a reçus, sont les meilleures preuves du mérite et de l'utilité du livre de M. DE RIVIÈRES.

Voici ce qu'écrivait à l'auteur M. HAMON, *curé de Saint-Sulpice* :

« Vous avez eu une bonne pensée de recueillir en un volume ce qui est épars dans un grand nombre d'ouvrages où beaucoup de prêtres n'auraient ni le temps, ni l'argent, ni même quelquefois la pensée [illegible] cher. Je fais des vœux pour que [illegible] un livre si utile; je l'ai déjà [illegible]

Le R. P. DESJARDINS, de la Compagnie de Jésus, écrivait à l'auteur :

« Votre *Manuel de la science pratique du prêtre* est un riche répertoire [illegible] ministre de Dieu doit savoir sur la [illegible] morale, les principes du droit [illegible] lité, etc., le rituel et les règles de [illegible] pour rendre son ministère à la [illegible] tueux et consolant. »

Mémorial des lois canoniques et disciplinaires du [illegible] (1° mémorial des évêques; 2° des vicaires généraux; 3° des chapitres [illegible] curés; 5° des saints ordres; 6° des tribunaux ecclésiastiques). — 1 [illegible] grand in-8°. Prix .... [illegible]

Des Offices pontificaux et capitulaires. — 1 volume grand [illegible] Prix, *franco* .... [illegible]

Cet ouvrage est très complet : il renferme toutes les fonctions sacrées de l'évêque. Il renferme aussi les Offices capitulaires *praesente vel absente episcopo*.

Les matières sont classées avec ordre, méthode et clarté, de manière à s'y retrouver aisément. Tout le détail des [illegible] divisé par *numéros*, afin que chaque [illegible] ressorte et se grave plus facilement [illegible] mémoire.

Du chant des Offices pontificaux. — Brochure grand in-8° [illegible] *franco* .... [illegible]

Considérations simples et courtes sur le très adorable mystère de l'Eucharistie. — 1 volume in-18 raisin. Prix .... 1 [illegible]

Deux mois de Marie, avec octave de Marie. — 1 volume in-18 [illegible] Prix .... 1 [illegible]


3 2044 073 544 322